

EX LIBRIS
JOHN CHIPMAN GRAY

D

L. ANNAEI SENECAE
AD LUCILIUM
EPISTOLAE MORALES

AD FIDEM VETERUM LIBRORUM

IN HIS

TRIUM MSSTORUM ARGENTORATENSIUM

RECOGNOVIT EMENDAVIT

NOTISQUE CRITICIS ILLUSTRAVIT

IOHANNES SCHWEIGHAEUSER

INSTITUTO GALLO-FRANC. ADSCRIPTUS

GRAECAR. LITERAR. IN SCHOLA ARGENT. PROF.

VOLUMEN SECUNDUM.

Epist. XC — CXXIV.

ARGENTORATI

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS BIPONTINAE

MDCCCIX.

L. ANNAEI SENECAE
AD LUCILIUM
EPISTOLAE MORALES.

EPISTOLA XC.

Philosophiae laus. Ea vitam formavit, consortia et imperia instituit, leges et iura dedit. An etiam artes vitae utiles, ut fabricam, marmorariam, metallariam, vestiariam, aliasque? Negat ipse, contra Posidonium, et inferiora haec maiestate illius esse; et multa horum supervacua. Non corporis, sed animi negotium illa gerit, et gessit. Rudi etiam seculo, an fuere Sapientes? Non, sed Sapientibus similes, beneficio non Doctrinae, sed Naturae. Multa in his bona, et scientiae aut vitae fructuosa.

SENECA Lucilio suo Salutem.

QUIS dubitare, mi Lucili, potest, quin Deorum inmortalium munus sit, quod vivimus, Philosophiae, quod bene vivimus; itaque tanto plus huic nos debere, quam Diis, quanto maius beneficium est bona vita, quam vita? Pro certo deberetur, nisi ipsam Dii philosophiam tribuissent; cuius scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus. Nam si hanc quoque bonum vulgare fecissent, et prudentes nasceremur; sapientia, quod in se optimum habet, perdidisset, inter fortuita esset. Nunc enim hoc in illa pretiosum

atque magnificum est, quod non obvenit, quod illam sibi quisque debet, quod non ab alio petitur. Quid haberes, quod in Philosophia suspiceres, si beneficiaria res esset? Huius opus unum est, de divinis humanisque verum invenire; ab hac numquam recedit iustitia, pietas, religio, et omnis alius comitatus virtutum consertarum, et inter se cohaerentium. Haec docuit colere divina, humana diligere, et penes Deos imperium esse, inter homines consortium; quod aliquamdiu inviolatum mansit, antequam societatem avaritia distraxit, et paupertatis causa etiam his, quos fecit locupletissimos, fuit. Desierunt enim omnia possidere, dum volunt propria. Sed primi mortalium, quique ex his geniti naturam inconrupti sequebantur, eamdem habebant et ducem, et legem, commissi melioris arbitrio. Naturae est enim, potioribus deteriora submittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora praesunt, aut vehementissima. Non praecedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris ceteros mares vicit; elephantorum gregem excellentissimus ducit; inter homines pro maximo est optimum. Animo itaque rector eligebatur; ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Tantum enim, quantum vult, potest, qui se, nisi quod debet, non putat posse.

Illo ergo *seculo, quod aureum perhibent, penes Sapientes fuisse regnum.* POSIDONIUS iudicat. Hi continebant manus, et infirmiores a validioribus

tuebantur; suadebant, dissuadebantque, et utilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, providebat; fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat ornabatque subiectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo, quantum posset adversus eos, experiebatur, per quos coeperat posse; nec erat cuiquam aut animus in iniuriam, aut causa; quum bene imperanti bene pareretur, nihilque rex maius minari male parentibus posset, quam ut abiret e regno. Sed postquam, subrepentibus vitiis, in tyrannidem regna conversa sunt, opus esse coepit legibus, quas et ipsas inter initia tulere Sapientes. Solon, qui Athenas aequo iure fundavit, inter septem aevi sapientia notus: Lycurgum si eadem aetas tulisset, sacro illi numero arcessisset octavum: Zaleuci leges Charondaeque laudantur. Hi non in foro, nec in consultorum atrio, sed in Pythagorae tacito illo sanctoque secessu didicerunt iura, quae florenti tunc Siciliae et per Italiam Graeciae ponerent.

Hactenus POSIDONIO adsentio: artes quidem a philosophia inventas, quibus in quotidiano usu vita utitur, non concesserim; nec illi fabricae adseram gloriam. *Illa*, inquit, *sparsos et caustis tectos, aut aliqua rupe subfossa, aut exesae arboris trunco, docuit tecta moliri.* Ego vero philosophiam iudico non magis excogitasse has machinationes tectorum supra tecta surgentium, et urbium urbes prementium, quam vivaria piscium in hoc clusa, ut tempestatum pericula non adiret

gula, et, quamvis acerrime pelago saeviente, haberet luxuria portus suos, in quibus distinctos piscium greges saginaret. Quid ais? Philosophia docuit homines habere clavem et seram? Et quid aliud erat, avaritiae signum dare? Philosophia haec cum tanto habitantium periculo inminentia tecta suspendit? Parum enim erat fortuitis tegi, et sine arte et difficultate naturale sibi invenire aliquod receptaculum! Mihi crede, felix illud seculum ante ἀρχιτέκτονας fuit. Ista nata sunt iam nascente luxuria, in quadratum tigna decidere, et, serra per designata currente, certa manu trabem scindere.

Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.

Non enim tecta coenationi, epulum recepturae, parabantur; nec in hunc usum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent. Furcae utrimque suspensae fulciebant casam; spissatis ramalibus, ac fronde congesta et in proclive disposita, decursus imbribus, quamvis magnis, erat. Sub his tectis habitavere securi. Culmus liberos texit; sub marmore atque auro servitus habitat. In illo quoque dissentio a POSIDONIO, quod *ferramenta fabrilia excogitata a sapientibus viris* iudicat. Isto enim modo dicat licet *Sapientes*, per quos

tunc laqueis captare feras, et fallere visco
inventum, et magnos canibus circumdare saltus.

Omnia enim ista sagacitas hominum, non sapientia invenit. In hoc quoque dissentio, *Sapientes*

fuisse, qui ferri metalla et aeris invenerint, quum incendio silvarum adusta tellus in summo venas iacentes liquefactas fudisset. Ista tales inveniunt, quales colunt. Ne illa quidem tam subtilis quaestio mihi videtur, quam POSIDONIO: *Utrum malleus in usu esse prius, an forcipes coeperint.* Utraque invenit aliquis exercitati ingenii, acuti, non magni, nec elati; et quidquid aliud corpore incurvato, et animo humum spectante, quaerendum est. Sapiens facilis victu fuit. Quidni? quum hoc quoque seculo esse quam expeditissimus cupiat.

Quomodo, oro te, convenit, ut et Diogenem mireris, et Daedalum? Uter ex his sapiens tibi videtur? qui serram commentus est? an ille, qui, quum vidisset puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemtum e perula calicem, hac obiurgatione sui: *Quamdiu homo stultus supervacuas sarcinulas habui?* qui se conplicuit in dolio, et in eo cubitavit? Hodie utrum tandem sapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in inmensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat; qui Euripos subito aquarum impetu inplet aut siccat, et versatilia coenationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, et totiens tecta, quotiens fercula, mutentur? an eum, qui et aliis et sibi hoc monstrat, quam nihil nobis natura durum ac difficile imperaverit? posse nos habitare sine marmorario ac fabro; posse nos vestitos esse sine commercio Serum; posse nos habere usibus nostris necessaria, si contenti fuerimus his, quae terra posuit

in summo? Quem si audire humanum genus voluerit, tam supervacuum sciet sibi coquum esse, quam militem. Illi sapientes fuerunt, aut certe sapientibus similes, quibus expedita erat tutela corporis. Simplici cura constant necessaria; in delicias laboratur. Non desiderabis artifices, si sequeris naturam: illa noluit esse districtos; ad quaecumque nos cogebat, instruxit. Frigus intolerabile est corpori nudo. Quid ergo? non pelles ferarum et aliorum animalium a frigore satis abundeque defendere queunt? non corticibus arborum pleraeque gentes tegunt corpora? non avium plumae in usum vestis conseruntur? non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium, quae tactu mollia et inpenetrabilia ventis sunt? — Opus est tamen calorem solis aestivi umbra crassiore propellere. — Quid ergo? non vetustas multa abdidit loca, quae vel iniuria temporis, vel alio quolibet casu excavata in specum recesserunt? Quid ergo? non quamlibet virgeam cratem texuerunt manu, et vili oblinierunt luto, deinde stipula aliisque silvestribus operuere fastigium, et, pluviis per devexa labentibus, hiemem transiere securi? Quid ergo? non in defosso latent Syrticae gentes? quibus propter nimios solis ardores nullum tegumentum satis repellendis caloribus solidum est, nisi ipsa arens humus.

Non fuit tam inimica natura, ut, quum omnibus aliis animalibus facilem actum vitae daret, homo solus non posset sine tot artibus vivere.

Nihil horum ab illa nobis imperatum est, nihil aegre quaerendum, ut possit vita produci. Ad parata nati sumus: nos omnia nobis difficilia facilium fastidio fecimus. Tecta tegumentaque, et fomenta corporum, et cibi, et quae nunc ingens negotium facta sunt, obvia erant, et gratuita, et opera levi parabilia; modus enim omnium, prout postulabat necessitas, erat; nos ista pretiosa, nos mira, nos magnis multisque conquirenda artibus fecimus. Sufficit ad id natura, quod poscit. A natura luxuria descivit; quae quotidie se ipsa incitat, et tot seculis crescit, et ingenio adiuvat vitia. Primo supervacua coepit concupiscere, inde contraria, novissime animum corpori addixit, et illius deservire libidini iussit. Omnes istae artes, quibus aut circitatur civitas aut strepit, corporis negotium gerunt; cui omnia olim tamquam servo praestabantur, nunc tamquam domino parantur. Itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinae sunt, hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus docentium, mollesque cantus et infractos. Recessit enim ille naturalis modus, desideria ope necessaria finiens: iam rusticitatis et miseriae est, velle quantum sat est.

Incredibile est, mi Lucili, quam facile etiam magnos viros dulcedo orationis abducat a vero. Ecce POSIDONIUS, (ut mea fert opinio, ex his qui plurimum philosophiae contulerunt,) dum vult describere primum, quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli solutoque ducantur; deinde, quemadmodum tela suspensis

ponderibus rectum stamen extendat; quemadmodum subtemen insertum, quod duritiam utrimque comprimentis tramae remolliat, spatha coire cogatur et iungi; textrini quoque artem a sapientibus dixit inventam, oblitus, postea repertum hoc subtilius genus, in quo

Tela iugo iuncta est, stamen secernit arundo;
inseritur medium radiis subtemen acutis,
quod lato paviunt insecti pectine dentis.

Quid si contigisset illi addere has nostri temporis telas, quibus vestis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est? Transit deinde ad agricolas, nec minus facunde describit proscissum aratro solum, et iteratum, quo solutior terra facilius pateat radicibus; tunc sparsa semina, et conlectas manu herbas, ne quid fortuitum et agreste subcrescat, quod necet segetem. Hoc quoque opus ait esse sapientium; tamquam non nunc quoque plurima cultores agrorum nova inveniant, per quae fertilitas augeatur. Deinde non est contentus his artibus, sed in pistrinum sapientem submittit. Narrat enim, quemadmodum, rerum naturam imitatus, panem coeperit facere: *Receptas*, inquit, *in os fruges concurrens inter se duritia dentium frangit, et, quidquid excidit, ad eosdem dentes lingua refertur; tunc vero miscetur, ut facilius per fauces lubricas transeat: quum pervenit in ventrem, aqualiculi fervore concoquitur; tunc demum corpori accedit. Hoc aliquis sequutus exemplar, lapidem asperum aspero inposuit, ad similitudinem dentium, quorum pars in-*

mobilis motum alterius exspectat; deinde utriusque adtritu grana franguntur, et saepius regeruntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur. Tunc farinam aqua sparsit, et adsidua tractatione perdomuit, finxitque panem; quem primo cinis calidus et fervens testa percoxit: deinde furni paulatim reperti, et alia genera, quorum fervor serviret arbitrio. — Non multum afuit, quin sutrinum quoque inventum a sapientibus diceret.

Omnia ista ratio quidem, sed non recta ratio, commenta est. Hominis enim, non Sapientis, inventa sunt; tam mehercules, quam navigia, quibus amnes, quibusque maria transivimus, aptatis ad excipiendum ventorum impetum velis, et additis a tergo gubernaculis, quae huc atque illuc cursum navigii torqueant: exemplum a piscibus tractum est, qui cauda reguntur, et levi eius in utrumque momento velocitatem suam flectunt. *Omnia,* inquit, *haec Sapiens quidem invenit; sed minora, quam ut ipse tractaret, sordidioribus ministris dedit.* Immo non ab aliis excogitata ista sunt, quam a quibus hodieque curantur. Quaedam nostra demum prodiisse memoria scimus: ut speculariorum usum, perlucente testa clarum transmittentium lumen; ut suspensuras balneorum, et inpressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul ac summa foveret aequaliter. Quid loquar marmora, quibus templa, quibus domus fulgent? Quid lapideas moles in rotundum ac leve formatas, quibus porticus et capacia populorum tecta suscipimus?

quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, et celeritatem linguae manus sequitur? Vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt: sapientia altius sedet, nec manus edocet; animorum magistra est. Vis scire, quid illa eruerit, quid effecerit? Non dedecoros corporis motus, nec varios per tubam ac tibiam cantus, quibus exceptus spiritus, aut in exitu, aut in transitu, formatur in vocem; non arma, nec muros, nec bella: utilia molitur, paci favet, et genus humanum ad concordiam vocat. Non est, inquam, instrumentorum ad usus necessarios opifex.

Quid illi tam parvula adsignas? Artificem vides vitae. Alias quidem artes sub dominio habet; nam cui vita, illi vitae quoque ornamenta serviunt: ceterum ad beatum statum tendit; illo ducit, illo vias aperit. Quae sint mala, quae videantur, ostendit; vanitatem exuit mentibus, dat magnitudinem solidam; inflatam vero, et ex inani speciosam reprimit; nec ignorari sinit, inter magna quid intersit et tumida: totius naturae notitiam, ac suae, tradit. Quid sint Dii, qualesque, declarat; quid inferi, quid lares et genii; quid in secundam numinum formam animae perpetitae; ubi consistant, quid agant, quid possint, quid velint. Haec eius initiamenta sunt, per quae non municipale sacrum, sed ingens Deorum omnium templum, mundus ipse, reseratur; cuius vera simulacra, verasque facies cernendas mentibus protulit: nam ad spectacula tam magna hebes visus est. Ad initia deinde rerum redit, aeternamque

rationem toti inditam, et vim omnium seminum singula proprie figurantem. Tum de animo coepit inquirere, unde esset, ubi, quamdiu, in quot membra divisus. Deinde a corporibus se ad incorporalia transtulit, veritatemque et argumenta eius excussit: post haec, quemadmodum discernerentur vitae ac vocis ambigua; in utraque enim falsa veris inmixta sunt.

Non abduxit, inquam, se, ut POSIDONIO videtur, ab istis artibus Sapiens, sed ad illas omnino non venit. Nihil enim dignum inventu iudicasset, quod non erat dignum perpetuo usu iudicaturus; ponenda non sumeret. — *Anacharsis*, inquit, *invenit rotam figuli, cuius circuitu vasa formantur.* Deinde, quia apud Homerum invenitur figuli rota, mavult videri versus falsos esse, quam fabulam. Ego nec Anarcharsin auctorem huius rei fuisse contendo; et, si fuit, sapiens quidem hoc invenit, sed non tamquam sapiens; sicut multa sapientes faciunt, qua homines sunt, non qua sapientes. Puta velocissimum esse sapientem: cursu omnes anteibit, qua velox est, non qua sapiens. Cuperem POSIDONIO aliquem vitriarium ostendere, qui spiritu vitrum in habitus plurimos format, qui vix diligenti manu effingerentur. Haec inventa sunt, postquam sapientem invenire desivimus. — *Democritus*, inquit, *invenisse dicitur fornicem, ut lapidum curvatura paulatim inclinatorum medio saxo adligaretur.* — Hoc dicam falsum esse. Necesse est enim, ante Democritum et pontes et portas fuisse, quarum fere summa

curvantur. Excidit porro vobis, eumdem Democritum invenisse, quemadmodum ebur molliretur, quemadmodum decoctus calculus in smaragdum converteretur, qua hodieque coctura inventi lapides in hoc utiles colorantur. Ista sapiens licet invenerit, non, qua sapiens erat, invenit: multa enim facit, quae ab inprudentissimis aut aeque fieri vidimus, aut peritius, aut exercitatius.

Quid Sapiens investigaverit, quid in lucem protraxerit, quaeris? Primum rerum naturam; quam non, ut cetera animalia, oculis sequutus est, tardis ad divina. Deinde vitae legem; quam ad universa direxit: nec nosse tantum, sed sequi Deos docuit, et accidentia non aliter excipere, quam imperata. Vetuit parere opinionibus falsis, et, quanti quidque esset, vera aestimatione perpendit: damnavit mixtas poenitentiae voluptates, et bona semper placitura laudavit: et palam fecit, felicissimum esse, cui felicitate non opus est; potentissimum esse, qui se habet in potestate. Non de ea philosophia loquor, quae civem extra patriam posuit, extra mundum Deos, quae virtutem donavit voluptati; sed de illa, quae nullum bonum putat, nisi quod honestum est; quae nec hominis, nec fortunae muneribus deleniri potest; cuius hoc pretium est, non posse pretio capi.

Hanc philosophiam fuisse illo rudi seculo, quo adhuc artificia deerant et ipso usu discebantur utilia, non credo: sicut ante, fortunato tempore, quum in medio iacerent beneficia naturae

promiscue utenda, antequam avaritia atque luxuria dissociavere mortales, et ad rapinam ex consortio discurrere, non erant illi sapientes viri, etiamsi faciebant facienda sapientibus. Statum quidem generis humani non alium quisquam suspexerit magis; nec, si cui permittat Deus terrena formare et dare gentibus mores, aliud probaverit, quam quod apud illos fuisse memoratur, apud quos

— — — nulli subigebant arva coloni.
nec signare quidem aut partiri limite campum
fas erat: in medium quaerebant; ipsaque tellus
omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

Quid hominum illo genere felicius? In commune rerum natura fruebantur; sufficiebat illa, ut parens, in tutelam omnium: haec erat publicarum opum secura possessio. Quidni ego illud locupletissimum mortalium genus dixerim, in quo pauperem invenire non posses? Inrupit in res optime positas avaritia, et, dum seducere aliquid cupit atque in suum vertere, omnia fecit aliena et in angustum ex inmenso redacta; paupertatem intulit, et, multa concupiscendo, omnia amisit. Licet itaque velit nunc concurrere, et reparare quod perdidit; licet agros agris adiiciat, vicinum vel pretio pellat aeris, vel iniuria; licet in provinciarum spatium rura dilatet, et possessionem vocet per sua longam peregrinationem: nulla nos finium propagatio eo reducet, unde discessimus. Quum omnia fecerimus, multum habebimus: universum habebamus. Terra ipsa fertilior erat in-

laborata, et in usus populorum non diripientium larga. Quidquid natura protulerat, id non minus invenisse, quam inventum monstrare alteri, voluptas erat; nec ulli aut superare poterat, aut deesse: inter concordes dividebatur. Nondum valentior inposuerat infirmiori manum; nondum avarus, abscondendo quod sibi iaceret, alium necessariis quoque excluserat: par erat alterius, ac sui, cura. Arma cessabant, incruentaeque humano sanguine manus odium omne in feras verterant. Illi, quos aliquod nemus densum a sole protexerat, qui adversus saevitiam hiemis aut imbris vili receptaculo tuti sub fronde vivebant, placidas transigebant sine suspirio noctes. Sollicitudo nos in nostra purpura versat et acerrimis excitat stimulis: at quam mollem somnum illis dura tellus dabat! Non inpendebant caelata laquearia, sed in aperto iacentes sidera superlabebantur et insigne spectaculum noctium; mundus in praeceps agebatur, silentio tantum opus ducens. Tam interdiu illis, quam noctu, patebant prospectus huius pulcherrimae domus; libebat intueri signa, ex media coeli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia. Quidni iuvaret vagari inter tam late sparsa miracula? At vos ad omnem tectorum pavetis sonum, et, inter picturas vestras si quid increpuit, fugitis adtoniti. Non habebant domos instar urbium. Spiritus ac liber inter aperta perflatus, et levis umbra rupis aut arboris, et perlucidi fontes, rivique, non opere, nec fistula, nec ullo coacto itinere obsolefacti, sed sponte cur-

rentes, et prata sine arte formosa; inter haec agreste domicilium, rustica politum manu. Haec erat secundum naturam domus; in qua libebat habitare, nec ipsam, nec pro ipsa, timentem: nunc magna pars nostri metus tecta sunt.

Sed, quamvis egregia illis vita fuerit et carens fraude, non fuere sapientes, quando hoc iam in opere maximo nomen est. Non tamen negaverim fuisse alti spiritus viros, et, ut ita dicam, a Diis recentes: neque enim dubium est, quin meliora mundus nondum effetus ediderit. Quemadmodum autem omnibus indoles fortior fuit et ad labores paratior, ita non erant ingenia omnibus consummata. Non enim dat natura virtutem: ars est, bonum fieri. Illi quidem non aurum, nec argentum, nec perlucidos lapides [in] ima terrarum faece quaerebant, parcebantque adhuc etiam mutis animalibus: tantum aberat, ut homo hominem, non iratus, non timens, tantum spectaturus, occideret. Nondum vestis illis erat picta, nondum texebatur aurum; adhuc nec eruebatur. Quid ergo? ignorantia rerum innocentes erant: multum autem interest, utrum peccare aliquis nolit, an nesciat. Deerat illis iustitia, deerat prudentia, deerat temperantia ac fortitudo. Omnibus his virtutibus habebat similia quaedam rudis vita: Virtus non contingit animo, nisi instituto ac edocto, et ad summum adsidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem, sed sine hoc, nascimur: et in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est. Vale.

EPISTOLA XCI.

Lugdunensis coloniae incendium tristè, et subitum: ea inlectione, cogitandum de inopinatis, et quae homini possunt accidere. Ponit ante oculos incerta et fluxa haec rerum: maxima et firmissima minui, mutari, subduci, terrae motu, aquis, flammis. Omnia mortalia morte damnata esse. Ergo nec istam homini, nec infamiam timenda.

SENECA Lucilio suo Salutem.

LIBERALIS noster nunc tristis est, nuntiato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est. Movere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patriae suae amantissimum. Quae res effecit, ut firmitatem animi sui quaerat; quam videlicet ad ea, quae timeri posse putabat, exercuit. Hoc vero tam inopinatum malum, et paene inauditum, non miror si sine metu fuit, quum esset sine exemplo: multas enim civitates incendium vexavit, nullam abstulit. Nam etiam ubi hostili manu in tecta ignis inmissus est, multis locis defecit; et, quamvis subinde excitetur, raro tamen sic cuncta depascitur, ut nihil ferro relinquat. Terrarum quoque vix umquam tam gravis et perniciosus fuit motus, ut tota oppida everteret. Numquam denique tam infestum ulli exarsit incendium, ut nihil alteri superesset incendio. Tot pulcherrima opera, quae singula inlustrare urbes singulas possent, una nox stravit: et in tanta pace, quantum ne bello quidem timeri potest, accidit. Quis hoc credat? ubique armis quiescentibus, quum toto orbe terrarum diffusa securitas sit, Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia,

quaeritur! Omnibus fortuna, quos publice adflixit, quod passuri erant timere permisit; nulla res magna non aliquod habuit ruinae suae spatium: in hac, una nox interfuit inter urbem maximam, et nullam. Denique diutius illam tibi perisse, quam periit, narro. Haec omnia Liberalis nostri adfectum inclinant, dum adversus sua firmum et erectum. Nec sine causa concussus est: inexspectata plus adgravant; novitas adiicit calamitatibus pondus: nec quisquam mortalium non magis, quod etiam miratus est, doluit.

Ideo nihil nobis inprovisum esse debet. In omnia praemittendus est animus, cogitandumque, non quidquid solet, sed quidquid potest fieri. Quid enim est, quod non fortuna, quum voluit, ex florentissimo detrahat? quod non eo magis adgrediatur et quatiat, quo speciosius fulget? Quid illi arduum, quidve difficile est? Non una via semper, ne tota quidem, incurrit. Modo nostras in nos manus advocat; modo, suis contenta viribus, invenit pericula sine auctore. Nullum tempus exceptum est; in ipsis voluptatibus caussae doloris oriuntur. Bellum in media pace consurgit, et auxilia securitatis in metum transeunt; ex amico inimicus, hostis ex socio. In subitas tempestates, hibernisque maiores, agitur aestiva tranquillitas. Sine hoste patimur hostilia; et cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas invenit. Invadit temperantissimos morbus, validissimos phthisis, innocentissimos poena, secretissimos tumultus. Eligit aliquid novi casus, per quod

velut oblitis vires suas ingerat. Quidquid longa series multis laboribus, multa Deûm indulgentia, struxit, id unus dies spargit ac dissipat. Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit: hora, momentumque temporis, evertendis imperiis suffecere! Esset aliquod inbecillitatis nostrae solatium rerumque nostrarum, si tam tarde perirent cuncta, quam fiunt; nunc incrementa lente exeunt, festinatur in damnum. Nihil privatim, nihil publice stabile est; tam hominum, quam urbium, fata volvuntur. Inter placidissima terror exsistit; nihilque extra tumultuantibus causis, mala, unde minime exspectabantur, erumpunt. Quae domesticis bellis steterant regna, quae externis, inpellente nullo ruunt. Quotaquaeque felicitatem civitas pertulit?

Cogitanda ergo sunt omnia, et animus adversus ea, quae possunt evenire, firmandus. Exsilia, tormenta, bella, morbos, naufragia meditare! Potest te patriae, potest patriam tibi casus eripere; potest te in solitudinem abiicere; potest hoc ipsum, in quo turba suffocatur, fieri solitudo. Tota ante oculos sortis humanae conditio ponatur; nec, quantum frequenter evenit, sed quantum plurimum potest evenire, praesumamus animo, si nolumus opprimi, nec ullis inusitatis velut novis obstupefieri. In plenum cogitanda fortuna est! Quotiens Asiae, quotiens Achaiae urbes uno tremore ceciderunt? quot oppida in Syria? quot in Macedonia devorata sunt? Cyprum quotiens vastavit haec clades? quotiens in se Pa-

phus conruit? Frequenter nobis nuntiati sunt totarum urbium interitus; et nos, inter quos frequenter ista nuntiantur, quota pars omnium sumus? Consurgamus itaque adversus fortuita, et, quidquid inciderit, sciamus non esse tam magnum, quam rumore iactetur. Civitas arsit opulenta, ornamentumque provinciarum, quibus et inserta erat et excepta; uni tantum inposita, et huic non altissimo, monti. Omnium istarum civitatium, quas nunc magnificas ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. Non vides, quemadmodum in Achaia clarissimarum urbium iam fundamenta consumta sint, nec quidquam exstet, ex quo adpareat illas saltem fuisse? Non tantum manu facta labuntur; non tantum humana arte atque industria posita vertit dies: iuga montium diffluunt; totae desedere regiones; operta sunt fluctibus, quae procul a conspectu maris stabant; vastavit ignis colles per quos relucebat, erosit et quondam altissimos vertices, solatia navigantium, ac speculas ad humile deduxit. Ipsius naturae opera vexantur, et ideo aequo animo ferre debemus urbium excidia. Casura exstant; omnes hic exitus manet: sive interna vis, flatusque praeclusi violentia, pondus, sub quo tenentur, excusserint; sive torrentium in abdito vastior obstantia effregerit; sive flammarum violentia compaginem soli ruperit; sive vetustas, in qua nihil tutum est, expugnaverit minutatim; sive gravitas coeli eiecerit populos, et situs deserta conruperit. Enumerare omnes fatorum vias, longum

est. Hoc unum scio: omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt; inter peritura vivimus.

Haec ergo atque eiusmodi solatia admoveo Liberali nostro, incredibili quodam patriae suae amore flagranti; quae fortasse consumta est, ut in melius excitaretur. Saepe maiori fortunae locum fecit iniuria; multa ceciderunt, ut altius surgerent et in maius. Timagenes, felicitati Urbis inimicus, aiebat, Romae sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quam arsissent. In hac quoque urbe verisimile est certaturos omnes esse, ut maiora certioraque, quam amisere, restituant. Sint utinam diuturna, et melioribus auspiciis in aevum longius condita! Nam huic coloniae ab origine sua centesimus annus est, aetas ne homini quidem extrema. A Planco deducta, in hanc frequentiam, loci opportunitate, convaluit; quae tamen gravissimos casus intra spatium humanae pertulit senectutis.

Itaque formetur animus ad intellectum patientiamque sortis suae, et sciat nihil inausum esse fortunae; adversus imperia illam idem habere iuris, quod adversus imperantes; adversus urbes idem posse, quod adversus homines. Nihil horum indignandum est: in eum intravimus mundum, in quo his legibus vivitur. Placet? pare! non placet? quacumque vis, exi! Indignare, si quid in te iniqui proprie constitutum est: sed si haec summos imosque necessitas adligat, in gratiam cum fato revertere, a quo omnia resolvuntur. Non est quod nos tumulis metiaris, et his

monumentis, quae viam disparia praetexunt; aequat omnes cinis: inpares nascimur, pares morimur. Idem de urbibus, quod de urbium incolis dico; tam Ardea capta, quam Roma est. Conditor ille iuris humani non natalibus nos, nec nominum claritate, distinxit, nisi dum sumus. Ubi vero ad finem mortalium ventum est: *Discede*, inquit, *ambitio! omnium, quae terram premunt, siremps lex esto.* Ad omnia patienda pares sumus: nemo altero fragilior est, nemo in crastinum sui certior. Alexander Macedonum rex discere geometriam coeperat; infelix! sciturus quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupaverat: ita dico, *infelix*, ob hoc, quod intelligere debebat falsum se gerere cognomen; quis enim esse magnus in pusillo potest? Erant illa quae tradebantur, subtilia, et diligenti intentione discenda: non quae percipere posset vesanus homo, et trans oceanum cogitationes suas mittens.

Facilia, inquit, *me doce!* — Cui praeceptor: *Ista*, inquit, *omnibus eadem sunt, aeque difficilia.* — Hoc puta rerum Naturam dicere: *Ista, de quibus quereris, omnibus eadem sunt; nulli dari faciliora possunt: sed, quisquis volet, sibi ipsi illa reddet faciliora.* Quomodo? Aequanimitate. Et doleas oportet, et sitias, et esurias, et senescas, si tibi longior contigerit inter homines mora, et aegrotes, et perdas aliquid, et pereas. Non est tamen quod istis, qui te circumstrepunt, credas; nihil horum malum est, nihil intolerabile, aut durum. Ex consensu istis metus est: sic mortem

times, quomodo famam. Quid autem stultius homine verba metuente? Eleganter DEMETRIUS noster solet dicere, *eodem loco sibi esse voces inperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim*, inquit, *mea refert, sursum isti an deorsum sonent?* — Quanta dementia est, vereri ne infameris ab infamibus? Quemadmodum famam extimuistis sine causa, sic et illa, quae numquam timeretis, nisi fama iussisset. Num quid detrimenti faceret vir bonus iniquis rumoribus sparsus? Ne morti quidem hoc apud nos noceat: et haec malam auditionem habet. Nemo eorum, qui illam accusant, expertus est: interim temeritas est, damnare quod nescias. At illud scis, quam multis utilis sit, quam multos liberet tormentis, egestate, querelis, suppliciis, taedio. Non sumus in ullius potestate, quum mors in nostra potestate sit. Vale.

EPISTOLA XCII.

Rationem in homine dominari, et huc omnia referri, et in ea perfecta Beatam vitam esse. Externa leve, aut nullum, pondus habere. Utique voluptatem non facere momentum, irrationalium bonum. Et posse tamen sumi externa, quae secundum Naturam sunt; sed iudicio: et hoc tunc in iis Bonum esse, bene eligi. Nihilominus et sine iis, sola Virtute beatum, immo Beatissimum aliquem esse. Accedere haec posse; non tamen augere addita, nec minuere detracta Beatitatem: in quam nec Tempus aliquid potest. Deo adsimilemur, ad illum eamus.

SENECA Lucilio suo Salutem.

PUTO, inter me teque conveniet, externa corpori adquiri, corpus in honorem animi coli; in animo esse partes ministras, per quas movemur

alimurque, propter ipsum principale nobis datas. In hoc principali est aliquid inrationale, est et rationale. Illud huic servit; hoc unum est, quod alio non refertur, sed omnia ad se perfert. Nam illa quoque divina ratio omnibus praeposita est, ipsa sub nullo est; et haec autem nostra eadem est, quae ex illa est. Si de hoc inter nos convenit, sequitur ut de illo quoque conveniat, in hoc uno positam esse beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta sit. Haec enim sola non submittit animum; stat contra fortunam; in quolibet rerum habitu securos servat. Id autem unum bonum est, quod numquam defringitur. Is est, inquam, beatus, quem nulla res minorem facit; tenet summa, et ne ulli quidem, nisi sibi, est innixus: nam qui aliquo auxilio sustinetur, potest cadere. Si aliter est, incipient multum in nobis valere non nostra. Quis autem vult constare fortuna, aut quis se prudens ob aliena miratur? Quid est beata vita? securitas et perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi magnitudo; dabit constantia bene iudicati tenax. Ad haec quomodo pervenitur? si veritas tota perspecta est; si servatus est in rebus agendis ordo, modus, decor, innoxia voluntas ac benigna, intenta rationi, nec umquam ab illa recedens, amabilis simul, mirabilisque. Denique, ut breviter tibi formulam scribam, talis animus esse sapientis viri debet, qualis Deum deceat. Quid potest desiderare is, cui omnia honesta contingunt? Nam si possunt aliquid non honesta conferre ad optimum statum, in his erit beata vita

sine quibus non est. Et quid stultius, turpiusve, quam bonum rationalis animi ex inrationalibus nectere?

Quidam tamen augeri summum bonum iudicant, quia parum plenum sit fortuitis repugnantibus. ANTIPATER quoque, inter magnos sectae huius auctores, *aliquid se tribuere* dixit *externis, sed exiguum admodum.* Vides autem quale sit, die non esse contentum, nisi aliquis igniculus adluxerit? Quod potest in hac claritate solis habere scintilla momentum? Si non es sola honestate contentus, necesse est aut quietem adiici velis, quam ἀοχλησίαν vocant Graeci, aut voluptatem. Horum alterum utcumque recipi potest; vacat enim animus molestia, liber ad inspectum universi, nihilque illum avocat a contemplatione naturae: alterum illud, voluptas, bonum pecoris est. Adiicimus rationali inrationale, honesto inhonestum. [Magnam voluptatem] facit titillatio corporis: quid ergo dubitatis dicere, bene esse homini, si palato bene est? Et hunc tu, non dico inter viros numeras, sed inter homines, cuius summum bonum saporibus, et coloribus, et sonis constat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo, ac Diis secundo; mutis adgregetur, animal pabulo laetum! Inrationalis pars animi duas habet partes: alteram animosam, ambitiosam, inpotentem, positam in adfectionibus; alteram humilem, languidam, voluptatibus deditam. Illam effrenatam, meliorem tamen, certe fortiorem ac digniorem viro, reliquerunt; hanc necessariam beatae vitae

putaverunt, innervem et abiectam. Huic rationem servire iusserunt, et fecerunt animalis generosissimi bonum, demissum et ignobile; praeterea mixtum, portentosumque, et ex diversis ac male congruentibus membris. Nam, ut ait VIRGILIUS noster, — *in Scylla*

Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
pube tenus; postrema inmani corpore pistrix,
delphinum caudas utero commissa luporum.

Huic tamen Scyllae fera animalia iuncta sunt, horrenda, velocia: at isti Sapientiam ex quibusnam composuere portentis? *Prima hominis pars est ipsa virtus: huic committitur inutilis caro, et fluida, et receptandis tantum cibis habilis,* ut ait POSIDONIUS. Virtus illa divina in lubricum desinit, et superioribus partibus venerandis atque coelestibus animal iners ac marcidum adtexitur. Illa, utcumque alta, quies nihil quidem ipsa praestabat animo, sed inpedimenta removebat; voluptas ultro dissolvit, et omne robur emollit. Quae invenietur tam discors inter se iunctura corporum? Fortissimae rei inertissima adstruitur; severissimae parum seria; sanctissimae intemperans usque ad incesta.

Quid ergo, inquit, si virtutem nihil inpeditura sit bona valitudo, et quies, et dolorum vacatio; non petes illas? — Quidni petam? non quia bona sunt, sed quia secundum naturam sunt, et quia bono a me iudicio sumentur. Quod erit tunc in illis bonum? hoc unum, bene eligi. Nam quum vestem, qualem decet, sumo, quum ambulo ut

oportet, quum coeno quemadmodum debeo; non coena, aut ambulatio, aut vestis bona sunt, sed meum in his propositum, servantis in quaque re rationi convenientem modum. Etiam nunc adiiciam: mundae vestis electio adpetenda est homini; natura enim homo mundum et elegans animal est. Itaque non est bonum per se munda vestis, sed mundae vestis electio; quia non in re bonum est, sed in electione, quali actiones nostrae honestae sunt, non ipsa quae aguntur. Quod de veste dixi, idem me dicere de corpore existima. Nam hoc quoque natura, ut quamdam vestem, animo circumdedit; velamentum eius est. Quis autem umquam vestimenta aestimavit arcula? Nec bonum, nec malum vagina gladium fecit. Ergo de corpore quoque idem tibi respondeo; sumturum quidem me, si detur electio, et sanitatem et vires; bonum autem futurum iudicium de illis meum, non ipsa.

Est quidem, inquit, Sapiens beatus; summum tamen illud bonum non consequitur, nisi illi et naturalia instrumenta respondeant. Ita miser quidem esse, qui Virtutem habet, non potest: beatissimus autem non est, qui naturalibus bonis destituitur, ut valitudine, ut membrorum integritate. — Quod incredibilius videtur, id concedis, aliquem in maximis et continuis doloribus non esse miserum, esse etiam beatum; quod levius est, negas, beatissimum esse. Atqui, si potest Virtus efficere, ne miser aliquis sit, facilius efficiet, ut beatissimus sit: minus enim intervalli a beato ad

beatissimum restat, quam a misero ad beatum. An, quae res tantum valet, ut ereptum calamitatibus inter beatos locet, non potest adiicere quod superest, ut beatissimum faciat? in summo deficit clivo? Commoda sunt in vita, et incommoda; utraque extra nos. Si non est miser vir bonus, quamvis omnibus prematur incommodis; quomodo non est beatissimus, si aliquibus commodis deficitur? Nam quemadmodum incommodorum onere usque ad miserum non deprimitur, sic commodorum inopia non deducitur a beatissimo; sed tam sine commodis beatissimus est, quam non est sub incommodis miser: aut potest illi eripi bonum suum, si potest minui. Paulo ante dicebam, igniculum nihil conferre lumini solis; claritate enim eius, quidquid sine illo luceret, absconditur. — Sed quaedam, inquit, soli quoque obstant. — At solis vis et lux integra est, etiam inter opposita; et, quamvis aliquid interiacet, quod nos prohibeat eius adspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quotiens inter nubila luxit, non est sereno minor, ne tardior quidem; quoniam multum interest, utrum aliquid obstet tantum, an inpediat. Eodem modo Virtuti opposita nihil detrahunt. Non est minor, sed minus fulget: nobis forsitan non aeque adparet ac nitet; sibi eadem est, et, more solis obscuri, in occulto vim suam exercet. Hoc itaque adversus Virtutem possunt calamitates, et damna, et iniuriae, quod adversus solem potest nebula.

Invenitur qui dicat, Sapientem corpore parum

prospero usum, nec miserum esse, nec beatum. Hic quoque fallitur: exaequat enim fortuita virtutibus, et tantumdem tribuit honestis, quantum honestate carentibus. Quid autem foedius, quid indignius, quam comparari veneranda contemtis? Veneranda enim sunt, iustitia, pietas, fides, fortitudo, prudentia: e contrario vilia sunt, quae saepe contingunt pleniora vilissimis, crus solidum, et lacertus, et dentes, et horum sanitas firmitasque. Deinde si sapiens, cui corpus molestum est, nec miser habebitur, nec beatus, sed medio relinquetur; vita quoque eius nec adpetenda erit, nec fugienda. Quid autem tam absurdum, quam sapientis vitam adpetendam non esse? aut quid tam extra fidem, quam esse aliquam vitam nec adpetendam, nec fugiendam? Deinde, si damna corporis miserum non faciunt, beatum esse patiuntur. Nam quibus potentia non est in peiorem transferendi statum, ne interpellandi quidem optimum. — Frigidum, inquit, aliquid, et calidum novimus; inter utrumque tepidum est: sic aliquis beatus est, aliquis miser; aliquis nec miser, nec beatus. — Volo hanc contra nos positam imaginem excutere. Si tepido illi plus frigidi ingessero, fiet frigidum; si plus calidi adfudero, fiet novissime calidum. At huic, nec misero nec beato, quantumcumque ad miserias adiecero, miser non erit, quemadmodum dicitis: ergo imago ista dissimilis est. Deinde trado tibi hominem nec miserum nec beatum: huic adiicio caecitatem, non fit miser; adiicio debilitatem,

non fit miser; adiicio dolores continuos et graves, miser non fit: Quem tam multa mala in miseram vitam non transferunt, ne ex beata quidem educunt. Si non potest, ut dicitis, sapiens ex beato in miserum decidere, non potest in non beatum. Quare enim, qui illâ coepit, alicubi subsistat? Quae res illum non patitur ad imum devolvi, retinet in summo. Quidni non possit beata vita rescindi? ne remitti quidem potest: et ideo Virtus ad illam per se ipsa satis est. — Quid ergo? inquit, Sapiens non est beatior, qui diutius vixit, quem nullus avocavit dolor, quam ille, qui cum mala fortuna semper luctatus est? — Responde mihi: Numquid et melior est, et honestior? si haec non sunt, ne beatior quidem est. Rectius vivat oportet, ut beatius vivat: si rectius non potest, ne beatius quidem. Non intenditur Virtus; ergo ne beata quidem vita, quae ex virtute est. Virtus enim tantum bonum est, ut istas accessiones minutas non sentiat, brevitatem aevi, et dolorem, et corporis varias offensiones. Nam voluptas non est digna, ad quam respiciat. Quid est in Virtute praecipuum? futuro non indigere, nec dies suos computare: in quantulo libet tempore bona aeterna consummat.

Incredibilia nobis haec videntur, et supra humanam naturam excurrentia: maiestatem enim eius ex nostra inbecillitate metimur, et vitiis nostris nomen virtutis inponimus. Quid porro, non aeque incredibile videtur, aliquem in summis cruciatibus positum, dicere: Beatus sum? Atqui

haec vox in ipsa officina voluptatis audita est. *Beatissimum*, inquit, *hunc et ultimum diem ago*. EPICURUS, quum illum hinc urinae difficultas torqueret, hinc insanabilis exulcerati dolor ventris. Quare ergo incredibilia ista sint apud eos, qui virtutem colunt; quum apud eos quoque reperiantur, apud quos voluptas imperavit? Hi quoque degeneres, et humillimae mentis, aiunt, in summis doloribus, in summis calamitatibus, sapientem nec miserum futurum, nec beatum. Atqui hoc quoque incredibile est, immo incredibilius. Non video enim, quomodo non in infimum agatur e fastigio suo deiecta virtus. Aut beatum praestare debet; aut, si ab hoc depulsa est, non prohibebit fieri miserum. Stans non potest mitti: aut vincatur oportet, aut vincat. — Diis, inquit, inmortalibus solis et virtus et beata vita contigit; nobis umbra quaedam illorum bonorum et similitudo: accedimus ad illa, non pervenimus. — Ratio vero Diis hominibusque communis est: haec in illis consummata est, in nobis consummabilis. Sed ad desperationem nos vitia nostra perducunt. Nam ille alter secundus est ut aliquis parum constans ad custodienda optima, cuius iudicium labat etiamnunc et incertum est. Desideret oculorum atque aurium sensum, bonam valitudinem, et non foedum adspectum corporis, et habitu manentem suo, aetatis praeterea longius spatium! per hanc potest non poenitenda agitare. Inperfecto viro huic malitiae vis quaedam inest: quia animum habet mobilem, ad prava illum

agit haerens malitia, et ea agitata abest de bono. Non est adhuc bonus, sed in bonum fingitur; cuicumque autem deest aliquid ad bonum, malus est.

Sed, si cui virtus animusque in corpore praesens, hic Deos aequat; illo tendit, originis suae memor. Nemo inprobe eo conatur adscendere, unde descenderat. Quid est autem, cur non existimes in eo divini aliquid exsistere, qui Dei pars est? Totum hoc, quo continemur, et unum est, et Deus: et socii sumus eius, et membra. Capax est noster animus; perfertur illo, si vitia non deprimant. Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur, et spectat in coelum: ita animus, cui, in quantum vult, licet porrigi, in hoc a natura rerum formatus est, ut paria Diis velit, etsi utatur suis viribus, ac se in spatium suum extendat. Non aliena via ad summa nititur; magnus erat labor, ire in coelum: redit! in hoc iter natus est. Vadit audaciter, contemtor omnium; nec ad pecuniam respicit: aurum argentumque, illis, in quibus iacuere, tenebris dignissima, non ab hoc aestimat splendore, quo inperitiorum verberant oculos, sed a vetere coeno, ex quo illa secrevit cupiditas nostra et effodit. Scit, inquam, alioubi positas esse divitias, quam quo congeruntur; animum inpleri debere, non arcam. Hunc inponere dominio rerum omnium licet, hunc in possessionem rerum naturae inducere, ut sua Orientis Occidentisque terminis finiat, Deorumque ritu cuncta possideat; quum opibus suis divites superne despiciat, quorum nemo tam suo laetus

est, quam tristis alieno. Quum se in hanc sublimitatem tulit, corporis quoque, velut oneris necessarii, non amator, sed procurator est; nec se illi, cui inpositus est, subiicit. Nemo liber est, qui corpori servit. Nam, ut alios dominos, quos nimia pro illo sollicitudo invenit, transeas, ipsius morosum imperium delicatumque est. Ab hoc, modo aequo animo exit, modo magno prosilit; nec, quis deinde reliquiis eius futurus sit exitus, quaerit. Sed, ut ex barba capillos detonsos negligimus; ita ille divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an terra contegat, an ferae distrahant, non magis ad se iudicat pertinere, quam secundas ad editum infantem. Utrum proiectum aves differant, an consumatur

— — *canibus data praeda marinis.*

quid ad illum? Qui tunc quoque, quum inter homines est, nullas minas timet; ullasne timebit post mortem minas eorum, quibus usque ad mortem timeri parum est? Non conterret, inquit, me nec uncus, nec proiecti ad contumeliam cadaveris laceratio, foeda visuris. Neminem de supremo officio rogo; nulli reliquias meas commendo: ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem saevitia proiecerit, dies condet. Diserte MAECENAS ait:

Nec tumulum curo; sepelit natura relictos!

Alte cinctum putes dixisse: habuit enim ingenium et grande et virile, nisi illud secum discinxisset. Vale.

EPISTOLA XCIII.

De morte Philosophi Metronactis, qui iuvenis obiit. Parum id refert: et vita non spatio, sed actu metienda est. Omnis bona ea, longa: denique nihil hic longum.

Seneca Lucilio suo Salutem.

In epistola, qua de morte Metronactis philosophi querebaris, tamquam et potuisset diutius vivere, et debuisset, aequitatem tuam desideravi; quae tibi in omni persona, in omni negotio superest; in una re deest, in qua omnibus. Multos inveni aequos adversus homines; adversus Deos neminem. Obiurgamus quotidie fatum: Quare ille in medio cursu raptus est? quare ille non rapitur? quare senectutem et sibi et aliis gravem extendit? Utrum, obsecro te, aequius iudicas, te naturae, an tibi parere naturam? Quid autem interest, quam cito exeas, unde utique exeundum est? Non, ut diu vivamus, curandum est, sed ut satis. Nam, ut diu vivas, fato opus est; ut satis, animo. Longa est vita, si plena est: inpletur autem, quum animus sibi bonum suum reddidit, et ad se potestatem sui transtulit. Quid illum octoginta anni iuvant per inertiam exacti? non vixit iste, sed in vita moratus est; nec sero mortuus est, sed diu. Octoginta annis vixit! Interest, mortem eius ex quo die numeres. — At ille obiit viridis! — Sed officia boni civis, boni amici, boni filii, exsequutus est; in nulla parte cessavit. Licet eius aetas inperfecta sit, vita perfecta est. Octoginta annis vixit! Immo octoginta annis *fuit!* nisi

forte sic *vixisse* eum dicis, quomodo dicuntur arbores vivere. Obsecro te, Lucili, hoc agamus, ut, quemadmodum pretiosa rerum, sic vita nostra non pateat multum, sed multum pendat. Actu illam metiamur, non tempore. Vis scire, quid inter hunc intersit vegetum contemtoremque fortunae, functum omnibus vitae humanae stipendiis, atque in summum bonum eius evectum; et illum, cui multi anni transmissi sunt? Alter post mortem quoque est; alter ante mortem periit. Laudemus itaque, et in numero felicium reponamus eum, cui, quantulumcumque temporis contigit, bene conlocatum est. Vidit enim veram lucem, non fuit unus e multis: et vixit, et viguit: aliquando sereno usus est; aliquando, ut solet, validi sideris fulgor per nubila emicuit. Quid quaeris, quamdiu vixerit? vixit: ad posteros usque transsilivit, et se in memoriam dedit. — Nec ideo mihi plures annos accedere recusaverim; nihil tamen mihi ad beatam vitam defuisse dicam, si spatium eius inciditur. Non enim ad eum diem me aptavi, quem ultimum mihi spes avida promiserat; sed nullum non tamquam ultimum adspexi. Quid me interrogas, quando natus sim? an inter iuniores adhuc censear? Habeo meum. Quemadmodum in minore corporis habitu potest homo esse perfectus; sic et in minore temporis modo potest vita esse perfecta. Aetas inter externa est. Quamdiu sim, alienum est: quamdiu vero sum, vir bonus ut sim, meum est. Hoc a me exi-

ge, ne velut per tenebras aevum ignobile emetiar; ut agam vitam, non ut praetervehar.

Quaeris, quod sit amplissimum vitae spatium? Usque ad Sapientiam vivere! Qui ad illam pervenit, adtigit non longissimum finem, sed maximum. Ille vero glorietur audacter, et Diis agat gratias; interque eos sibi et rerum naturae imputet, quod fuit. Merito enim imputabit: meliorem illi vitam reddidit, quam accepit. Exemplar boni viri posuit; qualis quantusque esset, ostendit: si quid adiecisset, fuisset simile praeterito. Et tamen, quousque vivimus? Omnium rerum cognitione fruiti sumus. Scimus, a quibus principalis natura se adtollat; quemadmodum ordinet mundum; per quas vices annum revocet; quemadmodum omnia, quae usquam erant, cluserit, et seipsam finem sui fecerit. Scimus, sidera impetu suo vadere; praeter terram nihil stare; cetera continua velocitate decurrere. Scimus, quemadmodum solem luna praetereat; quare tardior velociorem post se relinquat; quomodo lumen accipiat, aut perdat; quae causa inducat noctem, quae reducat diem. Illuc eundum est, ubi ista propius adspicias. — Nec hac spe, inquit Sapiens, illo fortius exeo, quod patere mihi ad Deos meos iter iudico. Merui quidem admitti, et iam inter illos fui; animumque illo meum misi, et ad me illi suum miserant. Sed tolli me de medio puta, et post mortem nihil ex homine restare; aeque magnum animum habeo, etiam si nusquam transiturus excedo. — Non tam multis vixit annis,

quam potuit! — Et paucorum versuum liber est, et quidem laudandus, atque utilis. Annales Tanusii scis quam ponderosi sint, et quid vocentur. Hoc est vita quorumdam longa, quod Tanusii sequitur Annales. Numquid feliciorem iudicas eum, qui summo die muneris, quam eum, qui medio occiditur? numquid aliquem tam stulte cupidum esse vitae putas, ut iugulari in spoliario, quam in arena malit? Non maiore spatio alter alterum praecedimus. Mors per omnes it: qui occidit, consequitur occisum. Minimum est, de quo sollicitissime agitur. Quid autem ad rem pertinet, quamdiu vites quod evitare non possis? Vale.

EPISTOLA XCIV.

Dissertatio, utrum Dogmatica, an Paraenetica pars Philosophiae utilior? et an altera sine altera sufficiat? Aristo priorem praefert, et solam admittit; eiusque hic argumenta: alii et alteram adiungunt, ac magnos eius usus ostendunt: et Seneca diducit eleganter, argute, fructuose. Lege, et oblectare.

SENECA Lucilio suo Salutem.

EAM partem Philosophiae, quae dat propria cuique personae praecepta, nec in universum componit hominem, sed marito suadet, quomodo se gerat adversus uxorem; patri, quomodo educet liberos; domino, quomodo servos regat; quidam solam receperunt, ceteras quasi extra utilitatem nostram vagantes reliquerunt: tamquam quis possit de parte suadere, nisi qui summam prius totius vitae complexus est. Sed ARISTON Stoicus contrario hanc partem levem existimat, et quae

non descendat in pectus usque. Ad illam habentem praecepta plurimum ait proficere ipsa decreta philosophiae constitutionemque summi boni; quam qui bene intellexit ac didicit, quid in quaque re faciendum sit, sibi ipse praecepit. Quemadmodum, qui iaculari discit, destinatum locum captat, et manum format ad dirigenda quae mittit; quum hanc vim ex disciplina et exercitatione percepit, quocumque vult, illa utitur: (didicit enim non hoc aut illud ferire, sed quodcumque voluerit:) sic, qui se ad totam vitam instruxit, non desiderat particulatim admoneri, doctus in totum; non enim quomodo cum uxore aut cum filio viveret, sed quomodo bene viveret: in hoc est et quomodo cum uxore ac liberis vivat. CLEANTHES utilem quidem indicat et hanc partem, sed inbecillam; nisi ab universo fluit, nisi decreta ipsa philosophiae et capita cognovit.

In duas ergo quaestiones locus iste dividitur: Utrum utilis, an inutilis sit; et an solus virum bonum possit efficere, id est, utrum supervacuus sit, an omnes faciat supervacuos. Qui hanc partem videri volunt supervacuam, hoc aiunt: Si quid oculis oppositum moratur aciem, removendum est: illo quidem obiecto operam perdidit, qui praecepit: *Sic ambulabis, illo manum porriges!* Eodem modo, ubi aliqua res obcaecat animum, et ad officiorum dispiciendum ordinem inpedit, nihil agit, qui praecepit: *Sic vives cum patre, sic cum uxore.* Nihil enim proficient praecepta, quamdiu menti error obfusus est: si ille discutitur, ad-

parebit quid cuique debeatur officio. Alioquin doces illum, quid sano faciendum sit, non efficis sanum. Pauperi, ut agat divitem, monstras; hoc quomodo manente paupertate fieri potest? Ostendis esurienti, quid tamquam satur faciat; fixam potius medullis famem detrahe. Idem tibi de omnibus vitiis dico: ipsa removenda sunt; non praecipiendum, quod fieri illis manentibus non potest. Nisi opiniones falsas, quibus laboramus, expuleris; nec avarus, quomodo pecunia utendum sit, exaudiet; nec timidus, quomodo periculosa contemnat. Efficias oportet, ut sciat, pecuniam nec bonum, nec malum esse; ostendas illi miserrimos divites: efficias, ut, quidquid publice expavimus, sciat non esse tam timendum quam fama circumfert, nec dolere quoque, nec mori. Saepe in morte, quam pati lex est, magnum esse solatium, quod ad neminem redit; in dolore pro remedio futuram obstinationem animi, qui levius sibi facit quidquid contumaciter passus est. Optimam doloris esse naturam, quod non potest, nec, qui extenditur, magnus esse; nec, qui est magnus, extendi. Omnia fortiter excipienda, quae nobis mundi necessitas imperat. His decretis quum illum in conspectum suae conditionis adduxeris, et cognoverit beatam esse vitam, non quae secundum voluptatem est, sed secundum naturam; quum virtutem unicum bonum hominis adamaverit, turpitudinem solum malum fugerit; reliqua omnia, divitias, honores, bonam valitudinem, vires, imperia, scierit esse mediam partem,

nec bonis adnumerandam, nec malis: monitorem non desiderabit ad singula, qui dicat, *Sic incede, sic coena! Hoc viro, hoc feminae, hoc marito, hoc caelibi convenit!* Ista enim qui diligentissime monent, ipsi facere non possunt. Haec paedagogus puero, haec avia nepoti praecipit; et, irascendum non esse, magister iracundissimus disputat. Si ludum literarium intraveris, scies, ista, quae ingenti supercilio philosophi iactant, in puerili esse praescripto.

Utrum deinde manifesta, an dubia praecipies? Non desiderant manifesta monitorem; praecipienti dubia non creditur: supervacuum est ergo praecipere. Id adeo sic disce. Si id mones, quod obscurum est et ambiguum, probationibus adiuvandum erit: si probaturus es, illa, per quae probas, plus valent, satisque per se sunt. *Sic amico utere, sic cive, sic socio!* Quare? *quia iustum est.* Omnia ista mihi *de Iustitia* locus tradit. Illic invenio aequitatem per se expetendam, nec metu nos ad illam cogi, nec mercede conduci; non esse iustum, cui quidquam in hac virtute placet, praeter ipsam. Haec quum persuasi mihi et perbibi, quid ista praecepta proficiunt, quae eruditum docent? Praecepta dare scienti, supervacuum est; nescienti, parum. Audire enim debet, non tantum quid sibi praecipiatur, sed etiam quare. Utrum, inquam, veras opiniones habenti de bonis malisque sunt necessaria, an non habenti? Qui non habet, nihil a te adiuvabitur; aures eius contraria monitionibus tuis fama possedit: qui habet

exactum iudicium de fugiendis petendisque, scit quid sibi faciendum sit, etiam te tacente. Tota ergo pars ista philosophiae submoveri potest.

Duo sunt, propter quae delinquimus: aut inest animo pravis opinionibus malitia contracta; aut, etiam si non est falsis occupatus, ad falsa proclivis est, et cito, specie quo non oportet trahente, conrumpitur. Itaque debemus aut percurare mentem aegram, et vitiis liberare; aut vacantem quidem, sed ad peiora pronam, praeoccupare. Utrumque decreta philosophiae faciunt: ergo tale praecipiendi genus nil agit.

Praeterea, si praecepta singulis damus, incomprehensibile opus est. Alia enim dare debemus feneranti, alia colenti agrum, alia negotianti, alia regum amicitias sequenti; alia pares, alia inferiores amaturo. In matrimonio praecipies, quomodo vivat cum uxore aliquis, quam virginem duxit; quomodo cum ea, quae alicuius ante matrimonium experta est; quemadmodum cum locuplete; quemadmodum cum indotata. An non putas aliquid esse discriminis inter sterilem et fecundam, inter provectiorem et puellam, inter matrem et novercam? Omnes species complecti non possumus: atqui singulae propria exigunt. Leges autem philosophiae breves sunt, et omnia adligant. Adiice nunc, quod sapientiae praecepta finita esse debent, et certa: si qua finiri non possunt, extra sapientiam sunt; sapientia rerum terminos novit. Ergo ista praeceptiva pars submovenda est: quia, quod paucis promittit, praestare

omnibus non potest: sapientia autem omnes tenet. Inter insaniam publicam, et hanc, quae medicis traditur, nihil interest; nisi quod haec morbo laborat, illa opinionibus falsis. Altera causas furoris traxit ex valitudine; altera, animi mala valitudo est. Si quis furioso praecepta det, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico se gerere, quomodo in privato; erit ipso, quem monebit, insanior: scilicet bilis nigra curanda est, et ipsa furoris causa removenda. Idem in hoc alio animi furore faciendum est: ipse discuti debet; alioquin abibunt in vanum monentium verba.

Haec ab ARISTONE dicuntur. — Cui respondebimus ad singula. Primum adversus illud, quod ait, *si quid obstat oculo, et impedit visum, debere removeri*. Fateor, huic non esse opus praeceptis ad videndum, sed remedio quo purgetur acies, et officientem sibi moram effugiat. Natura enim videmus; cui usum sui reddit, qui removit obstantia. Quid autem cuique debeatur officio, natura non docet. Deinde cuius curata suffusio est, is non protinus, quum visum recepit, aliis quoque potest reddere: malitia liberatus et liberat. Non opus est exhortatione, ne consilio quidem, ut colorum proprietates oculus intelligat; a nigro album, etiam nullo monente, distinguet: multis contra praeceptis eget animus, ut videat, quid agendum sit in vita. Quamquam oculis quoque aegros medicus non tantum curat; sed etiam monet. Non est, inquit, quod protinus inbecil-

lam aciem committas inprobo lumini; a tenebris primum ad umbrosa procede, deinde plus aude, et paulatim claram lucem pati adsuesce: non est quod post cibum studeas; non est quod plenis oculis ac tumentibus imperes; adflatum et vim frigoris in os occurrentis evita. Alia eiusmodi, quae non minus quam medicamenta proficiunt, adiicit remediis medicina consilia. — *Error*, inquit, *est causa peccandi; hunc nobis praecepta non detrahunt, nec expugnant opiniones de bonis ac malis falsas.* Concedo, per se efficacia praecepta non esse ad evertendam pravam animi persuasionem; sed non ideo, ne aliis quidem adiecta, proficiunt? Primum memoriam renovant; deinde, quae in universo confusius videbantur, in partes divisa diligentius considerantur. Aut tu isto modo licet et consolationes dicas supervacuas, et exhortationes: atqui non sunt supervacuae; ergo ne monitiones quidem. — *Stultum est*, inquit, *praecipere aegro, quid facere tamquam sanus debeat; quum restituenda sanitas sit, sine qua inrita sunt praecepta.* Quid, quod habent aegri quaedam sanique communia, de quibus admonendi sunt? tamquam, ne avide cibos adpetant, ut lassitudinem vitent. Habent quaedam praecepta communia pauper et dives. — *Sana*, inquit, *avaritiam, et nihil habebis quod admoneas aut pauperem, aut divitem, si cupiditas utriusque considet.* Quid quod aliud est, non concupiscere pecuniam; aliud, uti pecunia scire? cuius avari modum ignorant, etiam non avari usum. — *Tolle*, inquit, *errores; supervacua prae-*

cepta sunt. Falsum est! puta enim avaritiam relaxatam; puta adstrictam esse luxuriam, temeritati frenos iniectos, ignaviae subditum calcar: etiam remotis vitiis, quid, et quemadmodum, debeamus facere, discendum est. — *Nihil,* inquit, *efficient monitiones, admotae gravibus vitiis.* Ne medicina quidem morbos insanabiles vincit; tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in levamentum. Ne ipsa quidem universae philosophiae vis, licet tota in hoc vires suas advocet, duram iam et veterem animis extrahet pestem; sed non ideo nihil sanat, quia non omnia. — *Quid prodest,* inquit, *aperta monstrare?* Plurimum! interdum enim scimus, nec adtendimus. Non docet admonitio, sed advertit, sed excitat, sed memoriam continet, nec patitur elabi. Pleraque ante oculos posita transimus; admonere, genus adhortandi est. Saepe animus etiam aperta dissimulat; ingerenda est itaque illi notitia rerum notissimarum. Illa hoc loco in Vatinium Calvi repetenda sententia est: „Factum esse ambitum, scitis; et, hoc vos scire, omnes sciunt.“ Scis, amicitias sancte colendas esse; sed non facis: scis, inprobum esse qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum: scis, ut illi nil cum adultero, sic tibi nil esse debere cum pellice; et non facis. Itaque subinde reducendus es ad memoriam: non enim reposita illa esse oportet, sed in promtu. Quaecumque salutaria sunt, saepe agitari debent, saepe versari; ut non tantum nota sint nobis, sed etiam parata. Adiice nunc, quod

aperta quoque apertiora fieri solent. — *Si dubia sunt*, inquit, *quae praecipis, probationes adiicere debebis: ergo illae, non praecepta, proficient.* — Quid? quod, etiam sine probationibus, ipsa monentis auctoritas prodest? sic quomodo iurisconsultorum valent responsa, etiam si ratio non redditur. Praeterea ipsa, quae praecipiuntur, per se multum habent ponderis, utique si aut carmini intexta sunt, aut prosa oratione in sententiam coartata; sicut illa CATONIANA: *Emas, non quod opus est, sed quod necesse est. Quod non opus est, asse carum est.* Qualia sunt illa, aut reddita oraculo, aut similia: *Tempori parce! Te nosce!* Numquid rationem exiges, quum tibi aliquis hos dixerit versus?

Iniuriarum remedium est oblivio.
Audentes fortuna iuvat.
Piger ipse sibi obstat.

Advocatum ista non quaerunt; adfectus ipsos tangunt, et natura vim suam exercente proficiunt. Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quae admonitione excitantur; non aliter quam scintilla, flatu levi adiuta, ignem suum explicat. Erigitur virtus, quum tacta est et impulsa. Praeterea quaedam sunt quidem in animo, sed parum promta; quae incipiunt in expedito esse, quum dicta sunt. Quaedam diversis locis iacent sparsa, quae contrahere inexercitata mens non potest. Itaque in unum conferenda sunt, et iungenda, ut plus valeant, animumque magis adlevent. Aut, si praecepta nihil adiuvant, omnis institutio tollenda est; ipsa natura contenti esse

debemus. Hoc qui dicunt, non vident, alium ingenii esse mobilis et erecti, alium tardi et hebetis; utique alium alio ingeniosiorem. Ingenii vis praeceptis alitur et crescit, novasque persuasiones adiicit innatis, et depravata corrigit.

Si quis, inquit, *non habet recta decreta, quid illum admonitiones iuvabunt vitiis obligatum?* Hoc scilicet, ut illis liberetur. Non enim exstincta in illo indoles naturalis est, sed obscurata, et oppressa: sic quoque tentat resurgere, et contra prava nititur: nancta vero praesidium, et adiuta praeceptis, evalescit; si tamen illam diutina pestis non infecit, nec enecuit; hanc enim ne disciplina quidem philosophiae, toto impetu suo connisa, restituet. Quid enim interest inter decreta philosophiae, et praecepta, nisi quod illa generalia praecepta sunt, haec specialia? Utraque res praecipit; sed altera in totum, particulatim altera. — *Si quis*, inquit, *recta habet et honesta decreta, hic ex supervacuo monetur*. Minime! nam hic quoque doctus quidem est facere, quae debet; sed haec non satis perspicit. Non enim tantum adfectibus inpedimur, quo minus probanda faciamus, sed inperitia inveniendi quid quaeque res exigat. Habemus interdum compositum animum, sed residem, et inexercitatum ad inveniendam officiorum viam, quam admonitio demonstrat. — *Expelle*, inquit, *falsas opiniones de bonis et malis, in locum autem earum veras repone; et nihil habebit admonitio quod agat.* Ordinatur sine dubio ista ratione animus; sed non ista tantum. Nam quamvis

argumentis conlectum sit, quae bona, quae mala sint; nihilominus habent praecepta partes suas: et prudentia, et iustitia officiis constant; officia praeceptis disponuntur. Praeterea ipsum de bonis malisque iudicium confirmatur officiorum exsecutione, ad quam praecepta perducunt. Utraque enim inter se consentiunt: nec illa possunt praecedere, ut non haec sequantur; et haec ordinem sequuntur suum: unde adparet illa praecedere. — *Infinita*, inquit, *praecepta sunt.* Falsum est! Nam de maximis ac necessariis rebus non sunt infinita; tenues autem differentias habent, quas exigunt tempora, loca, personae. Sed his quoque dantur praecepta generalia. — *Nemo*, inquit, *praeceptis curat insaniam; ergo ne malitiam quidem.* Dissimile est! Nam si insaniam sustuleris, sanitas reddita est: si falsas opiniones exclusimus, non statim sequitur dispectus rerum agendarum: ut sequatur, tamen admonitio conroborabit rectam de bonis malisque sententiam. Illud quoque falsum est, nihil apud insanos proficere praecepta: nam quemadmodum sola non prosunt, sic curationem adiuvant; et denuntiatio, et castigatio insanos coërcuit. De illis nunc insanis loquor, quibus mens mota est, non erepta.

Leges, inquit, *ut faciamus quod oportet*, *non efficiunt: et quid aliud sunt*, *quam minis mixta praecepta?* — Primum omnium, ob hoc illae non persuadent, quia minantur; at haec non cogunt, sed exorant. Deinde leges a scelere deterrent; praecepta in officium adhortantur. His adiice,

quod leges quoque proficiunt ad bonos mores; utique si non tantum imperant, sed docent. In hac re dissentio a POSIDONIO; qui, pro eo quod Platonis legibus adiecta principia sunt: *Legem enim* [ait] *brevem esse oportet, quo facilius ab inperitis teneatur. Velut emissa divinitus vox sit: iubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. Mone, dic, quid me velis fecisse! non disco, sed pareo.* Proficiunt vero: itaque malis moribus uti videbis civitates, usas malis legibus. — At non apud omnes proficiunt! — Ne philosophia quidem: nec ideo inutilis, et formandis animis inefficax est: quid autem Philosophia, nisi vitae lex est? Sed, putemus non proficere leges; non ideo sequitur, ut ne monitiones quidem proficiant: aut sic et consolationes nega proficere, dissuasionesque, et adhortationes, et obiurgationes, et laudationes. Omnia ista monitionum genera sunt; per ista ad perfectum animi statum pervenitur. Nulla res magis animis honesta induit, dubiosque et in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, et vim praecepti obtinet, frequenter adspici, frequenter audiri. Occursus mehercules ipse sapientium iuvat; et est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facile dixerim, quemadmodum prosit, sicut illud intelligo, profuisse. *Minuta quaedam,* ut ait PHAEDON, *animalia, quum mordent, non sentiuntur; adeo tenuis illis et fallens in periculum vis est: tumor indi-*

cat morsum, et in ipso tumore nullum vulnus adparet. Idem tibi in conversatione virorum sapientium eveniet: non deprehendes quemadmodum, aut quando tibi prosit; profuisse deprehendes. — Quorsus, inquis, hoc pertinet? — Aeque praecepta bona, si saepe tecum sint, profutura, quam bona exempla. PYTHAGORAS ait, *alium animum fieri intrantibus templum, Deorumque simulacra ex vicino cernentibus, et alicuius oraculi operientibus vocem.*

Quis autem negaverit, feriri quibusdam praeceptis efficaciter etiam inperitissimos? velut his brevissimis vocibus, sed multum habentibus ponderis:

— — — *Nihil nimis!*
Avarus animus nullo satiatur lucro.
Ab alio exspectes, alteri quod feceris.

Haec cum ictu quodam audimus, nec ulli licet dubitare, aut interrogare, *quare?* Adeo, etiam sine ratione, ipsa veritas ducit. Si reverentia frenat animos ac vitia conpescit, cur non et admonitio idem possit? Si inponit pudorem castigatio, cur admonitio non faciat, etiam si nudis praeceptis utitur? Illa vero efficacior est, et altius penetrat, quae adiuvat ratione quod praecipit; quae adiicit, quare quidque faciendum sit, et quis facientem obedientemque praeceptis fructus exspectet. Si imperio proficitur; et admonitione: atqui proficitur imperio; ergo et admonitione. In duas partes virtus dividitur, in contemplationem veri, et actionem; contemplationem institutio tradit, actionem admonitio. Virtutem et exercet, et ostendit recta actio: acturo autem si

prodest, qui suadet; et, qui monet, proderit. Ergo si recta actio virtuti necessaria est, rectas autem actiones admonitio demonstrat; et admonitio necessaria est. Duae res plurimum roboris animo dant, fides veri, et fiducia: utramque admonitio facit. Nam et creditur illi; et, quum creditum est, magnos animus spiritus concipit ac fiducia inpletur: ergo admonitio non est supervacua. M. Agrippa, vir ingentis animi, qui solus ex his, quos civilia bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit, dicere solebat, multum se huic debere sententiae: *Nam concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur.* Hac se, aiebat, et fratrem, et amicum optimum factum. Si eiusmodi sententiae, familiariter in animum receptae, formant eum; cur non haec pars philosophiae, quae talibus sententiis constat, idem possit? Pars virtutis disciplina constat, pars exercitatione: et discas oportet, et, quod didicisti, agendo confirmes. Quod si ita est, non tantum scita sapientiae prosunt, sed etiam praecepta; quae adfectus nostros velut edicto coërcent, et adligant.

Philosophia, inquit, *dividitur in haec, scientiam, et habitum animi. Illam qui didicit, et facienda ac vitanda percepit, nondum sapiens est, nisi in ea, quae didicit, animus eius transfiguratus est. Tertia ista pars praecipiendi, ex utroque est, et ex decretis, et ex habitu: itaque supervacua est ad inplendam virtutem, quum duo illa sufficiant.* Isto ergo modo et consolatio supervacua est, nam haec quoque ex utroque est; et adhortatio, et suasio, et ipsa ar-

gumentatio; nam et haec ab habitu animi compositi validique proficiscitur. Sed quamvis ista ex optimo habitu animi veniant; optimus animi habitus et facit illa, et ex illis ipse fit. Deinde istud, quod dicis, iam perfecti viri est, ac summam consequuti felicitatis humanae. Ad haec autem tarde pervenitur; interim etiam inperfecto, sed proficienti, demonstranda est in rebus agendis via. Hanc forsitan etiam sine admonitione dabit sibi ipsa Sapientia; quae iam eo perduxit animum, ut moveri nequeat, nisi in rectum: inbecillioribus quidem ingeniis necessarium est aliquem praeire, *Hoc vitabis, hoc facies.* Praeterea, si exspectat tempus, quo per se sciat, quid optimum factu sit; interim errabit, et errando inpedietur, quo minus ad illud perveniat, quo possit se esse contentus: regi ergo debet, dum incipit posse se regere. Pueri ad praescriptum discunt; digiti illorum tenentur, et aliena manu per literarum simulacra ducuntur; deinde imitari iubentur proposita, et ad illa reformare chirographum: sic animus noster, dum eruditur ad praescriptum, iuvatur.

Haec sunt per quae probatur, hanc Philosophiae partem supervacuam non esse. Quaeritur deinde, *an ad faciendum Sapientem sola sufficiat.* Huic quaestioni suum diem dabimus: interim, omissis argumentis, nonne adparet opus esse nobis aliquo advocato, qui contra populi praecepta praecipiat? Nulla ad aures nostras vox inpune perfertur: nocent, qui optant; nocent, qui exsecrantur: nam et horum inprecatio falsos nobis

metus inserit, et illorum amor male docet bene optando. Mittit enim nos ad longinqua bona, et incerta et errantia, quum possimus felicitatem domo promere. Non licet, inquam, ire recta via: trahunt in pravum parentes, trahunt servi; nemo errat uni sibi, sed dementiam spargit in proximos, accipitque invicem. Et ideo in singulis vitia populorum sunt, quia illa populus dedit. Dum facit quisque peiorem, factus est: didicit deteriora, deinde docuit; effectaque est ingens illa nequitia, congesto in unum, quod cuique pessimum scitur. Sit ergo aliquis custos, et aurem subinde pervellat, abigatque rumores, et reclamet populis laudantibus. Erras enim, si existimas nobiscum vitia nasci: supervenerunt, ingesta sunt! Itaque monitionibus crebris convicia, quae nos circumsonant, repellantur. Nulli nos vitio natura conciliat; integros ac liberos genuit. Nihil, quo avaritiam nostram inritaret, posuit in aperto; pedibus aurum argentumque subiecit; calcandumque ac premendum dedit quidquid est, propter quod calcamur ac premimur. Illa vultus nostros erexit ad coelum, et, quidquid magnificum mirumque fecerat, videri a suspicientibus voluit; ortus occasusque, et properantis mundi volubilem cursum, interdiu terrena aperientem, noctu coelestia; tardos siderum incessus, si compares toti; citatissimos, si cogites, quanta spatia numquam intermissa velocitate circumeant; defectus solis ac lunae, invicem obstantium. Alia deinceps digna miratu, sive per ordinem subeunt, sive su-

bitis causis mota prosiliunt; ut nocturni ignium tractus, et sine ullo ictu sonituque fulgores coeli fatiscentes, columnaeque ac trabes, et varia simulacra flammarum. Haec supra nos itura disponit: aurum quidem et argentum, et propter ista numquam pacem agens ferrum, quasi male nobis committerentur, abscondit. Nos in lucem, propter quae pugnaremus, extulimus; nos et causas periculorum nostrorum, et instrumenta, disiecto terrarum pondere, eruimus; nos fortunae mala nostra tradidimus, nec erubescimus summa apud nos haberi, quae fuerant ima terrarum. Vis scire, quam falsus oculos tuos deceperit fulgor? nihil est istis, quamdiu mersa et involuta coeno suo iacent, foedius, nihil obscurius. Quidni? quando per longissimorum cuniculorum tenebras extrahuntur, nihil est illis, dum fiunt et a faece sua separantur, informius. Denique ipsos opifices intuere, per quorum manus sterile terrae genus et informe perpurgatur; videbis, quanta fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant animos, quam corpora; et in possessore eorum, quam in artifice, plus sordium est.

Necessarium itaque est admoneri, et habere aliquem advocatum bonae mentis, et in tanto fremitu tumultuque falsorum unam denique audire vocem. Quae erit illa vox? ea scilicet, quae tibi tantis clamoribus ambitiosis exsurdato, salubria insusurret verba; quae dicat: Non est, quod invideas istis, quos magnos felicesque populus vocat; non est, quod tibi compositae mentis habi-

tum et sanitatem plausus excutiat; non est, quod tibi tranquillitatis tuae fastidium faciat ille, sub illis fascibus, purpura cultus; non est, quod feliciorem eum iudices, cui submovetur, quam te, quem lictor semita deiicit. Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium, submove vitia. Multi inveniuntur, qui ignem inferant urbibus; qui inexpugnabilia seculis, et per aliquot aetates tuta, prosternant; qui aequum arcibus aggerem adtollant, et muros in miram altitudinem eductos arietibus ac machinis quassent; multi sunt, qui ante se agant agmina, et tergis hostium graves instent, et ad mare magnum perfusi caede gentium veniant: sed hi quoque, ut vincerent hostem, cupiditate victi sunt. Nemo illis venientibus restitit; sed nec ipsi ambitioni crudelitatique restiterant: tunc, quum agere visi sunt alios, agebantur. Agebat infelicem Alexandrum furor aliena vastandi, et ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui a Graeciae primum cladibus, in qua eruditus est, incipit? qui, quod cuique optimum est, eripit; Lacedaemona servire iubet, Athenas tacere; non contentus tot civitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, alias alio loco proiicit, et toto orbe arma circumfert; nec subsistit usquam lassa crudelitas, inmanium ferarum modo, quae plus, quam exigit fames, mordent? Iam in unum regnum multa regna coniecit; iam Graeci Persaeque eumdem timent; iam etiam a Dario liberae nationes iugum accipiunt: it tamen ultra Oceanum solem-

que; indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam flectere; ipsi naturae vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare; non aliter, quam in praeceps deiecta pondera, quibus eundi finis est, iacuisse. Ne Cn. quidem Pompeio externa bella ac domestica virtus aut ratio suadebat, sed insanus amor magnitudinis falsae. Modo in Hispaniam et Sertoriana arma, modo ad conligendos piratas ac maria pacanda vadebat: hae praetexebantur causae ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam, quid in Septemtrionem, quid in Mithridatem, et Armeniam, et omnes Asiae angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi, quum sibi uni parum magnus videretur. Quid C. Caesarem in sua fata, pariter ac publica, inmisit? gloria et ambitio, et nullus supra ceteros eminendi modus. Unum ante se ferre non potuit, quum respublica supra se duos ferret. Quid, tu C. Marium semel consulem, (unum enim consulatum accepit, ceteros rapuit,) quum Teutonos Cimbrosque concideret, quum Iugurtham per Africae deserta sequeretur, tot pericula putas adpetisse virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ambitio ducebat. Isti, quum omnia concuterent, concutiebantur; turbinum more, qui rapta convolvunt, sed ipsi ante volvuntur, et ob hoc maiore impetu incurrunt, quia nullum illis sui regimen est. Ideoque, quum multis fuerunt malo, pestiferam illam vim, qua plerisque nocuerunt, ipsi quoque sentiunt. Non est, quod credas, quemquam fieri aliena infelicitate felicem.

Omnia ista exempla, quae oculis atque auribus nostris ingeruntur, retexenda sunt, et plenum malis sermonibus pectus exhauriendum. Inducenda in occupatum locum virtus; quae mendacia et contra verum placentia exstirpet, quae nos a populo, cui nimis credimus, separet, ac sinceris opinionibus reddat. Hoc est enim Sapientia, in naturam converti, et eo restitui, unde publicus error expulerit. Magna pars sanitatis est, hortatores insaniae reliquisse, et ex isto coetu invicem noxio procul abiisse. Hoc ut esse verum scias, adspice, quanto aliter unusquisque populo vivat, aliter sibi. Non est per se magistra innocentiae solitudo, nec frugalitatem docent rura; sed, ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari et conspici fructus est. Quis eam, quam nulli ostenderet, induit purpuram? quis posuit secretam in auro dapem? quis, sub alicuius arboris rusticae proiectus umbra, luxuriae suae pompam solus explicuit? Nemo oculis suis lautus est, ne paucorum quidem et familiarium; sed adparatum vitiorum suorum pro modo turbae spectantis expandit. Ita est: inritamentum est omnium in quae insanimus, admirator et conscius. Ne concupiscamus efficies, si, ne ostendamus, effeceris. Ambitio, et luxuria, et inpotentia, scenam desiderant; sanabis ista, si absconderis. Itaque, si in medio urbium fremitu conlocati sumus, stet ad latus monitor, et contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet parvo divitem, et usu opes metientem. Contra illos,

qui gratiam ac potentiam adtollunt, otium ipse suspiciat traditum literis, et animum ab externis ad sua reversum. Ostendat ex constitutione vulgi beatos, in isto invidioso fastigio suo trementes et adtonitos, longeque aliam de se opinionem habentes, quam ab aliis habetur. Nam, quae aliis excelsa videntur, ipsis praerupta sunt. Itaque exanimantur, et trepidant, quotiens despexerunt in illud magnitudinis suae praeceps. Cogitant enim varios casus, et in sublimi maxime lubricos: tunc adpetita formidant, et, quae illos graves aliis reddit, gravior ipsis felicitas incubat: tunc laudant otium lene et sui iuris; odio est fulgor, et fuga a rebus adhuc stantibus quaeritur: tunc demum videas philosophantes metu, et aegrae fortunae sana consilia. Nam, quasi ista inter se contraria sint, bona fortuna, et mens bona, ita melius in malis sapimus; secunda rectum auferunt. Vale.

EPISTOLA XCV.

Haeret aut pendet a priore; quaeriturque, An igitur Paraenetica sola sufficiat? cum praesertim ostenderit tantos eius et tam claros usus. Negat, et argumenta quae adferuntur ponit, ac refellit. Dogmaticam igitur laudat, et ab illo fonte manare Praecepta, et vitam ea contineri ostendit. Florida miscet; et in Luxum, Libidinem, Ambitum obiter excurrit. Tota pulchra et fructuosa est.

SENECA Lucilio suo Salutem.

PETIS a me, ut id, quod in diem suum dixeram debere differri, repraesentem, et scribam tibi, *an haec pars Philosophiae, quam Graeci παραινετικὴν vocant, non Praeceptivam dicimus, satis sit*

ad consummandam Sapientiam. — Scio te in bonam partem accepturum, si negavero. Eo magis promitto, et verbum publicum perire non patior: *Postea noli rogare, quod impetrare nolueris.* Interdum enim obnixe petimus id, quod recusaremus, si quis obferret. Haec sive levitas est, sive vernilitas, punienda est promittendi facilitate. Multa videri volumus velle, sed nolumus. Recitator Historiam ingentem adtulit, minutissime scriptam, artissime plicatam, et, magna parte perlecta: *Desinam,* inquit, *si vultis.* Adclamatur: *Recita, recita!* ab his, qui illum obmutescere illico cupiunt. Saepe aliud volumus, aliud optamus, et verum ne Diis quidem dicimus: sed Dii aut non exaudiunt, aut miserentur. Ego me, omissa misericordia, vindicabo, et tibi ingentem epistolam inpingam; quam tu si invitus leges, dicito: Ego mihi hoc contraxi! teque inter illos numera, quos uxor, magno ducta ambitu, torquet; inter illos, quos divitiae, per summum adquisitae sudorem, male habent; inter illos, quos honores, nulla non arte atque opera petiti, discruciant; et ceteros malorum suorum compotes.

Sed ut, omisso principio, rem ipsam adgrediar: „Beata, inquiunt, vita constat ex actionibus rectis; ad actiones rectas praecepta perducunt: ergo ad beatam vitam praecepta sufficiunt." — Non semper ad actiones rectas praecepta perducunt, sed quum obsequens ingenium est: aliquando frustra admoventur, si animum opiniones obsident pravae. Deinde, etiam si recte fa-

ciunt, nesciunt facere se recte. Non potest enim quisquam, nisi ab initio formatus et tota ratione compositus, omnes exsequi numeros, ut sciat, quando oporteat, et in quantum, et cum quo, et quemadmodum. Quare non potest toto animo ad honesta conari, ne constanter quidem, aut libenter; sed respiciet, sed haesitabit. — „Si honesta, inquit, actio ex praeceptis venit, ad beatam vitam praecepta abunde sunt: atqui illud: ergo et hoc." — His respondemus: actiones honestas *et praeceptis* fieri; non, *tantum praeceptis*.

„Si aliae, inquit, artes contentae sunt praeceptis, contenta erit et sapientia; nam et haec ars vitae est. Atqui gubernatorem facit ille, qui praecepit: Sic move gubernaculum, sic vela submitte, sic secundo vento utere, sic adverso resiste, sic dubium communemque tibi vindica. Alios quoque artifices praecepta confirmant: ergo in hoc idem poterunt artifices vivendi." — Omnes istae artes circa instrumenta vitae occupatae sunt, non circa totam vitam. Itaque multa illas inhibent extrinsecus, et inpediunt; spes, cupiditas, timor. At haec, quae artem vitae professa est, nulla re, quo minus se exerceat, vetari potest: discutit enim inpedimenta, et tractat obstantia. Vis scire quam dissimilis sit aliarum artium conditio, et huius? In illis excusatius est, voluntate peccare, quam casu; in hac, maxima culpa est, sponte delinquere. Quod dico, tale est. Grammaticus non erubescet soloecismo, si sciens fecit; erubescet, si nesciens. Medicus, si deficere ae-

grum non intelligit, quantum ad artem magis peccat, quam si se intelligere dissimulat. At in hac arte vivendi, turpior volentium culpa est. Adiice nunc, quod artes quoque pleraeque, immo ex omnibus liberalissimae, habent decreta sua, non tantum praecepta, sicut Medicina. Itaque alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis. Praeterea nulla ars contemplativa sine decretis suis est, quae Graeci vocant δόγματα, nobis vel *decreta* licet adpellare, vel *scita*, vel *placita*: quae in Geometria et in Astronomia invenies. Philosophia autem et contemplativa est, et activa; spectat simul, agitque. Erras enim, si illam putas tantum terrestres operas promittere; altius spirat. Totum, inquit, mundum scrutor, nec me intra contubernium mortale contineo, suadere vobis, ac dissuadere contenta; magna me vocant, supraque vos posita:

Nam tibi de summa coeli ratione, Deûmque,
disserere incipiam, et rerum primordia pandam:
unde omnis natura creet res, auctet, alatque,
quoque eadem rursus natura peremta resolvat:

ut ait LUCRETIUS. Sequitur ergo, ut, quum contemplativa sit, habeat decreta sua. Quid? quod facienda quoque nemo rite obibit, nisi is, cui ratio erit tradita, qua in quaque re omnes officiorum numeros exsequi possit; quos non servabit, qui in rem praecepta acceperit, non in omne. Inbecilla sunt per se, et, ut ita dicam, sine radice, quae partibus dantur. Decreta sunt, quae muniant, quae securitatem nostram, tranquillita-

temque tueantur, quae totam vitam, totamque rerum naturam simul contineant. Hoc interest inter decreta philosophiae et praecepta, quod inter elementa, et membra: haec ex illis dependent; illa et horum causae sunt et omnium.

„Antiqua, inquit, Sapientia nihil aliud, quam facienda ac vitanda, praecepit; et tunc longe meliores erant viri: postquam docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa et aperta Virtus in obscuram et solertem scientiam versa est, docemurque disputare, non vivere." — Fuit sine dubio, ut dicitis, vetus illa Sapientia, quum maxime nascens, rudis; non minus, quam ceterae artes, quarum in processu subtilitas crevit. Sed ne opus quidem adhuc erat remediis diligentibus. Nondum in tantum nequitia surrexerat, nec tam late se sparserat: poterant vitiis simplicibus obstare remedia simplicia. Nunc necesse est tanto operosiora esse munimenta, quanto valentiora sunt quibus petimur. Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent: paulatim deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotii habuisse, firmis adhuc solidisque corporibus, et facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto: qui postquam coepit non ad tollendam, sed ad inritandam, famem quaeri, et inventae sunt mille condituræ, quibus aviditas excitaretur; quae desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, et nervorum vino madentium tremor,

et miserabilior ex cruditatibus, quam ex fame, macies; inde incerti labantium pedes, et semper, qualis in ipsa ebrietate, titubatio; inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter, dum male adsuescit plus capere, quam poterat; inde subfusio luridae bilis, et decolor vultus, tabesque in se putrescentium, et retorridi digiti articulis obrigescentibus, nervorumque sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio [corporum] sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta, et cerebri exaestuantis verminationes; et omnia, per quae exoneramur, internis ulceribus adfecta? innumerabilia praeterea febrium genera, aliarum impetu saevientium, aliarum tenui peste repentium, aliarum cum horrore et multa membrorum quassatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriae? Inmunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis solverant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versata. Excipiebat illos cibus, qui, nisi esurientibus, placere non posset. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus. Simplex erat ex causa simplici valitudo; multos morbos multa fercula fecerunt. Vide, quantum rerum per unam gulam transiturarum permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix! Necesse est itaque inter se tam diversa dissideant, et hausta male digerantur, aliis alio

nitentibus. Nec mirum, quod inconstans variusque ex discordi cibo morbus est, et illa ex contrariis naturae partibus in eumdem compulsa redundant. Inde tam nullo aegrotamus genere, quam vivimus. Maximus ille Medicorum, et huius scientiae conditor, *feminis nec capillos defluere* dixit, *nec pedes laborare.* Atqui et capillis destituuntur, et pedibus aegrae sunt. Non mutata feminarum natura, sed vita est: nam quum virorum licentiam aequaverint, corporum quoque virilium incommoda aequarunt. Non minus pervigilant, non minus potant, et oleo et mero viros provocant; aeque invitis ingesta visceribus per os reddunt, et vinum omne vomitu remetiuntur; aeque nivem rodunt, solatium stomachi aestuantis. Libidine vero ne maribus quidem cedunt: pati natae, (Dii illas Deaeque male perdant!) adeo perversum commentae genus inpudicitiae, viros ineunt. Quid ergo mirandum est, maximum Medicorum, ac naturae peritissimum, in mendacio prendi, quum tot feminae podagricae calvaeque sint? Beneficium sexus suis vitiis perdiderunt; et, quia feminam exuerunt, damnatae sunt morbis virilibus. Antiqui Medici nesciebant dare cibum saepius, et vino fulcire venas cadentes; nesciebant sanguinem mittere, et diutinam aegrotationem balneo sudoribusque laxare; nesciebant, crurum vinculo brachiorumque, latentem vim, et in medio sedentem, ad extrema revocare. Non erat necesse, circumspicere multa auxiliorum genera, quum essent periculorum paucissima. Nunc vero

quam longe processerunt mala valitudinis? Has usuras voluptatum pendimus, ultra modum fasque concupitarum. Innumerabiles esse morbos non miraberis; coquos numera. Cessat omne studium; et liberalia professi, sine ulla frequentia, desertis angulis praesident. In Rhetorum ac Philosophorum scholis solitudo est; at quam celebres culinae sunt, quanta circa nepotum focos iuventus premit! Transeo puerorum infelicium greges, quos, post transacta convivia, aliae cubiculi contumeliae exspectant. Transeo agmina exsoletorum, per nationes coloresque descripta, ut eadem omnibus laevitas sit, eadem primae mensura lanuginis, eadem species capillorum; ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur. Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos signo dato ad inferendam coenam discurritur. Dii boni, quantum hominum unus venter exercet! Quid? tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis iudicas facere, etiam si praesentanei non fuerunt? Quid? tu illam aestivam nivem non putas callum iecinoribus obducere? Quid? illa ostrea, inertissimam carnem coeno saginatam, nihil existimas limosae gravitatis inferre? Quid? illud Sociorum garum, pretiosam malorum piscium saniem, non credis urere salsa tabe praecordia? Quid? illa purulenta, et quae tantum non ex ipso igne in os transferuntur, iudicas sine noxa in ipsis visceribus exstingui? Quam foedi itaque pestilentesque ructus sunt! quantum fastidium sui, exhalantibus crapulam

veterem! Scias putrescere sumta, non concoqui. Memini fuisse quondam in sermone nobilem patinam, in quam, quidquid apud lautos solet diem ducere, properans in damnum suum popina congesserat: veneriae, spondylique, et ostrea eatenus circumcisa, qua eduntur, intervenientibus distinguebantur echinis; totam destricti sine ullis ossibus mulli constraverant. Piget iam esse singula; coguntur in unum sapores; in coena fit, quod fieri debet saturo in ventre: exspecto iam ut manducata ponantur. Quantulo autem hoc minus est, testas excerpere atque ossa, et dentium opera coquum fungi? Grave est luxuriari per singula: omnia semel, et in eumdem saporem versa, ponantur. Quare ego ad unam rem manum porrigam? plura veniant simul; multorum ferculorum ornamenta coëant et cohaereant. Sciant protinus hi, qui iactationem ex istis peti et gloriam aiebant, non ostendi ista, sed conscientiae dari. Pariter sint, quae disponi solent, uno iure perfusa: nihil intersit: ostrea, echini, spondyli, mulli, perturbati concoctique ponantur. Non esset confusior vomentium cibus. Quomodo ista perplexa sunt, sic ex istis non singulares morbi nascuntur, sed inexplicabiles, diversi, multiformes: adversus quos et Medicina armare se coepit multigeneribus observationibus.

Idem tibi de Philosophia dico. Fuit aliquando simplicior inter minora peccantes, et levi quoque cura remediabiles: adversus tantam morum eversionem omnia conanda sunt. Et utinam sic deni-

que lues ista vindicetur! Non privatim solum, sed publice furimus. Homicidia conpescimus et singulas caedes: quid bella, et occisarum gentium gloriosum scelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit. Et ista, quamdiu furtim et a singulis fiunt, minus noxia minusque monstrosa sunt: ex senatusconsultis plebisque scitis saeva exercentur, et publice iubentur vetita privatim. Quae clam commissa capite luerent, iam, quia paludati fecere, laudamus. Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, et bella gerere, gerendaque liberis tradere, quum inter se etiam mutis ac feris pax sit. Adversus tam potentem explicitumque late furorem operosior Philosophia facta est, et tantum sibi virium sumsit, quantum his, adversus quae parabatur, accesserat. Expeditum erat, obiurgare indulgentes mero, et petentes delicatiorem cibum; non erat animus ad frugalitatem magna vi reducendus, a qua paululum discesserat.

Nunc manibus rapidis opus est, nunc arte magistra.
Voluptas ex omni parte quaeritur; nullum intra se manet vitium. In avaritiam luxuria praeceps est: honesti oblivio invasit; nihil turpe est, cuius placet pretium. Homo, sacra res homini, iam per lusum et iocum occiditur; et, quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat, is iam nudus inermisque producitur; satisque spectaculi ex homine, mors est.

In hac ergo morum perversitate desideratur solito vehementius aliquid, quod mala inveterata

discutiat: decretis agendum est, ut revellatur penitus falsorum recepta persuasio. His si adiunxerimus praecepta, consolationes, adhortationes, poterunt valere; per se inefficaces sunt. Si volumus habere obligatos, et malis, quibus iam tenentur, avellere; discant, quid malum, quid bonum sit; sciant, omnia, praeter Virtutem, mutare nomen, modo mala fieri, modo bona. Quemadmodum primum militiae vinculum est religio, et signorum amor, et deserendi nefas; tunc deinde facile cetera exiguntur mandanturque iusiurandum adactis: ita in his, quos velis ad beatam vitam perducere, prima fundamenta iacienda sunt, et insinuanda Virtus. Huius quadam superstitione teneantur; hanc ament; cum hac vivere velint, sine hac nolint.

Quid ergo? non quidam sine institutione subtili evaserunt probi, magnosque profectus adsequuti sunt, dum nudis tantum praeceptis obsequuntur? — Fateor: sed felix illis ingenium fuit, et salutaria in transitu rapuit. Nam, ut Dii inmortales nullam didicere virtutem, cum omni editi, et pars naturae eorum est, bonos esse; ita quidam ex hominibus, egregiam sortiti indolem, in ea, quae tradi solent, perveniunt sine longo magisterio; et honesta complexi sunt, quum primum audiere: unde ista tam rapacia virtutis ingenia, vel ex se fertilia. At illis aut hebetibus et obtusis, aut mala consuetudine obsessis, diu rubigo animorum effricanda est. Ceterum, ut illos in bonum pronos citius educit ad summa, et hos inbe-

cilliores adiuvabit, malisque opinionibus extrahet, qui illis Philosophiae placita tradiderit; quae quam sint necessaria, scilicet videas. Quaedam insident nobis, quae nos ad alia pigros, ad alia temerarios faciunt. Nec haec audacia reprimi potest, nec illa inertia suscitari, nisi causae eorum eximantur, falsa admiratio, et falsa formido. Haec nos quamdiu possident, dicas licet: „Hoc patri praestare debes, hoc liberis, hoc amicis, hoc hospitibus." Tentantem avaritia retinebit: sciet pro patria pugnandum esse; dissuadebit timor: sciet pro amicis desudandum esse ad extremum usque sudorem; sed deliciae vetabunt: sciet in uxorem gravissimum esse genus iniuriae pellicem; sed illum libido in contraria inpingit. Nihil ergo proderit dare praecepta, nisi prius amoveris obstantia praeceptis; non magis, quam proderit arma in conspectu posuisse propiusque admovisse, nisi usurae manus expediuntur. Ut ad praecepta, quae damus, possit animus ire, solvendus est. Putemus aliquem facere, quod oportet; non faciet adsidue, non faciet aequaliter: nesciet enim quare faciat. Aliqua vel casu, vel exercitatione, exibunt recta; sed non erit in manu regula, ad quam exigantur, cui credat, recta esse quae fecit. Non promittet se talem in perpetuum, qui casu bonus est.

Deinde, praestabunt tibi fortasse praecepta, ut, quod oportet, facias; non praestabunt, ut, quemadmodum oportet: et, si hoc non praestant, ad Virtutem non perducunt. Faciet, quod opor-

tet, monitus; concedo: sed id parum est, quoniam quidem non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat. Quid est coena sumtuosa flagitiosius, et equestrem censum consumente? quid tam dignum censoria nota, si quis, ut isti ganeones loquuntur, sibi hoc et genio suo praestet? et totiens tamen sestertio aditiales coenae frugalissimis viris constiterunt. Eadem res, si gulae datur, turpis est; si honori, reprehensionem effugit. Non enim luxuria, sed inpensa solemnis est. Mullum ingentis formae (quare autem non pondus adiicio, et aliquorum gulam inrito? quatuor pondo et ad selibram fuisse aiebant) Tiberius Caesar, missum sibi, quum in macellum deferri et venire iussisset: *Amici*, inquit, *omnia me fallunt, nisi istum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius.* Ultra spem illi coniectura processit: licitati sunt; vicit Octavius, et ingentem consequutus est inter suos gloriam, quum quinque sestertiis emisset piscem, quem Caesar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Numerare tantum Octavio fuit turpe: nam ille, qui emerat, ut Tiberio mitteret, (quamquam illum quoque reprenderim,) admiratus est rem, qua putavit Caesarem dignum. Amico aegro aliquis adsidet; probamus: at, hoc si hereditatis causa facit, vultur est, cadaver exspectat.

Eadem aut turpia sunt, aut honesta: refert, quare, aut quemadmodum fiant. Omnia autem honeste fient, si honesto nos addixerimus, idque unum in rebus humanis bonum iudicaverimus, quae-

que ex eo sunt. Cetera, in diem bona sunt. Ergo infigi debet persuasio ad totam pertinens vitam; hoc est, quod *decretum* voco. Qualis haec persuasio fuerit, talia erunt, quae agentur, quae cogitabuntur: qualia autem haec fuerint, talis vita erit. In particulas suasisse, totum ordinanti parum est. M. Brutus in eo libro, quem περὶ Καθήκοντος inscripsit, dat multa praecepta et parentibus et liberis et fratribus: haec nemo faciet, quemadmodum debet, nisi habuerit, quo referat. Proponamus oportet finem summi Boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat; veluti navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Vita sine proposito vaga est. Quod si utique proponendum est, incipiunt necessaria esse decreta. Illud, ut puto, concedes, nihil esse turpius dubio et incerto ac timido, pedem modo referente, modo producente. Hoc in omnibus rebus accidet nobis, nisi eximantur, quae reprendunt animos ac detinent, perconarique totos vetant.

Quomodo sint Dii colendi, solet praecipi. Accendere aliquem lucernas sabbatis prohibeamus; quoniam nec lumine Dii egent, et ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus salutationibus matutinis fungi, et foribus adsidere templorum: humana ambitio istis officiis capitur; Deum colit, qui novit. Vetemus lintea et strigiles Iovi ferre, et speculum tenere Iunoni: non quaerit ministros Deus; quidni? ipse humano generi ministrat; ubique et omnibus praesto est. Audiat li-

cet quem modum servare in sacrificiis debeat, quam procul resilire a molestis superstitionibus: numquam satis profectum erit, nisi, qualem debet, Deum mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficium gratis dantem. Quae causa est Diis benefaciendi? Natura. Errat, si quis putat illos nocere nolle: non possunt; nec accipere iniuriam queunt, nec facere. Laedere etenim laedique, coniunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, ne periculosos quidem fecit. Primus est Deorum cultus, Deos credere; deinde, reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est; scire, illos esse qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum, nec habent: ceterum castigant quosdam, et coërcent, et inrogant poenas, et aliquando specie boni puniunt. Vis Deos propitiare? bonus esto! Satis illos coluit, quisquis imitatus est.

Ecce altera quaestio, *quomodo Hominibus sit utendum.* Quid agimus? quae damus praecepta? Ut parcamus sanguini humano? quantulum est, ei non nocere, cui debeas prodesse! Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est! Praecipiemus ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum dividat? Quando omnia, quae praestanda sunt ac vitanda, dicam? quum possim breviter hanc illi formulam humani officii tradere: „Omne hoc,

quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, quum ex iisdem et in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit; illa aequum iustumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quam laedi; ex illius imperio paratae sunt iuvantis manus. Iste versus et in pectore, et in ore sit:

Homo sum, humani nihil a me alienum puto! "

Habeamus! In commune nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est; quae casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur. — Post Deos hominesque dispiciamus, *quomodo Rebus sit utendum*. In supervacuum praecepta iactavimus, nisi illud praecesserit, qualem de quacumque re habere debeamus opinionem, de paupertate, de divitiis, de gloria, de ignominia, de patria, de exsilio. Aestimemus singula, fama remota; et quaeramus, quid sint, non quid vocentur.

Ad *Virtutes* transeamus. Praecipiet aliquis, ut prudentiam magni aestimemus, ut fortitudinem conplectamur; temperantiam amemus; iustitiam, si fieri potest, propius etiam, quam ceteras, nobis adplicemus. Sed nihil agetur, si ignoramus, quid sit Virtus; una sit, an plures; separatae, an innexae; an, qui unam habet, et ceteras habeat; quo inter se differant. Non est necesse fabro de fabrica quaerere, quod eius initium, quis usus sit; non magis quam pantomimo, de arte saltandi. Omnes istae artes se sciunt, nihil deest; non

enim ad totam pertinent vitam. Virtus et aliorum scientia est, et sui. Discendum de ipsa est, ut ipsa discatur. Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas: ab hac enim est actio. Rursus, voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim est voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vitae leges perceperit, et, quid de quoque iudicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas, nisi inmutabile certumque iudicium adeptis: ceteri decidunt subinde, et reponuntur, et inter missa adpetitaque alternis fluctuantur. Causa usque iactationis est, quod nihil liquet incertissimo regimine utentibus, fama. Si vis eadem semper velle, vera oportet velis. Ad verum sine decretis non pervenitur; continent vitam. Bona et mala, honesta et turpia, iusta et iniusta, pia et inpia, virtutes ususque virtutum, rerum commodarum possessio, existimatio ac dignitas, valitudo, vires, forma, sagacitas sensuum; haec omnia aestimatorem desiderant. Scire liceat, quanti quidque in censum deferendum sit. Falleris enim, et pluris quaedam, quam sunt, putas: adeoque falleris, ut, quae maxima inter nos habentur, divitiae, gratia, potentia, sestertio nummo aestimanda sint. Hoc nescies, nisi constitutionem ipsam, qua ista inter se aestimantur, inspexeris. Quemadmodum folia virere per se non possunt; ramum desiderant, cui inhaereant, ex quo trahant succum: sic ista praecepta, si sola sunt, marcent; infigi volunt sectae.

Praeterea, non intelligunt hi, qui decreta tollunt, eo ipso confirmari illa, quo tolluntur. Quid enim dicunt? praeceptis vitam satis explicari; superflua esse decreta sapientiae, id est, dogmata. Atqui hoc ipsum, quod dicunt, decretum est: tam, hercules, quam, si nunc ego dicerem, recedendum esse a praeceptis velut supervacuis, utendum esse decretis, in haec sola studium conferendum; hoc ipso, quo negarem curanda esse praecepta, praeciperem. Quaedam admonitionem in Philosophia desiderant, quaedam probationem, et quidem multa; quia involuta sunt, vixque summa diligentia ac summa subtilitate aperiuntur. Si probationes necessariae sunt, necessaria sunt decreta, quae veritatem argumentis conligunt. Quaedam aperta sunt, quaedam obscura. Aperta, quae sensu conprehenduntur, quae memoria; obscura, quae extra haec sunt. Ratio autem non inpletur manifestis; maior eius pars pulchriorque in occultis est. Occulta probationem exigunt, probatio non sine decretis est; necessaria ergo decreta sunt. Quae res communem sensum facit, eadem perfectum, certa rerum persuasio: sine qua si omnia in animo natant, necessaria sunt decreta, quae dant animis inflexibile iudicium. Denique quum monemus aliquem, ut amicum eodem habeat loco, quo se; ut ex inimico cogitet fieri posse amicum; in illo amorem incitet, in hoc moderetur odium; adiicimus „iustum est et honestum.“ Iustum autem honestumque

decretorum nostrorum continet ratio; ergo haec necessaria est, sine qua nec illa sunt.

Sed utraque iungamus: namque et sine radice inutiles rami sunt; et ipsae radices his, quae genuere, adiuvantur. Quantum utilitatis manus habeant, nescire nulli licet; aperte iuvant: cor, illud quo manus vivunt, ex quo impetum sumunt, quo moventur, latet. Idem dicere de praeceptis possum: aperta sunt; decreta vero sapientiae in abdito. Sicut sanctiora sacrorum tantum initiati sciunt; ita in Philosophia, arcana illa admissis receptisque in sacra ostenduntur; at praecepta, et alia eiusmodi, profanis quoque nota sunt.

POSIDONIUS non tantum *praeceptionem*, (nihil enim nos hoc verbo uti prohibet,) sed etiam *suasionem*, et *consolationem*, et *exhortationem* necessariam iudicat. His adiicit *causarum inquisitionem*, *etymologiam* quam quare dicere nos non audeamus, quum Grammatici, custodes Latini sermonis, suo iure ita adpellent, non video. Ait utilem futuram et descriptionem cuiusque virtutis: hanc POSIDONIUS *ethologiam* vocat; quidam *characterismon* adpellant, signa cuiusque virtutis ac vitii et notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur. Haec res eamdem vim habet, quam praecipere. Nam, qui praecipit, dicit: Illa facies, si voles temperans esse. Qui describit, ait: Temperans est, qui illa facit, qui illis abstinet. Quaeris, quid intersit? alter praecepta virtutis dat, alter exemplar. Descriptiones has, et (ut publicanorum utar verbo) *iconismos*, ex usu esse confi-

teor. Proponamus laudanda: invenietur imitator. Putas utile, dari tibi argumenta, per quae intelligas nobilem equum, ne fallaris emturus, ne operam perdas in ignavo? Quanto hoc utilius est, excellentis animi notas nosse, quas ex alio in se transferre permittitur?

Continuo pecoris generosi pullus in arvis
altius ingreditur, et mollia crura reponit:
primus et ire viam, et fluvios tentare minantes
audet, et ignoto sese committere ponti,
nec vanos horret strepitus: illi ardua cervix,
argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga,
luxuriatque toris animosum pectus. —
— Tum, si qua sonum procul arma dedere,
stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
conlectumque premens volvit sub naribus ignem.

Dum aliud agit VIRGILIUS noster, descripsit virum fortem: ego certe non aliam imaginem magno viro dederim. Sit mihi Cato exprimendus, inter fragores bellorum civilium inpavidus, et primus incessens admotos iam exercitus Alpibus, civilique se bello ferens obvium; non alium illi adsignaverim vultum, non alium habitum. Altius certe nemo ingredi potuit, quam qui simul contra Caesarem Pompeiumque se sustulit, et, aliis Caesarianas opes, aliis Pompeianas sibi foventibus, utrumque provocavit, ostenditque aliquas esse et reipublicae partes. Nam parum est in Catone, dicere:

Nec vanos horret strepitus. —

Quidni? quum veros vicinosque non horreat;

quum contra decem legiones, et Gallica auxilia, et mixta barbarica arma civilibus, vocem liberam mittat, et Rempublicam hortetur, ne pro libertate decidat, sed omnia experiatur; honestius in servitutem casura, quam itura? Quantum in illo vigoris ac spiritus, quantum in publica trepidatione fiduciae est! Scit se unum esse, de cuius statu non agatur; non enim quaeri, an liber Cato, sed an inter liberos sit. Inde periculorum gladiorumque contemtus. Libet admirantem invictam constantiam viri, inter publicas ruinas non labantis, dicere:

Luxuriatque toris animosum pectus. —

Proderit non tantum, quales esse soleant boni viri, dicere, formamque eorum et lineamenta deducere; sed, quales fuerint, narrare, et exponere Catonis illud ultimum ac fortissimum vulnus, per quod libertas emisit animam; Laelii sapientiam, et cum suo Scipione concordiam; alterius Catonis domi forisque egregia facta; Tuberonis ligneos lectulos, quum in publicum sternerent, haedinasque pro stragulis pelles, et ante ipsius Iovis cellam adposita convivis vasa fictilia. Quid aliud est, paupertatem in Capitolio consecrare? Ut nullum aliud factum eius habeam, quo illum Catonibus inseram, hoc parum credimus? Censura fuit illa, non coena. O quam ignorant homines cupidi gloriae, quid illa sit, aut quemadmodum petenda! Illo die populus Romanus multorum supellectilem spectavit, unius miratus est. Omnium illorum aurum argentumque fra-

ctum est, et in milliens conflatum; at omnibus seculis Tuberonis fictilia durabunt. Vale.

EPISTOLA XCVI.

Contra Querulos: et omnia a Fato ac Deo venire. Quid igitur indignamur? Pareamus istis, aut potius adsentiamur. Bona.

SENECA Lucilio suo Salutem.

TAMEN tu indignaris aliquid, aut quereris; et non intelligis, nihil esse in istis mali, nisi hoc unum, quod indignaris, et quereris? — Si me interrogas, nihil puto viro miserum, nisi aliquid esse in rerum natura quod putet miserum. Non feram me, quo die aliquid ferre non potero. Male valeo? pars fati est! Familia decubuit? fenus offendit? domus crepuit? damna, vulnera, labores, metus incurrerunt? Solet fieri! Hoc parum est; debuit fieri! Decernuntur ista, non accidunt. Si quid credis mihi, intimos adfectus meos tibi quum maxime detego: in omnibus, quae adversa videntur et dura, sic formatus sum: non pareo Deo, sed adsentior; ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil umquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum invitus conferam. Omnia autem, ad quae gemimus, quae expavescimus, tributa vitae sunt. Horum, mi Lucili, nec speraveris inmunitatem, nec petieris. Vesicae te dolor inquietavit; epulae fuerunt parum dulces; detrimenta continua! Propius accedam: de capite timuisti. Quid tu, nesciebas haec te optare, quum optares senectutem? Omnia ista in longa vita

sunt, quomodo in longa via et pulvis et lutum et pluvia. — Sed volebam vivere, carere tamen incommodis omnibus! — Tam effeminata vox virum dedecet. Videris, quemadmodum hoc votum meum excipias; ego illud magno animo, non tantum bono, facio: neque Dii, neque Deae faciant, ut te fortuna in deliciis habeat! Ipse te interroga, si quis potestatem tibi Deus faciat, utrum velis vivere in macello, an in castris. Atqui vivere, Lucili, militare est. Itaque hi, qui iactantur, et per operosa atque ardua sursum ac deorsum eunt, et expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt, primoresque castrorum; isti, quos putida quies, aliis laborantibus, molliter habet, turturillae sunt, tuti contumeliae causa. Vale.

EPISTOLA XCVII.

Et nunc, et olim, fuisse malos. Exemplum a iudicio Clodiano, quod ille nummis et adulteriis corrupit. De vi deinde Conscientiae; damnari ab ea mala, atque etiam puniri interno flagello aut morsu.

SENECA Lucilio suo Salutem.

ERRAS, mi Lucili, si existimas nostri seculi esse vitium luxuriam et negligentiam boni moris, et alia, quae obiecit suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum; nulla aetas vacavit a culpa. Et, si aestimare licentiam cuiusque seculi incipias, pudet dicere, numquam apertius, quam coram Catone, peccatum est. Credat aliquis pecuniam esse versatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius ob id adulterium,

quod cum Caesaris uxore in aperto commiserat, violatis religionibus eius sacrificii, quod pro populo fieri dicitur, sic submotis extra conspectum omnibus viris, ut picturae quoque masculorum animalium contegantur? Atqui dati iudicibus nummi sunt; et, quod hac etiamnunc pactione turpius est, stupra insuper matronarum et adolescentulorum nobilium stillarii loco exacta sunt. Minus crimine, quam absolutione, peccatum est. Adulterii reus adulteria divisit, nec ante fuit de salute securus, quam similes sui iudices suos reddidit. Haec in eo iudicio facta sunt, in quo, si nihil aliud, Cato testimonium dixerat. Ipsa ponam verba CICERONIS, quia res fidem excedit: (*Epistolarum ad Atticum libro I.*) *Arcessivit ad se, promisit, intercessit, dedit. Iam vero, o Dii boni, rem perditam! etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones, nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt.* — Non vacat de pretio queri, plus in accessionibus fuit. Vis severi illius uxorem? dabo illam. Vis divitis? huius quoque tibi praestabo concubitum. Adulterium nisi feceris, damna. Illa formosa, quam desideras, veniet; illius tibi noctem promitto, nec differo: intra comperendinationem fides promissi mei exstabit. Plus est distribuere adulteria, quam facere: illud est, matribus familiae denuntiare; hoc, inludere. Hi iudices Clodiani a senatu petierant praesidium, quod non erat, nisi damnaturis, necessarium; et impetraverant. Itaque eleganter illis Catulus, absoluto reo: *Quid vos,* in-

quit, *praesidium a nobis petebatis? an, ne nummi vobis eriperentur?* Inter hos tamen iocos, inpune tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno; qui damnationem peius effugit, quam meruit. Quidquam fuisse corruptius illis moribus credis, quibus libido non sacris inhiberi, non iudiciis poterat; quibus in ea ipsa quaestione, quae extra ordinem senatusconsulto exercebatur, plus, quam quaerebatur, admissum est? Quaerebatur, an post adulterium aliquis posset tutus esse; adparuit, sine adulterio tutum esse non posse. Hoc inter Pompeium et Caesarem, inter Ciceronem Catonemque commissum est; Catonem, inquam, illum, quo sedente populus negatur permisisse sibi postulare Florales iocos nudandarum meretricum. Credis spectasse tunc severius homines, quam iudicasse? Et fient, et facta ista sunt: et licentia urbium, aliquando disciplina metuque, numquam sponte, considet. Non est itaque quod credas, nunc plurimum libidini permissum esse, legibus minimum. Longe enim frugalior haec iuventus, quam illa, est, quum reus adulterium apud iudices negaret, iudices apud reum confiterentur; quum stuprum committeretur rei iudicandae causa; quum Clodius iisdem vitiis gratiosus, quibus nocens, conciliaturas exerceret in ipsa causae dictione. Credat hoc quisquam? qui damnabatur uno adulterio, absolutus est multis!

Omne tempus Clodios, non omne Catones feret. Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest, nec comes deesse: et res etiam ipsa sine du-

ce, sine comite, procedit; non pronum [iter] est tantum ad vitia, sed praeceps. Et, quod plerosque inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt, offenduntque deerrantem; vitae peccata delectant. Non gaudet navigio gubernator everso; non gaudet aegro medicus elato; non gaudet orator, si patroni culpa reus cecidit: at, contra, omnibus crimen suum voluptati est. Laetatur ille adulterio, in quod inritatus est ipsa difficultate; laetatur ille circumscriptione furtoque; nec ante illi culpa, quam culpae fortuna, displicuit. Id prava consuetudine evenit. Alioquin, ut scias subesse animis, etiam in pessima abductis, boni sensum, nec ignorari turpe, sed negligi; omnes peccata dissimulant, et, quamvis feliciter cesserint, fructu illorum utuntur, ipsa subducunt. At bona conscientia prodire vult et conspici; ipsas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab EPICURO dictum puto: *Potest nocenti contingere ut lateat, latendi fides non potest:* aut, si hoc modo melius hunc explicari posse iudicas sensum: *Ideo non prodest latere peccantibus, quia latendi etiam si felicitatem habent, fiduciam non habent.* Ita est! tuta scelera esse possunt, secura non possunt.

Hoc ego repugnare sectae nostrae, si sic expediatur, non iudico. Quare? quia prima illa et maxima peccantium est poena, peccasse; nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, inpunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Sed nihi-

lominus et hae illam secundae poenae premunt ac sequuntur, timere semper, et expavescere, et securitati diffidere. Quare ego hoc supplicio nequitiam liberem? quare non semper illam in suspenso relinquam? Illic dissentiamus cum EPICURO, ubi dicit: *Nihil iustum esse natura, et crimina vitanda esse, quia vitari metus non possit.* Hic consentiamus, mala facinora conscientia flagellari, et plurimum illi tormentorum esse, eo, quod perpetua illam sollicitudo urget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suae non potest credere. Hoc enim ipsum argumentum est, Epicure, natura nos a scelere abhorrere; quod nulli non etiam inter tuta timor est. Multos fortuna liberat poena, metu neminem. Quare? nisi quia infixa nobis eius rei aversatio est, quam natura damnavit? Ideo numquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos conscientia, et ipsos sibi ostendit. Proprium autem est nocentium, trepidare. Male de nobis actum erat, quod multa scelera legem et iudicem effugiunt et scripta supplicia, nisi illa naturalia et gravia de praesentibus solverent, et in locum patientiae timor cederet. Vale.

EPISTOLA XCVIII.

Solis internis Bonis fidendum: alia venire, abire. Hoc meditandum, et omnia ut fugacia adspicienda, atque habenda. Praeparandus itaque animus ad amissionem talium, et ad tolerandum obfirmandus. Quidni? alii tulerunt. Sequare exempla, immo ipse esto exemplum. Plane inter bonas utilesque Epistola.

SENECA Lucilio suo Salutem.

NUMQUAM credideris felicem quemquam ex fe-

licitate suspensum! Fragilibus innititur, qui adventitio laetus est: exibit gaudium, quod intravit. At illud ex se ortum, fidele firmumque est, et crescit, et ad extremum usque prosequitur: cetera, quorum admiratio est vulgo, in diem bona sunt. — Quid ergo? non usui ac voluptati esse possunt? — Quis negat? sed ita, si illa ex nobis pendent, non ex illis nos. Omnia quae fortunam intuentur, ita fructifera ac iucunda fiunt, si, qui habet illa, se quoque habet, nec in rerum suarum potestate est. Errant enim, Lucili, qui aut boni aliquid nobis, aut mali iudicant tribuere fortunam: materiam dat bonorum ac malorum, et initia rerum apud nos in malum bonumve exiturarum. Valentior enim omni fortuna animus est; in utramque partem ipse res suas ducit, beataeque ac miserae vitae sibi causa est. Malus omnia in malum vertit, etiam quae cum specie optimi venerant: rectus atque integer corrigit prava fortunae, et dura atque aspera ferendi scientia mollit; idemque et secunda grate excipit modesteque, et adversa constanter ac fortiter. Qui licet prudens sit, licet exacto faciat cuncta iudicio, licet nihil supra vires suas tentet; non continget illi bonum illud integrum, et extra minas positum, nisi certus adversus incerta est. Sive alios observare volueris, (liberius enim inter aliena iudicium est,) sive te ipsum, favore seposito; et senties hoc, et confiteberis, nihil ex his optabilibus et caris utile esse, nisi te contra levitatem casus, rerumque casum sequentium, instruxeris;

nisi illud frequenter, et sine querela, inter singula damna dixeris: *Diis aliter visum est.* Immo, mehercules, ut carmen fortius ac iustius repetam, quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quotiens aliquid aliter, quam cogitabas, evenerit: *Dii melius.* Sic composito nihil accidet. Sic autem componetur, si, quid humanarum rerum varietas possit, cogitaverit, antequam senserit; si et liberos, et coniugem, atque patrimonium sic habuerit, tamquam non utique semper habiturus, et tamquam non futurus ob hoc miserior, si habere desierit. Calamitosus est animus futuri anxius, et ante miserias miser; qui sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque permaneant. Nullo enim tempore conquiescet; et exspectatione venturi praesentia, quibus frui poterat, amittet. In aequo est autem amissio rei, et timor amittendae.

Nec ideo praecipio tibi negligentiam. Tu vero metuenda declina; quidquid consilio prospici potest, prospice; quodcumque laesurum est, multo ante, quam accidat, speculare et averte. In hoc ipsum tibi plurimum conferet fiducia, et ad tolerandum omnino obfirmata mens. Potest fortunam cavere, qui potest ferre; certe in tranquillo non tumultuatur. Nihil est nec miserius nec stultius, quam praetimere. Quae ista dementia est, malum suum antecedere? Denique, ut breviter includam quod sentio, et istos satagios ac sibi molestos describam tibi: tam intemperantes in ipsis miseriis sunt, quam sunt ante illas. Plus dolet

quam necesse est, qui ante dolet quam necesse sit. Eadem enim infirmitate dolorem non aestimat, qua non exspectat. Eadem intemperantia fingit sibi perpetuam felicitatem suam, fingit sibi crescere debere quaecumque contigerunt, non tantum durare; et, oblitus huius petauri, quo humana iactantur, sibi uni fortuitorum constantiam spondet. Egregie itaque videtur mihi METRODORUS dixisse in ea *Epistola*, qua sororem, amisso optimae indolis filio, adloquitur: *Mortale est omne mortalium bonum!* De his loquitur bonis, ad quae concurritur: nam illud verum bonum non moritur, certum est sempiternumque, sapientia et virtus: hoc unum contingit inmortale mortalibus. Ceterum tam inprobi sunt, tamque obliti quo eant, quo illos singuli dies turbent, ut mirentur aliquid ipsos amittere, amissuri uno die omnia. Quidquid est, cui dominus inscriberis, apud te est, tuum non est; nihil firmum infirmo, nihil fragili aeternum et invictum est. Tam necesse est perire quam perdere; et hoc ipsum, si intelligimus, solatium est, aequo animo perdere, quod periturum est.

Quid ergo adversus has amissiones auxilii invenimus? — Hoc, ut memoria teneamus amissa, nec cum ipsis fructum excidere patiamur, quem ex illis percepimus. Habere eripitur; habuisse numquam. Peringratus est, qui, quum amisit, pro accepto nihil debet. Rem nobis eripit casus; usum fructumque apud nos reliquit, quem nos iniquitate desiderii perdidimus. Dic tibi: „Ex

istis, quae terribilia videntur, nihil est invictum. Singula vicere iam multi: ignem Mucius; crucem Regulus; venenum Socrates; exsilium Rutilius; mortem ferro adactam Cato: et nos vincamus aliquid! Rursus ista, quae, ut speciosa et felicia, trahunt vulgum, a multis et saepe contemta sunt. Fabricius divitias imperator reiecit, censor notavit; Tubero paupertatem et se dignam et Capitolio iudicavit, quum, fictilibus in publica coena usus, ostendit, debere his hominem esse contentum, quibus Dii etiamnunc uterentur. Honores repulit pater Sextius, qui, ita natus, ut rempublicam deberet capessere, latum clavum, divo Iulio dante, non recepit: intelligebat enim, quod dari posset, et eripi posse. Nos quoque aliquid ipsi faciamus animose! simus inter exempla! Quare deficimus? quare desperamus? Quidquid fieri potuit, potest. Nos modo purgemus animum, sequamurque naturam; a qua aberranti cupiendum timendumque est, et fortuitis serviendum. Licet reverti in viam, licet in integrum restitui. Restituamur, ut possimus dolores, quocumque modo corpus invaserint, perferre, et fortunae dicere: *Cum viro tibi negotium est; quaere quem vincas!* "

His sermonibus, et his similibus, lenitur illa vis ulceris: quam opto mehercules mitigari, et aut sanari, aut stare et cum ipso senescere. Sed securus de illo sum: de nostro damno agitur, quibus senex egregius eripitur. Nam ipse vitae plenus est, cui adiici nihil desiderat sua causa, sed eorum quibus utilis est. Liberaliter facit,

quod vivit. Alius iam hos cruciatus finisset: hic tam turpe putat mortem fugere, quam ad mortem confugere. — Quid ergo? non, si suadebit res, exibit? — Quidni exeat, si nemo iam uti eo poterit? si nihil aliud, quam dolori operam dabit? Hoc est, mi Lucili, philosophiam in opere discere, et ad verum exerceri: videre quid homo prudens animi habeat contra mortem, contra dolorem; quum illa accedat, hic premat. Quid faciendum sit, a faciente discendum est. Adhuc argumentis actum est, an posset aliquis dolori resistere, an mors magnos quoque animos admota submitteret. Quid opus est verbis? In rem praesentem eamus! nec mors illum contra dolorem facit fortiorem, nec dolor contra mortem: contra utrumque sibi fidit; nec spe mortis patienter dolet, nec taedio doloris libenter moritur: hunc fert, illam exspectat. Vale.

EPISTOLA XCIX.

Consolatoria in morte filii. Sapiens, ita me Deus, et diserta.

SENECA Lucilio suo Salutem.

EPISTOLAM, quam scripsi Marullo, quum filium parvulum amisisset, et diceretur molliter ferre, misi tibi. In qua non sum solitum morem sequutus, nec putavi leniter illum debere tractari, quum obiurgatione esset quam solatio dignior. Adflicto enim, et magnum vulnus male ferenti, paulisper cedendum est: exsatiet se, aut certe primum impetum effundat. Hi, qui sibi lugere

sumserunt, protinus castigentur, et discant, quasdam etiam lacrimarum ineptias esse.

„Solatia exspectas? convicia accipe. Tam molliter tu fers mortem filii? quid faceres, si amicum perdidisses? Decessit filius incertae spei, parvulus: pusillum temporis periit. Causas doloris conquirimus, et de fortuna etiam iniquo queri volumus, quasi non sit iustas querendi causas praebitura. At, mehercules, satis mihi iam videbaris animi habere, etiam adversus solida mala; nedum ad istas umbras malorum, quibus ingemiscunt homines moris causa. Quod damnorum omnium maximum est, si amicum perdidisses, danda opera erat, ut magis gauderes quod habueras, quam moereres quod amiseras. Sed plerique non conputant, quanta praeceperint, quantum gavisi sint. Hoc habet inter reliqua mali dolor iste: non supervacuus tantum, sed ingratus est. Ergo, quod habuisti talem amicum, periit opera? tot annis, tanta coniunctione vitae, tam familiari studiorum societate, nihil actum est? Cum amico effers amicitiam? et quid doles amisisse, si habuisse non prodest? Mihi crede, magna pars ex his, quos amavimus, licet ipsos casus abstulerit, apud nos manet. Nostrum est, quod praeteriit, tempus; nec quidquam est loco tutiore, quam quod fuit. Ingrati adversus praecepta, spe futuri, sumus; quasi non, quod futurum est, si modo successerit nobis, cito in praeterita transiturum sit. Anguste fructus rerum determinat, qui tantum praesentibus laetus est: et futura et praeterita dele-

ctant; haec, exspectatione; illa, memoria: sed alterum pendet, et non fieri potest; alterum non potest non fuisse. Quis ergo furor est, certissimo excidere? Adquiescamus his, quae iam hausimus; si modo non perforato animo hauriebamus, et transmittente quidquid acceperat. "

„Innumerabilia sunt exempla eorum, qui liberos iuvenes sine lacrimis extulerint; qui in senatum, aut in aliquod publicum officium, a rogo redierint, et statim aliud egerint. Nec inmerito: nam, primum, supervacuum est dolere, si nihil dolendo proficias; deinde, iniquum est queri de eo, quod uni accidit, omnibus restat. Deinde, desiderii stulta conquestio est, ubi minimum interest inter amissum et desiderantem: eo itaque aequiore animo esse debemus, quod, quos amisimus, sequimur. Respice celeritatem rapidissimi temporis; cogita brevitatem huius spatii, per quod citatissimi currimus; observa hunc comitatum generis humani, eodem tendentis, minimis intervallis distinctum, etiam ubi maxima videntur: quem putas perisse, praemissus est. Quid autem dementius, quam, quum idem tibi iter emetiendum sit, flere eum, qui antecessit? Flet aliquis factum, quod non ignoravit futurum? aut, si mortem in homine non cogitavit, sibi inposuit. Flet aliquis factum, quod aiebat non posse non fieri? Quisquis aliquem queritur mortuum esse, queritur hominem fuisse. Omnes eadem conditio devinxit: cui nasci contigit, mori restat. Intervallis distinguimur, exitu aequamur. Hoc, quod

inter primum diem et ultimum iacet, varium incertumque est: si molestias aestimas, etiam puero longum; si velocitatem, etiam seni angustum. Nihil non lubricum et fallax, et omni tempestate mobilius. Iactantur cuncta, et in contrarium transeunt, iubente fortuna: et in tanta volutatione rerum humanarum nihil cuiquam, nisi mors, certum est. Tamen de eo queruntur omnes, in quo uno nemo decipitur."

„Sed puer decessit! — Nondum dico, melius agi cum eo qui vita defungitur: ad eum transeamus qui consenuit; quantulo vincit infantem? Propone temporis profundi vastitatem, et universum conplectere; deinde hoc, quod aetatem vocamus humanam, conpara inmenso: videbis quam exiguum sit, quod optamus, quod extendimus. Ex hoc quantum lacrimae, quantum sollicitudines occupant? quantum mors, antequam veniat, optata? quantum valitudo, quantum timor. quantum teneri aut rudes aut inutiles anni? dimidium ex hoc edormitur. Adiice labores, luctus, pericula; et intelliges, etiam in longissima vita minimum esse quod vivitur. Sed quis tibi concedet, non melius se habere eum, cui cito reverti licet, cui ante lassitudinem peractum est iter? Vita nec bonum nec malum est; boni ac mali locus est. Ita nihil ille perdidit, nisi aleam in damnum certiorem. Potuit evadere modestus et prudens; potuit sub cura tua in meliora formari: sed (quod iustius timetur) potuit fieri pluribus similis. Adspice illos iuvenes, quos ex nobilissimis domibus

in arenam luxuria proiecit; adspice illos, qui suam alienamque libidinem exercent, mutuo inpudici; quorum nullus sine ebrietate, nullus sine aliquo insigni flagitio dies exit: plus timeri quam sperari potuisse, manifestum erit. Non debes itaque causas doloris arcessere, nec levia incommoda indignando cumulare. Non hortor, ut nitaris, et surgas: non tam male de te iudico, ut tibi adversus hoc totam putem virtutem advocandam. Non est dolor iste, sed morsus: tu illum dolorem facis. Sine dubio multum Philosophia profecit, si puerum, nutrici adhuc quam patri notiorem, animo forti desideras!"

„Quid? nunc ergo duritiam suadeo, et in funere ipso rigere vultum volo, et animum ne contrahi quidem patior? Minime! Inhumanitas est ista, non virtus, funera suorum iisdem oculis, quibus ipsos, videre, nec commoveri ad primam familiarium divulsionem. Puta autem me vetare; quaedam sunt sui iuris: excidunt etiam retinentibus lacrimae, et animum profusae levant. Quid ergo est? Permittamus illis cadere, non imperemus: fluat quantum adfectus eiecerit, non quantum poscet imitatio. Nihil vero moerori adiiciamus, nec illum ad alienum augeamus exemplum. Plus ostentatio doloris exigit, quam dolor: quotusquisque sibi tristis est? Clarius, quum audiuntur, gemunt; et, taciti quietique dum secretum est, quum aliquos videre, in fletus novos excitantur. Tunc capiti suo manus ingerunt; quod potuerant facere, nullo prohibente, liberius: tunc

mortem comprecantur sibi; tunc lectulo devolvuntur. Sine spectatore cessat dolor. Sequitur nos, ut in aliis rebus, ita in hac quoque, hoc vitium, ad plurium exempla componi; nec, quid oporteat, sed quid soleat, adspicere. A natura discedimus: populo nos damus, nullius rei bono auctori; et in hac re, sicut in omnibus, inconstantissimo. Videt aliquem fortem in luctu suo; inpium vocat, et efferatum: videt aliquem conlabentem, et corpori adfusum; effeminatum ait, et enervem. Omnia itaque ad rationem revocanda sunt. "

„Stultius vero nihil est, quam famam captare tristitiae, et lacrimas adprobare; quas iudico sapienti viro alias permissas cadere, alias vi sua lapsas. Dicam quid intersit. Quum primus nos nuntius acerbi funeris perculit; quum tenemus corpus e complexu nostro in ignem transiturum; lacrimas naturalis necessitas exprimit: et spiritus, ictu doloris inpulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos; quibus adiacentem humorem perpremit et expellit. Hae lacrimae per elisionem cadunt nolentibus nobis. Aliae sunt, quibus exitum damus, quum memoria eorum, quos amisimus, retractatur; et inest quiddam dulce tristitiae, quum occurrunt sermones eorum iucundi, conversatio hilaris, officiosa pietas: tunc oculi, velut in gaudio, relaxantur. His indulgemus; illis vincimur. Non est itaque, quod lacrimas propter circumstantem adsidentemque aut contineas, aut exprimas: nec cessant, nec fluunt

umquam tam turpiter, quam finguntur. Eant sua sponte; ire autem possunt placidis atque compositis. Saepe, salva sapientis auctoritate, fluxerunt; tanto temperamento, ut illis nec humanitas, nec dignitas deesset. Licet, inquam, naturae obsequi, gravitate servata. Vidi ego in funere suorum verendos, in quorum ore amor eminebat, remota omni lugentium scena. Nihil erat, nisi quod veris dabatur adfectibus. Est aliquis et dolendi decor: hic sapienti servandus est; et, quemadmodum in ceteris rebus, ita et in lacrimis aliquid sat est. Inprudentium, ut gaudia, sic dolores exundavere. Aequo animo excipe necessaria. Quid incredibile, quid novum evenit? quam multis quum maxime funus locatur! quam multis vitalia emuntur! quam multi post luctum tuum lugent! "

„Quotiens cogitaveris puerum fuisse, cogita et hominem; cui nihil certi promittitur, quem fortuna non utique perducit ad senectutem; unde visum est, dimittit. Ceterum frequenter de illo loquere, et memoriam eius, quantum potes, celebra; quae ad te saepius revertetur, si erit sine acerbitate ventura. Nemo enim libenter tristi conversatur, nedum tristitiae. Si quos sermones eius, si quos quamvis parvuli iocos cum voluptate audieras, saepius repete: potuisse illum inplere spes tuas, quas paterna mente conceperas, audacter adfirma. Oblivisci quidem suorum, ac memoriam cum corporibus efferre; et effusissime flere, meminisse parcissime; inhumani animi est. Sic aves, sic ferae suos diligunt fetus; quarum concitatus

est amor, et paene rabidus, sed cum amissis totus exstinguitur. Hoc prudentem virum non decet: meminisse perseveret, lugere desinat. "

„Illud nullo modo probo, quod ait METRODORUS, *esse aliquam cognatam tristitiae voluptatem; hanc esse captandam in eiusmodi tempore.* Ipsa METRODORI verba subscripsi. Μητροδώρου Ἐπιστολῶν πρὸς τὴν ἀδελφὴν α΄. Ἔστιν γάρ τις [λύπῃ συγγενὴς] ἡδονὴ, ἣν κυνηγετεῖν κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν. De quibus non dubito quid sis sensurus. Quid enim turpius, quam captare in ipso luctu voluptatem, immo per luctum; et inter lacrimas quoque, quod iuvet, quaerere? Hi sunt qui nobis obiiciunt nimium rigorem, et infamant praecepta nostra duritia, quod dicamus dolorem aut admittendum in animum non esse, aut cito expellendum. Utrum tandem est aut incredibilius, aut inhumanius, non sentire amisso amico dolorem, an voluptatem in ipso dolore aucupari? Nos quod praecipimus, honestum est: quum aliquid lacrimarum adfectus effuderit, et, ut ita dicam, despumaverit, non esse tradendum animum dolori. Quid tu dicis? miscendam ipsi dolori voluptatem! Sic consolamur crustulo pueros, sic infantium fletum infuso lacte conpescimus. Ne illo quidem tempore, quo filius ardet, aut amicus exspirat, cessare pateris voluptatem, sed ipsum vis titillare moerorem. Utrum honestius dolor ab animo submovetur, an voluptas ad dolorem quoque admittitur? *admittitur*, dico? *captatur*, et quidem ex ipso! *Est aliqua*, inquit, *voluptas co-*

gnata tristitiae. — Illud nobis licet dicere; vobis quidem non licet. Unum bonum nostis, voluptatem; unum malum, dolorem. Quae potest inter bonum et malum esse cognatio? Sed puta esse; nunc potissimum eruitur? et ipsum dolorem scrutamur, an aliquid habeat iucundum circa se et voluptarium? Quaedam remedia, aliis partibus corporis salutaria, velut foeda et indecora adhiberi aliis nequeunt; et, quod aliubi prodesset sine damno verecundiae, id fit inhonestum loco vulneris. Non te pudet luctum voluptate sanare? Severius ista plaga curanda est. Illud potius admone, nullum mali sensum ad eum, qui periit, pervenire; nam si pervenit, non periit. Nulla, inquam, eum res laedit, qui nullus est; vivit, si laeditur. Utrum putas illi male esse, quod nullus est? an, quod est adhuc aliquis? Atqui nec ex eo potest ei tormentum esse, quod non est: quis enim nullius sensus est? nec ex eo, quod est; effugit enim maximum mortis incommodum, non esse. Illud quoque dicamus ei, qui deflet ac desiderat in aetate prima raptum: Omnes, quantum ad brevitatem aevi, si universo conpares, et iuvenes et senes, in aequo sumus. Minus enim ad nos ex omni aetate venit, quam quod minimum esse quis dixerit; quoniam quidem minimum, aliqua pars est; hoc, quod vivimus, proximum nihilo est: et tamen (o dementiam nostram!) late disponitur. "

„ Haec tibi scripsi, non tamquam exspectaturus esses remedium a me tam serum: liquet enim

mihi, te loquutum tecum quidquid lecturus es: sed ut castigarem illam exiguam moram, qua a te recessisti, et in reliquum adhortarer, contra fortunam tolleres animos, et omnia eius tela, non tamquam possent venire, sed tamquam utique essent ventura, prospiceres. " Vale.

EPISTOLA C.

De Papirio Fabiano philosopho iudicium, eiusque scriptis.

SENECA Lucilio suo Salutem.

FABIANI PAPIRII *libros*, qui inscribuntur *Civilium*, legisse te cupidissime scribis, sed non respondisse exspectationi tuae: deinde, oblitus de philosopho agi, compositionem eius accusas. — Puta esse, quod dicis, et effundi verba, non fingi: primum, habet ista res suam gratiam; et est decor proprius orationis leniter lapsae. Multum enim interesse existimo, utrum exciderit, an fluxerit. Nunc in hoc quoque, quod dicturus sum, ingens differentia est. Fabianus mihi non effundere videtur orationem, sed fundere: adeo larga est; et sine perturbatione, non sine cursu tamen, veniens. Illud plane fatetur et praefert, non esse tractatam, nec diu tortam. Sed ita, ut vis, esse credamus: mores ille, non verba composuit, et animis scripsit ista, non auribus. Praeterea, ipso dicente non vacasset tibi partes intueri, adeo te summa rapuisset: et fere, quae impetu placent, minus praestant ad manum relata. Sed illud quoque multum est, primo adspectu oculos occu-

passe; etiam si contemplatio diligens inventura est quod arguat. Si me interrogas, maior ille est, qui iudicium abstulit, quam qui meruit: et scio hunc tutiorem esse; scio audacius sibi de futuro promittere.

Oratio sollicita Philosophum non decet. Ubi tandem erit fortis et constans, ubi periculum sui faciet, qui timet verbis? Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus. Itaque nihil invenies sordidum: electa verba sunt, non captata, nec huius seculi more contra naturam suam posita et inversa; splendida tamen, quamvis sumantur e medio: sensus honestos et magnificos habes, non coactos in sententiam, sed latius dictos. Videbimus quod parum recisum sit, quod parum structum, quod non huius recentis politurae: quum circumspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes. Desit sane varietas marmorum, et concisura aquarum cubiculis interfluentium, et pauperis cella, et quidquid aliud luxuria, non contenta decore simplici, miscet: quod dici solet, domus *recta* est. Adiice nunc, quod de compositione non constat. Quidam illam volunt esse ex horrido comtam; quidam usque eo aspera gaudent, ut etiam, quae mollius casus explicuit, ex industria dissipent, et clausulas abrumpant, ne ad exspectatum respondeant. Lege *Ciceronem*: compositio eius una est; pedem curvat lenta, et sine infamia mollis. At contra, *Pollionis Asinii* salebrosa, et exsiliens, et, ubi minime exspectes, relictura. Denique, omnia apud Ciceronem de-

sinunt, apud Pollionem cadunt; exceptis paucissimis, quae ad certum modum, et ad unum exemplar, adstricta sunt. Humilia praeterea tibi videri dicis omnia, et parum erecta; quo vitio carere eum iudico. Non sunt enim humilia illa, sed placida, et ad animi tenorem quietum compositumque formata; nec depressa, sed plana. Deest illis oratorius vigor, stimulique, quos quaeris, et subiti ictus sententiarum; sed totum corpus (videris quam sit comtum) honestum est. Non habet oratio eius, sed debet dignitatem. Adfer, quem *Fabiano* possis praeponere. Dic *Ciceronem*, cuius libri ad Philosophiam pertinentes paene totidem sunt, quot Fabiani: cedam; sed non statim pusillum est, si quid maximo minus est. Dic *Asinium Pollionem:* cedam; et respondeamus: In re tanta eminere est, post duos esse. Nomina adhuc *T. Livium:* scripsit enim et Dialogos, quos non magis Philosophiae adnumerare possis, quam Historiae, et ex professo Philosophiam continentes libros. Huic quoque dabo locum; vide tamen, quam multos antecedat, qui a tribus vincitur, et tribus eloquentissimis.

Sed non praestat omnia; non est fortis oratio eius, quamvis elata sit; non est violenta, nec torrens, quamvis effusa sit; non est perspicua, sed pura. Desideres, inquis, contra vitia aliquid aspere dici, contra pericula animose, contra fortunam superbe, contra ambitionem contumeliose: volo luxuriam obiurgari, libidinem traduci, inpotentiam frangi; sit aliquid oratorie acre, tragi-

ce grande, comice exile. — Vis illum adsidere pusillae rei, verbis? Ille rerum se magnitudini addixit; eloquentiam, velut umbram, non hoc agens, contrahit. Non erunt sine dubio singula circumspecta, nec in se conlecta, nec omne verbum excitabit ac punget, fateor; exibunt multa, nec ferient, et interdum otiosa praeterlabetur oratio: sed multum erit in omnibus lucis, et ingens sine taedio spatium. Denique illud praestabit, ut liqueat tibi, illum sensisse quae scripsit. Intelliges hoc actum, ut tu scires, quid illi placeret; non ut ille placeret tibi. Ad profectum omnia tendunt, ad bonam mentem; non quaeritur plausus. Talia esse scripta eius non dubito; etiamsi magis reminiscor, quam teneo; haeretque mihi color eorum, non ex recenti conversatione familiariter, sed summatim, ut solet ex vetere notitia. Quum audirem certe illum, talia mihi videbantur; non solida, sed plena; quae adolescentem indolis bonae adtollerent, et ad imitationem sui evocarent, sine desperatione vincendi: quae mihi adhortatio videtur efficacissima; deterret enim, qui imitandi cupiditatem fecit, spem abstulit. Ceterum verbis abundabat; sine commendatione partium singularum, in universum magnificus. Vale.

EPISTOLA CI.

De subita morte cuiusdam noti: et ex occasione, nihil fidendum aut spondendum nobis. Omnia incerta; ideoque vita bona non differenda: longa autem non optanda. Et exagitat Maecenatis turpissimum votum.

SENECA Lucilio suo Salutem.

OMNIS dies, omnis hora, quam nihil sumus, ostendit, et aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos; tum aeterna meditatos respicere cogit ad mortem. — Quid sibi istud principium velit, quaeris? Senecionem Cornelium, equitem Romanum splendidum et officiosum, noveras: ex tenui principio se ipse promoverat, et iam illi declivis erat cursus ad cetera. Facilius enim crescit dignitas, quam incipit. Pecunia quoque circa paupertatem plurimam moram habet, dum ex illa erepat. Hic etiam Senecio divitiis inminebat, ad quas illum duae res ducebant efficacissimae, et quaerendi, et custodiendi scientia; quarum vel altera locupletem facere potuisset. Hic homo summae frugalitatis, non minus patrimonii quam corporis diligens, quum me ex consuetudine mane vidisset; quum per totum diem amico graviter adfecto, et sine spe iacenti, usque in noctem adsedisset; quum hilaris coenasset; genere valitudinis praecipiti arreptus, angina, vix conpressum artatis faucibus spiritum traxit in lucem. Intra paucissimas ergo horas, postquam omnibus erat sani ac valentis officiis functus, decessit. Ille, qui et terra et mari pecuniam agitabat; qui ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quaestus, accesserat; in ipso actu bene cedentium rerum, in ipso procurrentis pecuniae impetu, raptus est.

Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vites!

Quam stultum est, aetatem disponere ne crastini

quidem dominum! O quanta dementia est spes longas inchoantium! — Emam, aedificabo, credam, exigam, honores geram; tum demum lassam et plenam senectutem in otium referam. — Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt; nihil sibi quisquam de futuro debet promittere; id quoque, quod tenetur, per manus exit; et ipsam, quam premimus, horam casus incidit. Volvitur tempus, rata quidem lege, sed per obscurum: quid autem ad me, an naturae certum sit, quod mihi incertum est? Navigationes longas, et, pererratis litoribus alienis, seros in patriam reditus proponimus, militiam, et castrensium laborum tarda manupretia, procurationes, officiorumque per officia processus; quum interim ad latus mors est: quae quoniam numquam cogitatur, nisi aliena, subinde nobis ingeruntur mortalitatis exempla, non diutius, quam dum miramur, haesura. Quid autem stultius, quam mirari id ullo die factum, quod omni potest fieri? Stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit; sed nemo scit nostrûm, quam prope versetur.

Sic itaque formemus animum, tamquam ad extrema ventum sit; nihil differamus; quotidie cum vita paria faciamus. Maximum vitae vitium est, quod inperfecta semper est, quod in aliud ex alio differtur. Qui quotidie vitae suae summam manum inposuit, non indiget tempore. Ex hac autem indigentia timor nascitur, et cupiditas futuri, exedens animum. Nihil est miserius

dubitatione venientium, quorsus evadant. Quantum sit illud, quod restat, aut quale, [non] conlecta mens inexplicabili formidine agitatur. Quo modo effugiemus hanc volutationem? uno, si vita nostra non prominebit, si in se conligetur: ille enim ex futuro suspenditur, cui inritum est praesens. Ubi vero, quidquid mihi debui, redditum est; ubi stabilita mens scit, nihil interesse inter diem et seculum; quidquid deinceps dierum rerumque venturum est, ex alto prospicit, et cum multo risu seriem temporum cogitat. Quid enim varietas mobilitasque casuum perturbabit, si certus sis adversus incerta? Ideo propera, Lucili mi, vivere; et singulos dies, singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptavit; cui vita sua quotidie fuit tota; securus est. In spe viventibus, proximum quodque tempus elabitur, subitque aviditas, et miserrimus, ac miserrima omnia efficiens, metus mortis. Inde illud MAECENATIS turpissimum votum, quo et debilitatem non recusat, et deformitatem, et novissime acutam crucem, dummodo inter haec mala spiritus prorogetur:

Debilem facito manu,
debilem pede, coxa;
tuber adstrue gibberum,
lubricos quate dentes:
vita dum superest, bene est!
Hanc mihi, vel acuta
si sedeam cruce, sustine.

Quod miserrimum erat, si incidisset, optatur; et tamquam vita petitur supplicii mora. Contemtis-

simum putarem, si vivere vellet usque ad crucem. Tu vero, inquit, me debilites licet, dum spiritus in corpore fracto et inutili maneat; depraves licet, dum monstroso et distorto temporis aliquid accedat; suffigas licet, et acutam sessuro crucem subdas: est tanti, vulnus suum premere, et patibulo pendere destrictum, dum differat, id quod est in malis optimum, supplicii finem: est tanti, habere animam, ut agam! — Quid huic optes, nisi Deos faciles? quid sibi vult ista carminis effeminati turpitudo? quid timoris dementissimi pactio? quid tam foeda vitae mendicatio? Cui putes umquam recitasse VIRGILIUM,

Usque adeone mori miserum est? —

Optat ultima malorum; et, quae pati gravissimum est, extendi ac sustineri cupit: qua mercede? scilicet vitae longioris. Quod autem vivere est, diu mori? Invenitur aliquis, qui malit inter supplicia tabescere, et perire membratim, et totiens per stillicidia amittere animam, quam semel exhalare? Invenitur qui velit adactus ad illud infelix lignum, iam debilis, iam pravus, et in foedum scapularum ac pectoris tuber elisus, cui multae moriendi causae etiam citra crucem fuerant, trahere animam tot tormenta tracturam? Nega nunc magnum beneficium esse naturae, quod necesse est mori. Multi peiora adhuc pacisci parati sunt; etiam amicum prodere, ut diutius vivant; et liberos ad stuprum manu sua tradere, ut contingat lucem videre, tot consciam scelerum. Excutienda vitae cupido est, discendum-

que, nihil interesse, quando patiaris quod quandoque patiendum est. Quam bene vivas refert, non quamdiu; saepe autem in hoc est bene, ne diu. Vale.

EPISTOLA CII.

Aliquid de Immortalitate animae: tum quaestiunculae, An claritas post mortem ad nos faciat? Disputat tenuiter primo et scholastice: tum in extremo adsurgit, et ad Deum ac coelestia animum ducit. Corpus hoc, sarcinam aut velamentum esse: sperni debere et exui, quum Deus et dies ille vocant.

Seneca Lucilio suo Salutem.

Quomodo molestus est iucundum somnium videnti, qui excitat: (aufert enim voluptatem, etiamsi falsam, effectum tamen verae habentem:) sic epistola tua mihi fecit iniuriam; revocavit enim me, cogitationi aptae traditum, et iturum, si licuisset, ulterius. Iuvabat *de Aeternitate animarum* quaerere, immo mehercules credere: credebam enim me facile opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis, quam probantium. Dabam me spei tantae: iam eram fastidio mihi; iam reliquias aetatis infractae contemnebam, in inmensum illud tempus, et in possessionem omnis aevi transiturus; quum subito experrectus sum epistola tua accepta, et tam bellum somnium perdidi. Quod repetam, si te dimisero, et redimam.

Negat me epistola prima totam quaestionem explicuisse, in qua probare conabar id, quod nostris placet, *claritatem, quae post mortem contingit, bonum esse.* Id enim me non solvisse, quod oppo-

nitur nobis: Nullum, inquiunt, bonum ex distantibus; hoc autem ex distantibus constat. — Quod interrogas, mi Lucili, eiusdem quaestionis est, loci alterius; et ideo non hoc tantum, sed alia quoque eodem pertinentia, distuleram. Quaedam enim, ut scis, moralibus rationalia inmixta sunt. Itaque illam partem rectam, et ad mores pertinentem, tractavi: Numquid stultum sit ac supervacuum, ultra extremum diem curas transmittere; an cadant bona nostra nobiscum, nihilque sit eius, qui nullus est; an ex eo, quod, quum erit, sensuri non simus, antequam sit, aliquis fructus percipi aut peti possit? Haec omnia ad mores spectant; itaque suo loco posita sunt. At, quae a dialecticis contra hanc opinionem dicuntur, segreganda fuerunt; et ideo seposita sunt. Nunc, quia omnia exigis, omnia, quae dicunt, persequar; deinde singulis occurram.

Nisi aliquid praedixero, intelligi non poterunt, quae refellentur. Quid est, quod praedicere velim? Quaedam continua esse corpora, ut hominem; quaedam esse composita, ut navem, domum, omnia denique quorum diversae partes iunctura in unum coactae sunt; quaedam ex distantibus, quorum adhuc membra separata sunt, tamquam exercitus, populus, senatus: illi enim, per quos ista corpora efficiuntur, iure aut officio cohaerent, natura diducti et singuli sunt. Quid est, quod etiam nunc praedicere velim? Nullum bonum putamus esse, quod ex distantibus constat: uno enim spiritu unum bonum contineri ac

regi debet, unum esse unius boni principale. Hoc, si quando desideraveris, per se probatur; interim ponendum fuit, quia in nos nostra tela mittuntur.

„Dicitis, inquit, nullum bonum ex distantibus esse; claritas autem ista, bonorum virorum secunda opinio est. Nam quomodo fama non est unius sermo, nec infamia unius mala existimatio; sic nec claritas, uni bono placuisse. Consentire in hoc plures insignes et spectabiles viri debent, ut claritas sit. Haec autem ex iudiciis plurium efficitur, id est, distantium: ergo non est bonum. Claritas, inquit, laus est a bonis bono reddita; laus oratio; oratio vox est, aliquid significans; vox autem, licet bonorum virorum sit, bonum non est. Nec enim, quidquid vir bonus facit, bonum est: nam et plaudit, et sibilat; sed nec plausum quisquam, nec sibilum, licet omnia eius admiretur et laudet, bonum dicit; non magis quam sternumentum aut tussim. Ergo claritas bonum non est. Ad summam, dicite nobis, utrum laudantis, an laudati bonum sit? Si laudantis bonum esse dicitis, tam ridiculam rem facitis, quam si adfirmetis meum esse, quod alius bene valeat. Sed laudare dignos, honesta actio est: ita laudantis bonum est, cuius actio est; non nostrûm, qui laudamur: atqui hoc quaerebatur."

Respondebo nunc singulis cursim. Primum, an sit aliquod ex distantibus bonum, etiam nunc quaeritur; et pars utraque sententias habet. Deinde, claritas non desiderat multa suffragia; potest et unius boni viri iudicio esse contenta: nos

bonos bonus iudicat. — Quid ergo? inquit, et fama erit unius hominis existimatio, et infamia unius malignus sermo? Gloriam quoque, inquit, latius fusam intelligo; consensum enim multorum exigit. — Diversa horum conditio est, et illius. Quare? quia, si de me bene vir bonus sentit, eodem loco sum, quo, si omnes boni idem sentirent; omnes enim, si me cognoverint, idem sentient. Par illis idemque iudicium est; aeque vero insistitur ab his, qui dissidere non possunt. Ita pro eo est, ac si omnes idem sentiant, quia aliud sentire non possunt. Ad gloriam aut famam non est satis unius opinio. Illic idem potest unius sententia, quod omnium; quia omnium, si perrogetur, una erit: hic diversa dissimilium iudicia sunt, dissimiles adfectus; dubia omnia invenias, levia, suspecta. Putas tu posse unam omnium esse sententiam? non est unius una sententia. Illi placet verum; veritatis una vis, una facies est: apud hos falsa sunt, quibus adsentiuntur. Numquam autem falsis constantia est; variantur et dissident. — Sed laus, inquit, nihil aliud quam vox est: vox autem bonum non est. — Quum dicant, *claritatem* esse *laudem bonorum, a bonis redditam;* iam non ad vocem referunt, sed ad sententiam. Licet enim vir bonus taceat, sed aliquem iudicet dignum laude esse, laudatus est. Praeterea, aliud est *laus*, aliud *laudatio*: haec et vocem exigit: itaque nemo dicit *laudem funebrem*, sed *laudationem*, cuius officium oratione constat. Quum dicimus aliquem *laude dignum*, non verba illi benigna ho-

minum, sed iudicia promittimus. Ergo laus etiam taciti est bene sentientis, ac bonum virum apud se laudantis. Deinde, ut dixi, ad animum refertur laus, non ad verba, quae conceptam laudem egerunt, et in notitiam plurium emittunt. Laudat, qui laudandum esse iudicat. Quum Tragicus ille apud nos ait, *Magnificum esse laudari a laudato viro;* laude digno, ait. Et quum aeque antiquus Poëta ait,

— — *Laus alit artes;*

non laudationem dicit, quae corrumpit artes: nihil enim aeque et eloquentiam, et omne aliud studium auribus deditum vitiavit, quam popularis adsensio. Fama vocem utique desiderat, claritas non; potest enim citra vocem contingere, contenta iudicio: plena est, non tantum inter tacentes, sed etiam inter reclamantes. Quid intersit inter claritatem et gloriam, dicam. Gloria multorum iudiciis constat, claritas bonorum.

Cuius, inquit, bonum est claritas, id est, laus bono a bonis reddita? utrum laudati, an laudantis? — Utriusque: meum, qui laudor; quia natura me amantem omnium genuit, et bene fecisse gaudeo, et gratos me invenisse virtutum interpretes laetor. Hoc plurium bonum est, quod grati sunt; sed et meum. Ita enim animo compositus sum, ut aliorum bonum meum iudicem; utique eorum, quibus ipse sum boni causa. Est istud laudantium bonum; virtute enim geritur: omnis autem virtutis actio bonum est. Hoc contingere illis non potuisset, nisi ego talis essem.

Itaque utriusque bonum est, merito laudari; tam mehercule, quam, bene iudicasse, iudicantis bonum est, et eius, secundum quem iudicatum est. Numquid dubitas, quin iustitia et habentis bonum sit, et eius, cui debitum solvit? Merentem laudare, iustitia est: ergo utriusque bonum est.

Cavillatoribus istis abunde responderimus. Sed non debet hoc nobis esse propositum, arguta disserere, et philosophiam in has angustias ex sua maiestate detrahere. Quanto satius est, ire aperta via et recta, quam sibi ipsum flexus disponere, quos cum magna molestia debeas relegere? neque enim quidquam aliud istae disputationes sunt, quam inter se perite captantium lusus. Dic potius, quam naturale sit, in inmensum mentem suam extendere. Magna et generosa res est humanus animus; nullos sibi poni, nisi communes et cum Deo, terminos patitur. Primum, humilem non accipit patriam, Ephesum aut Alexandriam, aut si quod est etiamnunc frequentius incolis, laetius tectis solum. Patria est illi, quodcumque suprema et universa circuitu suo cingit; hoc omne convexum, intra quod iacent maria cum terris; intra quod aër, humanis divina secernens, etiam coniungit; in quo disposita tot numina in actus suos excubant. Deinde, artam aetatem sibi dari non sinit: omnes, inquit, anni mei sunt; nullum seculum magnis ingeniis clusum est, nullum non cogitationi pervium tempus. Quum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humani-

que secernat; corpus hic, ubi inveni, relinquam; ipse me Diis reddam. Nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque detineor carcere. Per has mortalis aevi moras illi meliori vitae longiorique proluditur. Quemadmodum novem mensibus tenet nos maternus uterus, et praeparat non sibi, sed illi loco, in quem videmur emitti, iam idonei spiritum trahere, et in aperto durare; sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium naturae maturescimus partum. Alia origo nos exspectat, alius rerum status. Nondum coelum, nisi ex intervallo, pati possumus.

Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice; non est animo suprema, sed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas specta; transeundum est. Excutit redeuntem natura, sicut intrantem. Non licet plus efferre, quam intuleris; immo etiam ex eo, quod ad vitam adtulisti, pars magna ponenda est. Detrahetur tibi haec circumiecta, novissimum velamentum tui, cutis; detrahetur caro et suffusus sanguis discurrensque per totum; detrahentur ossa nervique, firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, aeterni natalis est. Depone onus! quid cunctaris, tamquam non prius quoque, relicto, in quo latebas, corpore, exieris? Haeres, reluctaris; tunc quoque magno nisu matris expulsus es. Gemis, ploras; et hoc ipsum flere, nascentis est. Sed tunc debebat ignosci: rudis et inperitus omnium veneras; ex maternorum viscerum cali-

do mollique fomento emissum adflavit aura liberiŏr, deinde offendit durae manus tactus; tenerque adhuc, et nullius rei gnarus, obstupuisti inter ignota. Nunc tibi non est novum, separari ab eo, cuius ante pars fueris; aequo animo membra iam supervacua dimitte, et istud corpus inhabitatum diu pone. Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contristaris? ita solet fieri! pereunt saepe velamenta nascentium. Quid ista sic diligis, quasi *tua*? istis opertus es! Veniet, qui te revelet, dies, et ex contubernio foedi atque olidi ventris educat.

Hinc nunc quoque tu, quantum potes, subvola; carisque, nisi etiam necessariis, [*sive:* carisque etiam ac necessariis] cohaere ut alienus. Iam hinc altius aliquid sublimiusque meditare. Aliquando naturae tibi arcana retegentur, discutietur ista caligo, et lux undique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille sit fulgor, tot sideribus inter se lumen miscentibus. Nulla serenum umbra turbabit; aequaliter splendebit omne coeli latus; dies et nox aëris infimi vices sunt. Tunc in tenebris vixisse te dices, quum totam lucem totus adspexeris; quam nunc, per angustissimas oculorum vias, obscure intueris, et tamen admiraris illam iam procul. Quid tibi videbitur divina lux, quum illam suo loco videris? Haec cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit, nihil humile, nihil crudele. Deos rerum omnium esse testes ait; illis nos adprobari, illis in futurum parari iubet, et aeternitatem proponere;

quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur tuba, nullis ad timorem minis agitur. Quidni non timeat, qui mori sperat? si is quoque, qui animum tamdiu iudicat manere quamdiu retinetur corporis vinculo, solutum statim spargi, id agit, ut etiam post mortem utilis esse possit. Quamvis enim ipse ereptus sit oculis, tamen

Multa viri virtus animo, multusque recursat
gentis honos.

Cogita, quantum nobis exempla bona prosint; scies magnorum virorum, non minus quam praesentiam, esse utilem memoriam. Vale.

EPISTOLA CIII.

Malitia et insidiae inter se hominum. Tu tamen non eadem facito, aut repone; sed mitis in omnes et volens esto.

SENECA Lucilio suo Salutem.

QUID ista circumspicis, quae tibi possunt fortasse evenire, sed possunt et non evenire? incidentium dico ruinam. Aliqua nobis incidunt, non insidiantur: illa potius vide, illa devita, quae nos observant, quae captant. Rariores sunt casus, etiamsi graves, naufragium facere, vehiculo everti; ab homine homini quotidianum periculum. Adversus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere: nullum est malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat; crepant aedificia, antequam conruant; praenuntiat fumus incendium: subita est ex homine pernicies, et eo diligentius tegitur,

quo propius accedit. Erras, si istorum, tibi qui occurrunt, vultibus credis: hominum effigies habent, animos ferarum; nisi quod illarum perniciosior est primus incursus: quos transiere, non quaerunt; numquam enim illas ad nocendum, nisi necessitas, iniicit. Hae aut fame, aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem libet. Tu tamen ita cogita quod ex homine periculum sit, ut cogites quod sit hominis officium. Alterum intuere, ne laedaris; alterum, ne laedas. Commodis omnium laeteris, movearis incommodis; et memineris, quae praestare debeas, quae cavere. Sic vivendo quid consequeris? non, ut ne noceant; sed ne fallant. Quantum potes autem, in Philosophiam secede: illa te sinu suo proteget; in huius sacrario eris aut tutus, aut tutior. Non arietant inter se, nisi in eodem ambulantes. Quid autem? ipsam Philosophiam non debebis iactare: multis fuit periculi causa, insolenter tractata et contumaciter. Tibi vitia detrahat, non aliis exprobret; non abhorreat a publicis moribus; nec hoc agat, ut, quidquid non facit, damnare videatur. Licet sapere sine pompa, sine invidia. Vale.

EPISTOLA CIV.

De invaletudine sua, de cura et caritate in se uxoris. Locum se mutasse, ut recrearetur: et hinc, de Peregrinatione, pulcherrima dissertatio. Non esse eam a se utilem, nisi animo talis efficitur. Ille emendetur, adfectus recidantur: omnia tunc loca et status iucunda. Peregrinatio etiam alia pulcherrima, ad priscos et magnos viros ire, illos cogitatione intueri atque imitari. Hoc vitia tollit, virtutes inserit: atque istuc Lucilium vocat.

Seneca Lucilio suo Salutem.

In Nomentanum meum fugi, — quid putas? Urbem? — immo febrem, et quidem subrepentem. Iam manum mihi iniecerat; protinus itaque parari vehiculum iussi, Paulina mea retinente. Medicus initia esse dicebat, motis venis, et incertis et naturalem turbantibus modum. Exire perseveravi. Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis, qui, quum in Achaia febrem habere coepisset, protinus navem adscendit, clamitans non corporis esse, sed loci morbum. Hoc ego Paulinae meae dixi, quae mihi valitudinem meam commendat. Nam, quum sciam spiritum illius in meo verti, incipio, ut illi consulam, mihi consulere; et, quum me fortiorem senectus ad multa reddiderit, hoc beneficium aetatis amitto. Venit enim mihi in mentem, in hoc sene et adolescentem esse, cui parcitur. Itaque, quoniam ego ab illa non impetro, ut me fortius amet, impetrat illa [a me,] ut me diligentius amem. Indulgendum est enim honestis adfectibus: et interdum, etiam si premunt causae, spiritus in honorem suorum vel cum tormento revocandus, et in ipso ore retinendus est; quum bono viro vivendum sit, non quamdiu iuvat, sed quamdiu oportet. Ille, qui non uxorem, non amicum tanti putat, ut diutius in vita commoretur, qui perseverat mori, delicatus est. Hoc quoque imperet sibi animus, ubi utilitas suorum exigit; nec tantum, si vult mori, sed si coepit, intermittat, et suis se commodet. Ingentis animi est, aliena causa ad vi-

tam reverti; quod magni viri saepe fecerunt. Sed hoc quoque summae humanitatis existimo, senectutem suam, cuius maximus fructus est securior sui tutela, et vitae usus animosior, adtentius conservare, si scias alicui tuorum esse dulce, utile, optabile. Habet praeterea in se non mediocre ista res gaudium et mercedem: quid enim iucundius, quam uxori tam carum esse, ut propter hoc tibi carior fias? Potest itaque Paulina mea non tantum suum mihi timorem inputare, sed etiam meum.

Quaeris ergo, quomodo mihi consilium profectionis cesserit? — Ut primum gravitatem Urbis excessi, et illum odorem culinarum fumantium, quae motae, quidquid pestiferi vaporis obruerant, cum pulvere effundunt, protinus mutatam valitudinem sensi. Quantum deinde adiectum putas viribus, postquam vineas adtigi? In pascuum emissus, cibum meum invasi. Repetivi ergo iam me: non permansit marcor ille corporis dubii et male cogitantis; incipio toto animo studere. Non multum ad hoc locus confert, nisi se sibi praestet animus, qui secretum, et in occupationibus mediis, si volet, habebit. At ille, qui regiones eligit, et otium captat, ubique, quo distringatur, inveniet. Nam Socratem querenti cuidam, quod nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt: *Non inmerito hoc tibi evenit! tecum enim peregrinabaris.* O quam bene cum quibusdam ageretur, si a se aberrarent! Nunc, primum se ipsos sollicitant, corrumpunt, territant.

Quid prodest mare traiicere, et urbes mutare? Si vis ista, quibus urgueris, effugere, non aliubi sis oportet, sed alius. Puta venisse te Athenas, puta Rhodon: elige arbitrio tuo civitatem: quid ad rem pertinet, quos illa mores habeat? tuos adferes. Divitias iudicabis bonum: torquebit te paupertas, et, quod est miserrimum, falsa; quamvis enim multum possideas, tamen, quia aliquis plus habet, tanto tibi videberis defici, quanto vinceris. Honores iudicas bonum: male te habebit ille consul factus; ille etiam refectus; invidebis quotiens aliquem in fastis saepius legeris. Tantus erit ambitionis furor, ut nemo tibi post te videatur, si aliquis ante te fuerit. Maximum malum iudicabis mortem; quum in illa nihil sit mali, nisi, quod ante ipsam est, timeri. Exterrebunt te non tantum pericula, sed suspiciones; vanis semper agitaberis. Quid enim proderit,

— — — evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes?

Ipsa pax timores subministrabit; ne tutis quidem habebitur fides, consternata semel mente; quae ubi consuetudinem pavoris inprovidi fecit, etiam ad tutelam salutis suae inhabilis est. Non enim vitat, sed fugit; magis autem periculis patemus aversi. Gravissimum iudicabis malum, aliquem ex his, quos amabis, amittere; quum interim hoc tam ineptum erit, quam flere, quod arboribus amoenis et domum tuam ornantibus decidant folia. Quidquid te delectat, aeque vide, ut vides eas, dum virent. Utique alium alio die casus ex-

cutiet: sed, quemadmodum frondium iactura facilis est, quia renascuntur; sic istorum, quos amas, quosque oblectamenta vitae putas esse, damnum; quia reparantur, etiamsi non renascantur. — Sed non erunt iidem. — Ne tu quidem idem eris! Omnis dies, omnis hora te mutat: sed in aliis rapina facilius adparet; hic latet, quia non ex aperto fit. Alii auferuntur; at ipsi nobis furto subducimur. Horum nihil cogitabis, nec remedia vulneribus oppones; sed ipse tibi seres sollicitudinum causas, alia sperando, alia desperando. Si sapis, alterum alteri misces; nec speraveris sine desperatione, nec desperaveris sine spe.

Quid per se peregrinatio prodesse cuiquam potuit? Non voluptates illa temperavit; non cupiditates refrenavit; non iras repressit; non indomitos amoris impetus fregit; nulla denique animo mala eduxit; non iudicium dedit; non discussit errorem: sed, ut puerum ignota mirantem, ad breve tempus rerum aliqua novitate detinuit. Ceterum inconstantiam mentis, quae [quum] maxime aegra est, lacessit, mobiliorem levioremque reddit ipsa iactatio. Itaque, quae petierant cupidissime loca, cupidius deserunt, et avium modo transvolant, citiusque, quam venerant, abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi montium formas ostendet, inusitata spatia camporum, et inriguas perennibus aquis valles, alicuius fluminis sub observatione naturam; sive, ut Nilus, aestivo incremento tumet; sive, ut Tigris, eripitur ex oculis, et acto

per occulta cursu, integrae magnitudini redditur; sive, ut Maeander, poëtarum omnium exercitatio et ludus, inplicatur crebris anfractibus, et saepe in vicinum alveo suo admotus, antequam sibi influat, flectitur: ceterum neque meliorem faciet, neque saniorem. Inter studia versandum est et inter auctores sapientiae, ut quaesita discamus, nondum inventa quaeramus. Sic eximendus animus ex miserrima servitute in libertatem adseritur. Quamdiu quidem nescieris, quid fugiendum, quid petendum, quid necessarium, quid supervacuum, quid iustum, quid honestum sit; non erit hoc peregrinari, sed errare. Nullam tibi opem feret iste discursus: peregrinaris enim cum adfectibus tuis, et mala te tua sequuntur. Utinam quidem sequerentur! longius abessent: nunc fers illa, non ducis. Itaque ubique te premunt, et paribus incommodis urunt. Medicina aegro, non regio, quaerenda est. Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum: non vehiculum navemque conscendit, sed advocat medicum, ut fracta pars iungatur, ut luxata in locum reponatur. Quid ergo? animum, tot locis fractum et extortum, credis locorum mutatione posse sanari? Maius est istud malum, quam ut gestatione curetur. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem; nulla ars loco discitur: quid ergo? sapientia, rerum omnium maxima, in itinere colligitur? Nullum est, mihi crede, iter, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus sistat: aut, si quod esset, agmine facto gens illuc humana pergeret. Tamdiu ista

urguebunt mala, macerabuntque per terras ac maria vagum, quamdiu malorum gestaris causas.

Fugam tibi non prodesse miraris? tecum sunt, quae fugis. Te igitur emenda! Onera tibi detrahe, et desideria intra saltem modum contine! omnem ex animo erade nequitiam! Si vis peregrinationes habere iucundas, tuum comitem sana! Haerebit tibi avaritia, quamdiu avaro sordidoque convixeris; haerebit tumor, quamdiu superbo conversaberis; numquam saevitiam in tortoris contubernio pones; incendent libidines tuas adulterorum sodalitia. Si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est. Avarus, corruptor, saevus, fraudulentus, multum nocituri, si prope a te fuissent, intra te sunt. Ad meliores transi! cum Catonibus vive, cum Laelio, cum Tuberone; quod si convivere etiam Graecis iuvat, cum Socrate, cum Zenone versare. Alter te docebit mori, si necesse erit: alter, antequam necesse erit. Vive cum Chrysippo, cum Posidonio. Hi tibi tradent divinorum humanorumque notitiam: hi iubebunt in opere esse, nec tantum scite loqui, et in oblectationem audientium verba iactare, sed animum indurare, et adversus minas erigere. Unus est enim huius vitae fluctuantis et turbidae portus, eventura contemnere, stare fidenter, apertum; tela fortunae adverso pectore excipere, non latitantem, nec tergiversantem. Magnanimos nos natura produxit; et, ut quibusdam animalibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum, ita nobis gloriosum

et excelsum spiritum, quaerentem ubi honestissime, non ubi tutissime vivat; simillimum mundo, quem, quantum mortalibus passibus licet, sequitur aemulaturque. Profert se, laudari et adspici credit. Dominus omnium est, supra omnia est: itaque nulli se rei submittit; nihil illi videtur grave, nihil quod virum incurvet.

Terribiles visu formae, letumque labosque: minime quidem, si quis rectis oculis intueri illa possit, et tenebras perrumpere. Multa, per noctem habita terrori, dies vertit ad risum.

Terribiles visu formae, letumque labosque, egregie VIRGILIUS noster. Non *re* dixit *terribiles* esse, sed *visu:* id est, videri, non esse. Quid, inquam, in istis est tam formidabile, quam fama vulgavit? Quid est, obsecro te, Lucili, cur timeat laborem vir, mortem homo?

Totiens mihi occurrunt isti, qui non putant fieri posse quidquid facere non possunt, et aiunt nos loqui maiora, quam quae natura humana sustineat. At quanto ego de illis melius existimo? Ipsi quoque haec possunt facere, sed nolunt. Denique, quem umquam ista destituere tentantem? cui non faciliora adparuere in actu? Non, quia difficilia sunt, non audemus; sed, quia non audemus, difficilia sunt. Si tamen exemplum desideratis, accipite Socraten, perpessitium senem, per omnia aspera iactatum; invictum tamen et paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant, et laboribus, quos militares quoque pertulit, et quibus [ille] domi [est] exercitus,

sive uxorem eius [spectes] moribus feram, lingua petulantem; sive liberos indociles, et matri, quam patri, similiores. Sic fere aut in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate bellis ac tyrannis saeviore. Viginti et septem annis pugnatum est; post finita arma, triginta tyrannis noxae dedita est civitas, ex quibus plerique inimici erant. Novissima damnatio est sub gravissimis nominibus inpleta: obiecta est et religionum violatio, et iuventutis corruptela, quam inmittere in Deos, in patres, in rempublicam dictus est; post haec carcer, et venenum. Haec usque eo animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverint. Illam mirabilem laudem, et singularem, usque ad extremum servavit: nec hilariorem quisquam, nec tristiorem Socraten vidit; aequalis fuit in tanta inaequalitate fortunae.

Vis alterum exemplum? Accipe hunc M. Catonem recentiorem, cum quo et infestius fortuna egit, et pertinacius. Cui quum omnibus locis obstitisset, novissime et in morte; ostendit tamen, virum fortem posse invita fortuna vivere, invita mori. Tota illi aetas aut in armis est exacta civilibus, aut in aetate concipiente iam civile bellum. Et hunc licet dicas non minus, quam Socraten, in servitute vixisse; nisi forte Cn. Pompeium, et Caesarem, et Crassum putas libertatis socios fuisse. Nemo mutatum Catonem, totiens mutata republica, vidit: eumdem se in omni statu praestitit, in praetura, in repulsa, in accusatione, in provincia, in concione, in exercitu, in

morte. Denique in illa reipublicae trepidatione, quum illinc Caesar esset decem legionibus pugnacissimis subnixus, totque exterarum gentium praesidiis, hinc Cn. Pompeius, satis unus adversus omnia; quum alii ad Caesarem inclinarent, alii ad Pompeium; solus Cato fecit aliquas et reipublicae partes. Si animo complecti volueris illius imaginem temporis, videbis illinc plebem et omnem erectum ad res novas vulgum; hinc optimates et equestrem ordinem, quidquid erat in civitate sancti et electi; duos in medio relictos, rempublicam et Catonem. Miraberis, inquam, quum animadverteris

Atridem, Priamumque, et saevum ambobus Achillem:

utrumque enim inprobat, utrumque exarmat. Hanc fert de utroque sententiam: ait *se, si Caesar vicerit, moriturum; si Pompeius, exsulaturum.* Quid habebat quod timeret, qui [ea] sibi et victo et victori constituerat, quae constituta esse ab hostibus iratissimis poterant? Periit itaque ex decreto suo. Vides, posse homines laborem pati: per medias Africae solitudines pedes duxit exercitum. Vides, posse tolerare sitim: in collibus arentibus, sine ullis inpedimentis, victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit; et, quotiens aquae fuerat occasio, novissimus bibit. Vides, honorem et notam posse contemni: eodem, quo repulsus est, die, in comitio pila lusit. Vides, posse non timeri potentiam superiorum: et Pompeium et Caesarem, quorum

nemo alterum offendere audebat, nisi ut alterum demereretur, simul provocavit. Vides, tam mortem posse contemni quam exsilium: et exsilium sibi indixit et mortem, et interim bellum. Possumus itaque adversus ista tantum habere animi, libeat modo subducere iugo collum. In primis autem respuendae sunt voluptates: enervant, et effeminant, et multum petunt; multum autem a fortuna petendum est. Deinde spernendae opes: auctoramenta sunt servitutum. Aurum et argentum, et quidquid aliud felices domos onerat, relinquatur: non potest gratis constare libertas. Hanc si magno aestimas, omnia parvo aestimanda sunt. Vale.

EPISTOLA CV.

Brevia, sed utilia, praecepta ad Securitatem. Lege, et usurpa.

SENECA Lucilio suo Salutem.

QUAE observanda tibi sint, ut tutior vivas, dicam. Tu tamen sic audias censeo ista praecepta, quomodo, si tibi praeciperem, qua ratione bonam valitudinem in Ardeatino tuereris. Considera, quae sint, quae hominem in perniciem hominis instigent; invenies spem, invidiam, odium, metum, contemtum. Ex omnibus istis adeo levissimum est contemtus, ut multi in illo, remedii causa, delituerint. Quem quis contemnit, calcat sine dubio, sed transit. Nemo homini contemto pertinaciter, nemo diligenter nocet. Etiam in acie iacens praeteritur; cum stante pugnatur.

Spem inproborum vitabis, si nihil habueris quod cupiditatem alienam et inprobam inritet, si nihil insigne possederis. Concupiscuntur enim insignia, etiamsi parum nota sunt. Sic vero invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaveris, si scieris in sinu gaudere. Odium autem ex offensa hoc vitabis, neminem lacessendo gratuito; a quo te sensus communis tuebitur. Fuit hoc multis periculosum: quidam odium habuerunt, nec inimicum. Illud, ne timearis, praestabit tibi et fortunae mediocritas, et ingenii lenitas. Eum esse te homines sciant, quem offendere sine periculo possint: reconciliatio tua et facilis sit, et certa. Timeri autem tam domi molestum est, quam foris; tam a servis, quam a liberis. Nulli non ad nocendum satis virium est. Adiice nunc, quod, qui timetur, timet: nemo potuit terribilis esse secure. Contemtus superest; cuius modum in sua potestate habet, qui illum sibi adiunxit; qui contemnitur quia voluit, non quia debuit. Huius incommodum et artes bonae discutiunt, et amicitiae eorum, qui apud aliquem potentem potentes sunt: quibus adplicari expediet, non implicari; ne pluris remedium, quam periculum, constet. Nihil tamen aeque proderit, quam quiescere, et minimum cum aliis loqui, plurimum secum. Est quaedam dulcedo sermonis, quae inrepit, et blanditur; et, non aliter quam ebrietas aut amor, secreta producit. Nemo, quod audierit, tacebit; nemo, quantum audierit, loquetur. Qui rem non tacuerit, non tacebit au-

ctorem. Habet unusquisque aliquem, cui tantum credat, quantum ipsi creditum est: ut garrulitatem suam custodiat, et contentus sit unius auribus, populum faciet: sic, quod modo secretum erat, rumor est. Securitatis magna portio est, nihil inique facere. Confusam vitam et perturbatam inpotentes agunt; tantum metuunt, quantum nocent; nec ullo tempore vacant. Trepidant enim, quum fecerunt; haerent: conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respondere ad se cogit. Dat poenas, quisquis exspectat: quisquis autem meruit, exspectat. Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum. Putat enim se, etiam si non deprenditur, posse deprendi; et inter somnos movetur; et, quotiens alicuius scelus loquitur, de suo cogitat. Non satis illi obliteratum videtur, non satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam; numquam fiduciam. Vale.

EPISTOLA CVI.

Tenuis et Chrysippea quaestio, An Bonum sit corpus? In extremo aliquid contra argutias.

SENECA Lucilio suo Salutem.

TARDIUS rescribo ad Epistolas tuas; non quia districtus occupationibus sum: hanc excusationem cave audias: vaco; et omnes vacant, qui volunt. Neminem res sequuntur; ipsi illas amplexantur, et argumentum esse felicitatis occupationem putant. Quid ergo fuit, quare non protinus rescriberem ei, de quo quaerebas? Veniebat in

contextum operis mei; scis enim, me *Moralem Philosophiam* velle complecti, et omnes ad eam pertinentes quaestiones explicare. Itaque dubitavi, utrum differrem te, an, donec suus isti rei veniret locus, ius tibi extra ordinem dicerem: humanius visum est, tam longe venientem non detinere. Itaque et hoc ex illa serie rerum cohaerentium excerpam, et, si qua erunt huiusmodi, non quaerenti tibi ultro mittam. Quae sint haec, interrogas? Quae scire magis iuvat, quam prodest; sicut hoc, de quo quaeris: *An Bonum, Corpus sit?*

Bonum *facit; prodest* enim: quod *facit, corpus* est. Bonum agitat animum, et quodammodo format et continet: quae propria sunt *corporis*. Quae *corporis bona* sunt, *corpora* sunt; ergo et quae *animi* sunt; nam et hic *corpus* est. *Bonum hominis* necesse est *corpus* sit, quum ipse sit *corporalis*. Mentior, nisi et quae alunt illud, et quae valitudinem eius vel custodiunt vel restituunt, *corpora* sunt: ergo et Bonum eius, *corpus* est. Non puto te dubitaturum, an *adfectus corpora* sint, (ut aliud quoque, de quo non quaeris, infulciam,) tamquam ira, amor, tristitia: si dubitas, vide an vultum nobis mutent, an frontem adstringant, an faciem diffundant, an ruborem evocent, an fugent sanguinem. Quid ergo? tam manifestas corpori notas credis inprimi, nisi a corpore? Si *adfectus, corpora* sunt; et *morbi animorum*, avaritia, crudelitas, indurata vitia, et in statum inemendabilem adducta: ergo et *malitia*, et species eius omnes, malignitas, invidia, superbia: ergo

et *Bona;* primum, quia contraria istis sunt; deinde, quia eadem tibi indicia praestabunt. An non vides, quantum oculis det vigorem fortitudo? quantam intentionem prudentia? quantam modestiam et quietem reverentia? quantam serenitatem laetitia? quantum rigorem severitas? quantam remissionem veritas? *Corpora* ergo sunt; quae colorem habitumque corporum mutant, quae in illis regnum suum exercent. Omnes autem, quas retuli, *virtutes. Bona* sunt, et quidquid ex illis est. Numquid est dubium, an id, quo quid *tangi* potest, *corpus* sit?

Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res, ut ait LUCRETIUS: omnia autem ista, quae dixi, non mutarent corpus, nisi *tangerent;* ergo *corpora* sunt. Etiamnunc, cui tanta *vis* est, ut inpellat et cogat et retineat et iubeat, *corpus* est. Quid ergo? Non timor retinet? non audacia inpellit? non fortitudo inmittit et impetum dat? non moderatio refrenat ac revocat? non gaudium extollit? non tristitia adducit? Denique, quidquid facimus, aut malitiae aut virtutis gerimus imperio: quod imperat corpori, *corpus* est; quod vim corpori adfert, *corpus.* Bonum corporis corporale est; bonum hominis, et corporis bonum est: itaque corporale est.

Quoniam, ut voluisti, morem gessi tibi, nunc ipse dicam mihi, quod dicturum esse te video. Latrunculis ludimus; in supervacuis subtilitas teritur: non faciunt bonos ista, sed doctos. Apertior res est sapere, immo simplicior est. Paucis est

ad mentem bonam uti literis. Sed nos, ut cetera in supervacuum diffundimus, ita Philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum, sic literarum quoque intemperantia laboramus: non vitae, sed scholae discimus. Vale.

EPISTOLA CVII.

Solatur Lucilium et erigit, in fuga servorum. Ista et alia in vitam incidere: ideoque non inopinata esse debere. Patere igitur, quod non emendas. Bona et sapiens Epistola.

SENECA Lucilio suo Salutem.

UBI illa prudentia tua? ubi in dispiciendis rebus subtilitas? ubi magnitudo? Tam pusilla res te angit? Servi occupationes tuas occasionem fugae putaverunt. Si amici deciperent, (habeant enim sane nomen, quod illis noster Epicurus inposuit, et vocentur,) quota pars abesset [*mssti:* quo turpius non sint] omnibus rebus tuis? Desunt illi, qui et operam tuam conterebant, et te aliis molestum esse credebant. Nihil horum insolitum, nihil inexspectatum est. Offendi rebus istis, tam ridiculum est, quam queri, quod spargaris in publico, aut inquineris in luto. Eadem vitae conditio est, quae balnei, turbae, itineris: quaedam in te mittentur, quaedam incident. Non est delicata res, vivere. Longam viam ingressus es: et labaris oportet, et arietes, et cadas, et lasseris, et exclames: *o mors!* id est, mentiaris. Alio loco comitem relinques, alio efferes, alio timebis. Per eiusmodi offensas emetiendum est confragosum hoc iter. Mori vult? Praeparetur animus contra

omnia: sciat, se venisse ubi tonat fulmen; sciat venisse se ubi

Luctus et ultrices posuere cubilia Curae,
pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus.

In hoc contubernio vita degenda est. Effugere ista non potes, contemnere potes: contemnes autem, si saepe cogitaveris, et futura praesumseris. Nemo non fortius ad id, cui se diu composuerat, accessit; et duris quoque, si praemeditata erant, obstitit. At contra inparatus, etiam levissima expavit. Id agendum est, ne quid nobis inopinatum sit; et, quia omnia novitate graviora sunt, hoc cogitatio adsidua praestabit, ut nulli sis malo tiro.

Servi me reliquerunt! Alium compilaverunt, alium accusaverunt, alium occiderunt, alium prodiderunt, alium calcaverunt, alium veneno, alium criminatione petierunt. Quidquid dixeris, multis accidit. Deinceps, quae multa et varia sunt, in nos diriguntur. Quaedam in nos fixa sunt, quaedam vibrant, et quum maxime veniunt; quaedam, in alios perventura, nos stringunt. Nihil miremur eorum, ad quae nati sumus; quae ideo nulli querenda, quia paria sunt omnibus. Ita dico, paria sunt; nam etiam, quod effugit aliquis, pati potuit: aequum autem ius est, non quo omnes usi sunt, sed quod omnibus latum est. Imperetur aequitas animo; et sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit; algendum est: aestas calores refert; aestuandum est: intemperies coeli valitudinem tentat; aegrotan-

dum est. Et fera nobis aliquo loco occurret, et homo perniciosior feris omnibus. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus: illud possumus, magnum sumere animum et viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, et naturae consentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt; turbantur maria, quum quieverunt; flant invicem venti; noctem dies sequitur; pars coeli consurgit, pars mergitur; contrariis rerum aeternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est: hanc sequatur, huic pareat; et, quaecumque fiunt, debuisse fieri putet, nec velit obiurgare Naturam.

Optimum est, pati quod emendare non possis; et Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Quare inpigri atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui, quidquid patimur, intextum est; et sic adloquamur Iovem, cuius gubernaculo moles ista dirigitur, quemadmodum CLEANTHES noster versibus disertissimis adloquitur; quos mihi in nostrum sermonem mutare permittitur, Ciceronis, disertissimi viri, exemplo. Si placuerint, boni consules; si displicuerint, scies me in hoc sequutum Ciceronis exemplum.

Duc me, parens, celsique dominator poli,
quocumque placuit: nulla parendi mora est:
adsum inpiger. Fac nolle, comitabor gemens,

malusque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Sic vivamus, sic loquamur! paratos nos inveniat atque inpigros fatum! Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit: at contra ille pusillus et degener, qui obluctatur, et de ordine mundi male existimat, et emendare mavult Deos, quam se. Vale.

EPISTOLA CVIII.

Quomodo Philosophi legendi, vel audiendi sint? Cum dilectu, et ea maxime excerpenda et imbibenda, quae faciunt vitae. Oblectamenta qui quaerunt, frustra sunt: tu emendationem. Nec id difficile. Natura enim ipsa vocat ad Honestum. Semina eius et fomites in animo nostro sunt: surgunt et excitantur, cum doctor et irritator accessit. A suo exemplo, quum apud Attalum disceret. Ostendit deinde, vario fine atque animo ad auctores legendos veniri: nos autem debere illo Philosophi. Pareamus: et legite atque audite vos o Philologi.

SENECA Lucilio suo Salutem.

Id, de quo quaeris, ex his est, quae scire, tantum eo, ut scias, pertinet. Sed nihilominus, quia pertinet et properas, nec vis exspectare *libros*, quos quum maxime ordino, *continentes totam Moralem Philosophiae partem*: statim expediam. Illud tamen prius scribam, quemadmodum tibi ista cupiditas discendi, qua flagrare te video, dirigenda sit, ne ipsa se inpediat. Nec passim carpenda sunt; nec avide invadenda universa: per partes pervenitur ad totum. Aptari onus viribus debet; nec plus occupari, quam cui sufficere possimus. Non, quantum vis, sed quantum capis, haurien-

dum est. Bonum tantum habe animum; capies, quantum voles. Quo plus recipit animus, hoc se magis laxat. Haec nobis praecipere ATTALUM memini, quum scholam eius obsideremus, et primi veniremus, et novissimi exiremus, ambulantem quoque illum ad aliquas disputationes evocaremus, non tantum paratum discentibus, sed obvium. *Idem*, inquit, *et docenti, et discenti debet esse propositum: ut ille prodesse velit, hic proficere.* Qui ad Philosophum venit, quotidie aliquid secum boni ferat; aut sanior domum redeat, aut sanabilior. Redibit autem: ea enim Philosophiae vis est, ut non [solum] studentes, sed etiam conversantes iuvet. Qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur; qui in unguentaria taberna resederunt, et paulo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt; et, qui apud Philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod prodesset etiam negligentibus. Adtende, quid dicam: *negligentibus;* non, *repugnantibus.*

Quid ergo? non novimus quosdam, qui multis apud Philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint? — Quidni noverim? pertinacissimos quidem, et adsiduos; quos ego non discipulos philosophorum, sed inquilinos, voco. Quidam veniunt, ut audiant, non ut discant; sicut in theatrum voluptatis causa, ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis, ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola diversorium otii sit. Non id agunt, ut aliqua illo vitia deponant; ut

aliquam legem vitae accipiant, qua mores suos exigant; sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen et cum pugillaribus veniunt; non ut res excipiant, sed ut verba, quae tam sine profectu alieno discant, quam sine suo audiunt. Quidam ad magnificas voces excitantur, et transeunt in adfectum dicentium, alacres vultu et animo; nec aliter concitantur, quam solent Phrygii tibicinis sono semiviri, et ex imperio furentes. Rapit illos instigatque rerum pulchritudo, non verborum inanium sonitus. Si quid acriter contra mortem dictum est, si quid contra fortunam contumaciter; iuvat protinus, quae audias, facere. Adficiuntur illis: et sunt quales iubentur, si illa animo forma permaneat, si non impetum insignem protinus populus, honesti dissuasor, excipiat. Pauci illam, quam conceperant, mentem domum perferre potuerunt.

Facile est, auditorem concitare ad cupidinem recti: omnibus enim natura fundamenta dedit, semenque virtutum; omnes ad omnia ista nati sumus; quum inritator accessit, tunc illa animi bona, velut sopita, excitantur. Non vides, quemadmodum theatra consonent, quotiens aliqua dicta sunt, quae publice adgnoscimus, et consensu vera esse testamur?

Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.

In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Ad hos versus ille sordidissimus plaudit, et vitiis suis fieri convicium gaudet. Quanto magis hoc iudicas evenire, quum a Philosopho ista dicun-

tur; quum salutaribus praeceptis versus inseruntur, efficacius eadem illa demissuri in animum inperitorum? *Nam*, ut dicebat CLEANTHES, *quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, quum illum tuba, per longi canalis angustias tractum, potentiorem novissimo exitu effudit; sic sensus nostros clariores carminis arta necessitas efficit.* Eadem negligentius audiuntur, minusque percutiunt, quamdiu soluta oratione dicuntur; ubi accessere numeri et egregium sensum adstrinxere certi pedes, eadem illa sententia, velut lacerto excussa, torquetur. De contemtu pecuniae multa dicuntur, et longissimis orationibus hoc praecipitur, ut homines in animo, non in patrimonio, putent esse divitias; eum esse locupletem, qui paupertati suae aptatus est, et parvo se divitem fecit. Magis tamen feriuntur animi, quum carmina eiusmodi dicta sunt:

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult, habet, qui velle, quod satis est, potest.

Quum haec atque eiusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur. Illi enim, quibus nihil satis est, admirantur, adclamant, odium pecuniae indicunt. Hunc illorum adfectum quum videris, urge, hoc preme, hoc onera, relictis ambiguitatibus, et syllogismis, et cavillationibus, et ceteris acuminis inriti ludicris. Dic in avaritiam, dic in luxuriam: quum profecisse te videris, et animos audientium adfeceris, insta vehementius. Verisimile non est, quantum proficiat talis oratio, remedio intenta, et tota in bonum audien-

tium versa. Facillime enim tenera conciliantur ingenia ad honesti rectique amorem: et adhuc docilibus leviterque corruptis iniicit manum Veritas, si advocatum idoneum nancta est.

Ego certe, quum Attalum audirem, in vitia, in errores, in mala vitae perorantem, saepe misertus sum generis humani, et illum sublimem altioremque humano fastigio credidi. Ipse regem se esse dicebat: sed plus quam regnare mihi videbatur, cui liceret censuram agere regnantium. Quum vero commendare paupertatem coeperat, et ostendere, quam, quidquid usum excederet, pondus esset supervacuum et grave ferenti; saepe exire e schola pauperi libuit. Quum coeperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem, non tantum ab inlicitis voluptatibus, sed etiam supervacuis; libebat circumscribere gulam et ventrem. Inde mihi quaedam permansere, Lucili; magno enim in omnia inceptu veneram: deinde, ad civitatis vitam reductus, ex bene coeptis pauca servavi. Inde ostreis boletisque in omnem vitam renuntiatum est: nec enim cibi, sed oblectamenta sunt, ad edendum saturos cogentia; quod gratissimum est edacibus, et se ultra, quam capiunt, farcientibus, facile descensura, facile reditura. Inde in omnem vitam unguento abstinemus; quoniam optimus odor in corpore est nullus. Inde vino carens stomachus. Inde in omnem vitam balneum fugimus; decoquere corpus, atque exinanire sudoribus, inutile simul delicatumque cre-

didimus. Cetera proiecta redierunt; ita tamen, ut, quorum abstinentiam interrupi, modum servem, et quidem abstinentiae proximiorem, nescio an difficiliorem; quoniam quaedam abscinduntur facilius animo, quam temperantur.

Quoniam coepi tibi exponere, quanto maiori impetu ad philosophiam iuvenis accesserim, quam senex pergam, non pudebit fateri, quem mihi amorem *Pythagorae* iniecerit SOTION. Dicebat, quare ille animalibus abstinuisset, quare postea *Sextius*. Dissimilis utrique causa erat, sed utrique magnifica. *Hic homini satis alimentorum citra sanguinem esse credebat, et crudelitatis consuetudinem fieri, ubi in voluptatem esset adducta laceratio. Adiiciebat, contrahendam materiam esse luxuriae; colligebat, bonae valitudini contraria esse alimenta varia, et nostris aliena corporibus. At Pythagoras omnium inter omnia cognationem esse dicebat, et aliorum commercium in alias atque alias formas transeuntium. Nulla (si illi credas) anima interit, nec cessat quidem, nisi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. Videbimus, per quas temporum vices, et quando, pererratis pluribus domiciliis, in hominem revertatur. Interim sceleris hominibus ac parricidii metum fecit, quum possint in parentis animam inscii incurrere, et ferro morsuve violare, si in quo cognatus aliquis spiritus hospitaretur.* Haec quum exposuisset SOTION, et inplesset argumentis suis: *Non credis*, inquit, *animas in alia corpora atque alia describi? et migrationem esse, quod dicimus mortem? Non credis, in his pecu-*

dibus, ferisve, aut aqua mersis, illum quondam hominis animum morari? Non credis, nihil perire in hoc mundo, sed mutare regionem? nec tantum coelestia per certos circuitus verti, sed animalia quoque per vices ire, et animos per orbem agi? Magni ista crediderunt viri! itaque iudicium quidem tuum sustine; ceterum omnia tibi integra serva. Si vera sunt ista, abstinuisse animalibus innocentia est; si falsa, frugalitas est. Quod istic crudelitatis tuae damnum est? Alimenta tibi leonum et vulturum eripio.

His instinctus, abstinere animalibus coepi; et, anno peracto, non tantum facilis erat mihi consuetudo, sed dulcis. Agiliorem mihi animum esse credebam; nec tibi hodie adfirmaverim, an fuerit. Quaeris, quomodo desierim? In Tiberii Caesaris principatum iuventae tempus inciderat: alienigena tum sacra movebantur, sed inter argumenta superstitionis ponebatur quorumdam animalium abstinentia. Patre itaque meo rogante, qui calumniam timebat, non philosophiam oderat, ad pristinam consuetudinem redii; nec difficulter mihi, ut inciperem melius coenare, persuasit. Laudare solebat Attalus culcitam, quae resisteret corpori: tali utor etiam senex, in qua vestigium adparere non possit.

Haec retuli, ut probarem tibi, quam vehementes haberent tirunculi impetus primos ad optima quaeque, si quis exhortaretur illos, si quis inpelleret. Sed aliquid praecipientium vitio peccatur, qui nos docent disputare, non vivere; aliquid discentium, qui propositum adferunt ad praece-

ptores suos, non animum excolendi, sed ingenium. Itaque, quae *Philosophia* fuit, facta *Philologia* est. Multum autem ad rem pertinet, quo proposito ad quamque res accedas. Qui, Grammaticus futurus, VIRGILIUM scrutatur, non hoc animo legit illud egregium,

— — *Fugit inreparabile tempus:*

vigilandum est! nisi properamus, relinquemur; agit nos, agiturque velox dies; inscii rapimur; omnia in futurum disponimus, et inter praecipitia lenti sumus: sed ut observet, quotiens Virgilius de celeritate temporum dicit, hoc uti verbo illum, *fugit*.

Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
et labor; et durae rapit inclementia mortis.

Ille, qui ad Philosophiam spectat, haec eadem, quo debet, adducit. Numquam Virgilius, inquit, *dies* dicit *ire*, sed *fugere*, quod currendi genus concitatissimum est; *et optimos quosque primos rapi:* quid ergo cessamus nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimae rei possimus aequare? Meliora praetervolant, deteriora succedunt. Quemadmodum ex amphora primum, quod est sincerissimum, effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit; sic in aetate nostra, quod optimum, in primo est. Id exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis faecem reservemus. Inhaereat istud animo, et, tamquam missum oraculo, placeat:

Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit. —

Quare *optima?* quia, quod restat, incertum est. Quare *optima?* quia iuvenes possumus discere, possumus facilem animum, et adhuc tractabilem, ad meliora convertere; quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis, et exercendis per opera corporibus. Quod superest, segnius et languidius est, et propius a fine. Itaque toto hoc agamus animo, et omissis ad quae devertimur, in rem unam laboremus, ne hanc temporis pernicissimi celeritatem, quam retinere non possumus, relicti demum intelligamus. Primus quisque, tamquam *optimus*, dies placeat, et redigatur in nostrum. Quod fugit, occupandum est. Hoc non cogitat ille, qui Grammatici oculis carmen istud legit, ideo *optimum quemque primum esse diem*, quia subeunt morbi, quia senectus premit, et adhuc adolescentiam cogitantibus supra caput est: sed ait, Virgilium semper una ponere *morbos et senectutem*. Non, mehercules, inmerito; senectus enim insanabilis morbus est. Praeterea, inquit, hoc senectuti cognomen posuit, *tristem* illam vocat:

— — *subeunt morbi, tristisque senectus.*

Non est quod mireris, ex eadem materia suis quemque studiis apta conligere. In eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertum. Quum CICERONIS libros *de Republica* prendit hinc Philologus aliquis, hinc Grammaticus, hinc Philosophiae deditus; alius alio curam suam mittit. Philosophus admiratur, *contra Iustitiam dici tam multa* potuisse. Quum ad hanc eam-

dem lectionem Philologus accessit, hoc subnotat: *Duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem:* nam de Servii matre dubitatur; Anci pater nullus; Numae nepos dicitur. Praeterea notat, *eum, quem nos Dictatorem dicimus et in historiis ita nominari legimus, apud antiquos Magistrum populi vocatum.* Hodieque id exstat in Auguralibus libris; et testimonium est, quod, qui ab illo nominatur, *Magister equitum* est. Aeque notat, *Romulum perisse solis defectione: provocationem ad populum etiam a regibus fuisse:* id ita in Pontificalibus libris aliqui putant, et Fenestella. Eosdem libros quum Grammaticus explicuit, primum verba prisca, *reapse* dici a Cicerone, id est, *reipsa*, in commentarium refert; nec minus *sese*, id est, *seipse*. Deinde transit ad ea, quae consuetudo seculi mutavit; tamquam ait Cicero, *quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione revocati:* hanc, quam nunc in circo *cretam* vocamus, *calcem* antiqui dicebant. Deinde ENNIANOS colligit versus, et in primis illos de Africano scriptos:

— — Cui nemo civis neque hostis
quivit pro factis reddere operae pretium.

Ex eo se ait intelligere, apud antiquos non tantum *auxilium* significasse *operam*, sed *opera:* ait enim, neminem potuisse Scipioni, neque civem, neque hostem, reddere *operae* pretium. Felicem deinde se putat, quod invenerit, unde visum sit VIRGILIO dicere:

— — Quem super ingens

porta tonat coeli. — —

Ennium hoc ait Homero subripuisse; Ennio Virgilium. Esse enim apud CICERONEM in his ipsis *de Republica* hoc Epigramma Ennii:

Si fas endo plagas coelestum ascendere cuiquam;
mi soli c o e l i maxima p o r t a patet.

Sed ne et ipse, dum aliud ago, in philologum aut grammaticum delabar, illud admoneo, auditionem Philosophorum lectionemque ad propositum beatae vitae trahendam; non ut verba prisca aut ficta captemus, et translationes inprobas figurasque dicendi, sed ut profutura praecepta, et magnificas voces, et animosas, quae mox in rem transferantur. Sic ista discamus, ut, quae fuerunt verba, sint opera. Nullos autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui Philosophiam, velut aliquod artificium venale, didicerunt; qui aliter vivunt, quam vivendum esse praecipiunt. Exempla enim se ipsos inutilis disciplinae circumferunt, nulli non vitio, quod insequuntur, obnoxii. Non magis mihi potest quisquam talis prodesse praeceptor, quam gubernator, in tempestate nauseabundus. Tenendum est, rapiente fluctu, gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela: quid me potest adiuvare rector navigii adtonitus et vomitans? Quanto maiore putas vitam tempestate iactari, quam ullam ratem? Non est loquendum, sed gubernandum. Omnia, quae dicunt, quae turba audiente iactant, aliena sunt. Dixit illa Plato, dixit Zenon, dixit Chrysippus, et Posidonius,

et ingens agmen non [tot ac] talium. Quomodo probare possint sua esse, monstrabo: faciant, quae dixerint.

Quoniam, quae volueram ad te proferre, iam dixi; nunc desiderio tuo satisfaciam, et in alteram epistolam integrum, quod exegeras, transferam; ne ad rem spinosam, et auribus erectis curiosisque audiendam, lassus accedas. Vale.

EPISTOLA CIX.

Quaestiuncula, An Sapiens Sapienti, et quomodo prosit? Causa dubitandi, quia omnia summa in Sapiente, nec adiectioni locus. Respondet tamen prodesse, et distincte exsequitur. In fine detestatur argutias inutiles.

SENECA Lucilio suo Salutem.

AN *Sapiens Sapienti prosit*, scire desideras. — Dicimus, plenum omni bono esse Sapientem et summa adeptum: quomodo prodesse aliquis possit summum habenti bonum, quaeritur. Prosunt inter se boni; exercent enim virtutes, et sapientiam in suo statu continent: desiderat uterque aliquem, cum quo conferat, cum quo quaerat. Peritos luctandi usus exercet; musicum, qui paria didicit, monet. Opus est et Sapienti agitatione virtutum: ita, quemadmodum ipse se movet, sic movetur ab alio sapiente. Quid Sapiens Sapienti proderit? impetum illi dabit, occasiones actionum honestarum commonstrabit. Praeter haec, aliquas cogitationes suas exprimet; docebit, quae invenerit. Semper enim etiam Sapienti restabit quod inveniat, et quo animus eius excurrat. Ma-

lus malo nocet; facit quoque peiorem, iram, metus incitando, tristitiae adsentiendo, voluptates laudando: et tunc maxime laborant mali, ubi plurimum vitia miscuere, et in unum conlata nequitia est. Ergo, ex contrario, bonus bono proderit. — Quomodo? inquis. — Gaudium illi adferet, fiduciam confirmabit, ex conspectu mutuae tranquillitatis crescet utriusque laetitia. Praeterea quarumdam illi rerum scientiam tradet: non enim omnia Sapiens scit: etiam si sciret, breviores vias rerum aliquis excogitare posset, et has indicare, per quas facilius totum opus circumfertur. Proderit Sapienti Sapiens, non suis viribus, sed ipsius, quem adiuvat. Potest quidem ille, etiam relictus sibi, explicare partes suas; utetur propria velocitate: sed nihilominus adiuvat etiam currentem hortator. Non prodest Sapienti Sapiens, sed sibi ipse: hoc scias. Detrahe illi vim propriam, et ille nihil agit. Uno modo dicas licet, non esse in melle dulcedinem: nam ipse ille, qui est, debet ita aptatus lingua palatoque esse ad huiusmodi gustum, ut ille talis sapor eum capiat, non offendat: sunt enim quidam, quibus morbi vitio mel amarum videatur. Oportet utrumque talem esse, ut et ille prodesse possit, et hic profuturo idonea materia sit.

„*In* summum, inquit, perducto calorem calefieri supervacuum est; et in summum perducto bonum supervacuus est qui prosit. Numquid instructus omnibus rebus agricola, ab alio instrui quaerit? numquid armatus miles quantum in

aciem exituro satis est, amplius arma desiderat? Ergo nec Sapiens: satis enim vitae instructus, satis armatus est." — Ad haec respondeo: et, qui in summo est calore, illi opus est adiecto calore, ut summum teneat. — Sed ipse se, inquit, calor continet. — Primum multum interest inter ista, quae comparas. Calor enim unus est; prodesse varium est. Deinde calor non adiuvatur adiectione caloris, ut caleat: Sapiens non potest in habitu suae mentis stare, nisi amicos aliquos similes sui admisit, cum quibus virtutes suas communicet. Adiice nunc, quod omnibus inter se virtutibus amicitia est. Itaque prodest, qui virtutes alicuius pares suis amat, amandasque invicem praestat. Similia delectant; utique ubi honesta sunt, et probare ac probari sciunt. Etiamnunc, Sapientis animum perite movere nemo alius potest, quam Sapiens; sicut hominem movere rationaliter non potest, nisi homo. Quomodo ergo ad rationem movendam ratione opus est; sic, ut moveatur ratio perfecta, opus est ratione perfecta. Prodesse dicuntur et qui media nobis largiuntur, pecuniam, gratiam, incolumitatem, alia in usus vitae cara aut necessaria; in his dicetur etiam stultus prodesse Sapienti. Prodesse autem est, animum secundum naturam movere virtute sua, ut eius qui movebitur. Hoc non sine ipsius quoque, qui proderit, bono fiet: necesse est enim, alienam virtutem exercendo exerceat et suam. Sed, ut removeas ista, quae aut summa bona sunt, aut summorum efficientia, nihilominus prodesse in-

ter se sapientes possunt. Invenire enim Sapientem, Sapienti per se res expetenda est: quia natura bonum omne carum est bono; et sic quisque conciliatur bono, quemadmodum sibi.

Necesse est ex hac quaestione, argumenti causa, in alteram transeam. Quaeritur enim, *an deliberaturus sit Sapiens? an in consilium aliquem advocaturus?* quod facere illi necessarium est, quum ad haec civilia et domestica venitur, et, ut ita dicam, mortalia. In his sic illi opus est alieno consilio, quomodo medico, quomodo gubernatore, quomodo advocato, et litis ordinatore. Proderit ergo Sapiens aliquando Sapienti; suadebit enim. Sed in illis quoque magnis ac divinis, ut diximus, communiter honesta tractando, et animos cogitationesque miscendo, utilis erit. Praeterea secundum naturam est et amicos conplecti, et amicorum actu, ut suo proprioque, laetari. Nam, nisi hoc fecerimus, ne virtus quidem nobis permanebit, quae exercendo se usu valet. Virtus autem suadet praesentia bene conlocare, in futurum consulere, deliberare, et intendere animum: facilius intendet explicabitque, qui aliquem sibi adsumserit. Quaerit itaque aut perfectum virum, aut proficientem, vicinumque perfecto. Proderit autem ille perfectus, si consilium communi prudentia iuverit. Aiunt, homines plus in alieno negotio videre, quam in suo; hoc illis evenit, quos amor sui excaecat, quibusque dispectum utilitatis timor in periculis excutit. Incipiet sapere securior, et extra metum positus. Sed

nihilominus quaedam sunt, quae etiam Sapientes in alio, quam in se, diligentius vident. Praeterea illud dulcissimum honestissimumque, idem velle atque idem nolle, Sapiens Sapienti praestabit: egregium opus pari iugo ducet.

Persolvi, quod exegeras, quamquam in ordine rerum erat, quas *Moralis Philosophiae voluminibus* complectimur. Cogita, quod soleo frequenter tibi dicere, in istis nos nihil aliud, quam acumen, exercere. Totiens enim illo revertor: Quid ista me res iuvat? fortiorem faciet, iustiorem, temperatiorem? Nondum exerceri vacat; adhuc medico mihi opus est. Quid me doces scientiam inutilem? Magna promisisti; exigua video. Dicebas intrepidum fore, etiam si circa me gladii micarent, etiam si mucro tangeret iugulum; dicebas securum fore, etiam si circa me flagrarent incendia, etiam si subitus turbo toto navem meam mari raperet. Hoc mihi praesta interim, ut voluptatem, ut gloriam contemnam; postea docebis inplicita solvere, ambigua distinguere, obscura perspicere: nunc doce quod necesse est. Vale.

EPISTOLA CX.

Genios singulis datos: quos faventes habet, qui Bonam mentem habet. Vota nostra et iudicia improba esse, res non ex vero aestimantium. Vana optari, vana timeri. Remedium utriusque a Philosophia: quo nos vocat, spretis supervacuis. Luxum denique producit, et castigat, Attali egregia oratione.

SENECA Lucilio suo Salutem.

Ex Nomentano meo te saluto, et iubeo habere mentem bonam, hoc est, propitios Deos omnes;

quos habet placatos et faventes, quisquis sibi se propitiavit. Sepone in praesentia, quae quibusdam placent: Unicuique nostrûm paedagogum dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae, ex eorum numero quos OVIDIUS ait *de plebe Deos*. Ita tamen hoc seponas volo, ut memineris, maiores nostros, qui crediderunt, Stoicos fuisse; singulis enim et Genium et Iunonem dederunt. Postea videbimus, an tantum Diis vacet, ut privatorum negotia procurarent; interim illud scito, sive adsignati sumus, sive neglecti et fortunae dati, nulli te posse inprecari quidquam gravius, quam si inprecatus fueris, ut se habeat iratum. Sed non est, quare cuiquam, quem poena putaveris dignum, optes, ut infestos Deos habeat; habet, inquam, etiam si videtur eorum cura et favore produci. Adhibe diligentiam tuam, et intuere, quid sint res nostrae, non quid vocentur; et scies plura mala contingere nobis, quam accidere. Quotiens enim felicitatis et causa et initium fuit, quod *calamitas* vocabatur? Quotiens magna gratulatione excepta res gradum sibi struxit in praeceps, et aliquem iam eminentem adlevavit etiamnunc, tamquam ibi adhuc staret, unde tuto caderet? Sed ipsum illud cadere non habet in se mali quidquam, si exitum spectes, ultra quem natura neminem deiecit. Prope est rerum omnium terminus: prope est, inquam, et illud, unde felix eiicitur, et illud, unde infelix emittitur. Nos utraque extendimus; et longa, spe ac metu, facimus.

Sed, si sapis, omnia humana conditione metire: simul, et quod gaudes, et quod times, contrahe. Est autem tanti, nihil diu gaudere, ne quid diu timeas. — Sed quare istuc malum adstringo? —Non est, quod quidquam timendum putes. Vana sunt ista, quae nos movent, quae attonitos habent. Nemo nostrûm, quid veri esset, excussit; sed metum alter alteri tradidit. Nemo ausus est ad id, quo perturbabatur, accedere, et naturam ac bonum timoris sui nosse. Itaque res falsa et inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere; iam adparebit, quam brevia, quam incerta, quam tuta timeantur. Talis est animorum nostrorum confusio, qualis LUCRETIO visa est:

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia caecis
in tenebris metuunt; ita nos in luce timemus.

Quid ergo? Non omni puero stultiores sumus, qui in luce timemus? Sed falsum est, Lucreti, non timemus in luce! omnia nobis fecimus tenebras; nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat: tota vita incursitamus; nec ob hoc resistimus, aut circumspectius pedem ponimus. Vides autem, quam sit furiosa res, in tenebris impetus. At, mehercules, id agimus, ut longius revocandi simus; et, quum ignoremus quo feramur, velociter tamen illo, quo intendimus, ire perseveramus.

Sed lucescere, si velimus, potest. Uno autem modo potest, si quis hanc humanorum divinorumque notitiam [scientiàmque] acceperit; si il-

la se non perfuderit, sed infecerit; si eadem, quamvis sciat, retractaverit, et ad se saepe retulerit; si quaesierit, quae sint bona, quae mala; quibus hoc falso sit nomen adscriptum; si quaesierit de honestis, de turpibus, de providentia. Nec intra haec humani ingenii sagacitas sistitur: prospicere et ultra mundum libet, quo feratur, unde surrexerit, in quem exitum tanta rerum velocitas properet. Ab hac divina contemplatione abductum animum in sordida et humilia pertraximus, ut avaritiae serviret, ut, relicto mundo terminisque eius, et dominis cuncta versantibus, terram rimaretur, et quaereret, quid ex illa mali effoderet, non contentus oblatis. Quidquid nobis bono futurum erat, Deus et parens noster in proximo posuit. Non exspectavit inquisitionem nostram, sed ultro dedit: nocitura altissime pressit. Nihil nisi de nobis queri possumus: ea, quibus periremus, nolente rerum natura et abscondente, protulimus. Addiximus animum voluptati; cui indulgere initium omnium malorum est. Tradidimus ambitioni et famae, ceteris, aeque vanis et inanibus.

Quid ergo nunc te hortor ut facias? Nihil novi; nec enim novis malis remedia quaeruntur: sed hoc primum, ut tecum ipse dispicias, quid sit necessarium, quid supervacuum. Necessaria tibi ubique occurrent: supervacua et semper, et toto animo, quaerenda sunt. Non est autem quod te nimis laudes, si contemseris aureos lectos, et gemmeam supellectilem: quae est enim virtus,

supervacua contemnere? Tunc te admirare, quum contemseris necessaria. Non magnam rem facis, quod vivere sine regio adparatu potes; quod non desideras milliarios apros, nec linguas phoenicopterorum, et alia portenta luxuriae, iam tota animalia fastidientis, et certa membra ex singulis eligentis Tunc te admirabor, si non contemseris etiam sordidum panem; si tibi persuaseris, herbas, ubi necesse est, non pecori tantum, sed homini, nasci; si scieris, cacumina arborum explementum esse ventris; in quem sic pretiosa congerimus, tamquam recepta servantem. Sine fastidio inplendus est: Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat; perditurus, quidquid acceperit? Delectant te disposita, quae terra marique capiuntur; alia eo gratiora, si recentia perferuntur ad mensam; alia, si, diu pasta et coacta pinguescere, fluunt, ac vix saginam continent suam. Delectat te nitor horum, arte quaesitus. At, mehercules, ista sollicite scrutata varieque condita, quum subierint ventrem, una atque eadem foeditas occupabit. Vis ciborum voluptatem contemnere? exitum specta.

ATTALUM memini cum magna admiratione omnium haec dicere: *Diu mihi*, inquit, *inposuere divitiae: stupebam, ubi aliquid ex illis alio atque alio loco fulserat; existimabam similia esse, quae laterent, his, quae ostenderentur. Sed in quodam adparatu vidi totas opes Urbis, caelatas et auro et argento, et his quae pretium auri argentique vicerunt; exquisitos colores, et vestes, ultra non tantum nostrum, sed ultra finem hostium advectas: hinc puerorum per-*

spicuos cultu atque forma greges, hinc feminarum; et alia, quae, res suas recognoscens, summi imperii fortuna protulerat. Quid hoc est, inquam, aliud, quam inritare cupiditates hominum per se incitatas? Quid sibi vult ista pecuniae pompa? Ad discendam avaritiam convenimus. At, mehercules, minus cupiditatis istinc effero, quam adtuleram. Contemsi divitias, non, quia supervacuae, sed quia pusillae sunt. Vidisti-ne, quam intra paucas horas ille ordo, quamvis lentus dispositusque, transierit? Hoc totam vitam nostram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Accessit illud quoque: tam supervacuae mihi visae sunt habentibus, quam fuerunt spectantibus. Hoc itaque ipse mihi dico, quotiens tale aliquid praestrinxerit oculos meos, quotiens occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis inposita calonibus: „Quid miraris? quid stupes? Pompa est! Ostenduntur istae res, non possidentur; et, dum placent, transeunt. Ad veras potius te converte divitias; disce parvo esse contentus: et illam vocem magnus atque animosus exclama: Habemus aquam, habemus polentam: Iovi ipsi de felicitate controversiam faciamus!" — Faciamus, oro te, etiam si ista defuerint! Turpe est, beatam vitam in auro et argento reponere: aeque turpe, in aqua et polenta. — Quid ergo faciam, si ista non fuerint? — Quaeris, quod sit remedium inopiae? Famem fames finit. Alioquin, quid interest, magna sint, an exigua, quae servire te cogunt? quid refert, quantum sit, quod tibi possit negare fortuna? Haec ipsa aqua et polenta in alienum arbitrium cadit; liber est au-

tem. non in quem parum licet fortunae, sed in quem nihil. Ita est! nihil desideres oportet, si vis Iovem provocare nihil desiderantem. — Haec nobis ATTALUS dixit: natura dixit omnibus. Quae si voles frequenter cogitare, id ages, ut sis felix, non ut videaris; et ut tibi videaris, non aliis. Vale.

EPISTOLA CXI.

Cavillos, vanam et humilem philosophiam esse: veram illam de moribus, firmam, altam. Huc eundum.

SENECA Lucilio suo Salutem.

QUID vocentur Latine *sophismata*, quaesisti a me. — Multi tentaverunt illis nomen inponere, nullum haesit; videlicet, quia res ipsa non recipiebatur a nobis, nec in usu erat, nomini quoque repugnatum est. Aptissimum tamen videtur mihi, quo CICERO usus est: *cavillationes* vocat; quibus quisquis se tradidit, quaestiunculas quidem vafras nectit, ceterum ad vitam nihil proficit, neque fortior fit, neque temperantior, neque elatior. At ille, qui Philosophiam in remedium suum exercuit, ingens fit animo, plenus fiduciae, inexsuperabilis, et maior adeunti. Quod in magnis evenit montibus, quorum proceritas minus adparet longe intuentibus; quum accesseris, tunc manifestum fit, quam in arduo summa sint: *talis* est, mi Lucili, verus, et rebus, non artificiis, Philosophus. In edito stat, admirabilis, celsus, magnitudinis verae. Non exsurgit in plantas, nec summis ambulat digitis, eorum more, qui mendacio statu-

ram adiuvant, longioresque, quam sunt, videri volunt: contentus est magnitudine sua. Quidni contentus sit eo usque crevisse, quo manum fortuna non porrigit? Ergo et supra humana est, et par sibi in omni statu rerum; sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuatur, et per adversa ac difficilia. Hanc constantiam cavillationes istae, de quibus paulo ante loquebar, praestare non possunt. Ludit istis animus, non proficit; et Philosophiam a fastigio suo deducit in planum. Nec te prohibuerim aliquando ista agere; sed tunc, quum voles nihil agere. Hoc tamen habent in se pessimum, dulcedinem quamdam sui faciunt, et animum specie subtilitatis inductum tenent, ac morantur; quum tanta rerum moles vocet, quum vix tota vita sufficiat, ut hoc unum discas, vitam contemnere. — Quid regere? inquis. — Secundum opus est: nam nemo illam bene rexit, nisi qui contemserat. Vale.

EPISTOLA CXII.

Desperat de amico reformando, vetere annorum et vitiorum.

Seneca Lucilio suo Salutem.

Cupio, mehercules, amicum tuum formari, ut desideras, et institui: sed valde durus capitur; immo potius, quod est molestius, valde mollis capitur, et consuetudine mala ac diutina fractus. Volo tibi ex nostro artificio exemplum referre. Non quaelibet insitionem vitis patitur: si vetus et exesa est, si infirma gracilisque, aut non reci-

piet surculum, aut non alet, nec adplicabit sibi; nec in qualitatem eius naturamque transibit. Itaque solemus supra terram praecidere, ut, si non responderit, tentari possit secunda fortuna, et iterum repetita infra terram inseratur. Hic, de quo scribis et mandas, non habet vires: indulsit vitiis; simul et emarcuit, et induruit. Non potest recipere rationem, non potest nutrire. — At cupit ipse. — Noli credere! Non dico illum mentiri tibi; putat se cupere. Stomachum illi fecit luxuria; cito tamen cum illa redibit in gratiam. — Sed dicit se offendi vita sua. — Non negaverim: quis enim non offenditur? Homines vitam suam et amant simul, et oderunt. Tunc itaque de illo feremus sententiam, quum fidem nobis fecerit, invisam iam sibi esse luxuriam: nunc illis male convenit. Vale.

EPISTOLA CXIII.

Quaestio, An Virtutes sint Animalia? Stoice adserit esse; itemque Vitia et Adfectus. Post ridendam nobis hodie disputatiunculam, a talibus avocat, ad utilia vitae vocat.

Seneca Lucilio suo Salutem.

Desideras tibi scribi a me, quid sentiam de hac quaestione iactata apud nostros: *An Iustitia, an Fortitudo, Prudentia, ceteraeque Virtutes, Animalia sint?* — Hac subtilitate efficimus, Lucili carissime, ut exercere ingenium inter inrita videamur, et disputationibus nihil profuturis otium terere. Faciam, quod desideras; et, quid nostris videatur, exponam. Sed me in alia esse sententia

profiteor. Puto quaedam esse, quae deceant phaecasiatum palliatumque. Quae sint ergo, quae antiquos moverint, dicam.

„Animum constat animal esse, quum ipse efficiat, ut simus animalia, et quum ab illo animalia nomen hoc traxerint; virtus autem nihil aliud est, quam animus quodammodo se habens: ergo animal est. Deinde: Virtus agit aliquid; agi autem nihil sine impetu potest: si impetum habet, qui nulli est, nisi animali, animal est. — Si animal est, inquit, virtus; habet ipsa virtutem. — Quidni habeat se ipsam? Quomodo Sapiens omnia per virtutem gerit, sic virtus per se. — Ergo, inquit, et omnes artes animalia sunt, et omnia, quae cogitamus, quaeque mente complectimur. Sequitur ut multa millia animalium habitent in his angustiis pectoris, et singuli multa simus animalia, aut multa habeamus animalia. — Quaeris, quid adversus istuc respondeatur? — Unaquaeque ex istis res animal erit, multa animalia non erunt. Quare? Dicam, si mihi adcommodaveris subtilitatem et intentionem tuam. Singula animalia singulas debent habere substantias; ista omnia unum animum habent: itaque singula esse possunt, multa esse non possunt. Ego et animal sum et homo, non tamen duos esse [nos] dices. Quare? Quia separati debent esse; ita dico, alter ab altero debet esse diductus; ut duo sint. Quidquid in uno multiplex est, sub unam naturam cadit: itaque unum est. Et animus meus animal est, et ego animal sum; duo tamen non su-

mus. Quare? quia animus mei pars est. Tunc aliquid per se numerabitur, quum per se stabit; ubi vero alterius membrum erit, non poterit videri aliud. Quare? Dicam: quia, quod aliud est, suum oportet esse, et proprium, et totum, et intra se absolutum."

Ego in alia esse me sententia professus sum. Non enim tantum virtutes animalia erunt, si hoc recipitur; sed opposita quoque illis vitia et adfectus, tamquam ira, timor, luctus, suspicio. Ultra res ista procedet: omnes sententiae, omnes cogitationes animalia erunt; quod nullo modo recipiendum est. Non enim, quidquid ab homine fit, homo est. — Iustitia quid est? inquit. Animus quodammodo se habens. Itaque, si animus animal est, et iustitia. — Minime! haec enim habitus animi est, et quaedam vis. Idem animus in varias figuras convertitur, et non totiens animal aliud est, quotiens aliud facit; nec illud, quod fit ab animo, animal est. Si iustitia animal est, si fortitudo, si ceterae virtutes; utrum desinunt animalia esse subinde, ac rursus incipiunt, an semper sunt? Desinere virtutes non possunt. Ergo multa animalia, immo innumerabilia in hoc animo versantur. — Non sunt, inquit, multa; quia ex uno religata sunt, et partes unius ac membra sunt. — Talem ergo faciem animi nobis proponimus, qualis est hydrae, multa habentis capita, quorum unumquodque per se pugnat, per se nocet. Atqui nullum ex illis capitibus animal est, sed animalis caput; ceterum ipsa unum animal est. Nemo in Chimaera

leonem animal esse dixit, aut draconem: hae partes erant eius: partes autem non sunt animalia. Quid est, quo colligas, iustitiam animal esse? — Agit, inquit, aliquid, et prodest; quod autem agit aliquid, et prodest, impetum habet: quod autem impetum habet, animal est. — Verum est, si suum impetum habet; suum autem non habet, sed animi. Omne animal, donec moriatur, id est, quod coepit: homo, donec moriatur, homo est; equus, equus; canis, canis: transire in aliud non potest. Iustitia, id est, animus quodammodo se habens, animal est! Credamus. Deinde, animal est fortitudo, id est, animus quodammodo se habens! Quis animus? ille qui modo iustitia erat? Tenetur in priore animali; in aliud animal transire ei non licet: in eo illi, in quo primum esse coepit, perseverandum est. Praeterea, unus animus duorum esse animalium non potest, multo minus plurium. Si iustitia, fortitudo, temperantia, ceteraeque virtutes animalia sunt: quomodo unum animum habebunt? Singulos habeant oportet, aut non sunt animalia. Non potest unum corpus plurium animalium esse; hoc et ipsi fatentur. Iustitiae quod est corpus? animus. Quid? fortitudinis quod est corpus? idem animus. Atqui unum corpus esse duorum animalium non potest. — Sed idem animus, inquit, iustitiae habitum induit, et fortitudinis, et temperantiae. — Hoc fieri posset, si, quo tempore iustitia est, fortitudo non esset; quo tempore fortitudo est, temperantia non esset. Nunc vero omnes virtutes

simul sunt. Ita quomodo singula erunt animalia, quum unus animus sit; qui plus, quam unum animal, non potest facere? Denique nullum animal pars est alterius animalis; iustitia autem pars est animi: non est ergo animal.

Videor mihi in re confessa perdere operam. Magis enim indignandum de isto, quam disputandum est. Nullum animal alterius pars est. Circumspice omnium corpora; nulli non et color proprius est, et figura sua, et magnitudo. Inter cetera, propter quae mirabile divini artificis ingenium est, hoc quoque existimo esse, quod in tanta copia rerum numquam in idem incidit: etiam, quae similia videntur, quum contuleris, diversa sunt. Tot fecit genera foliorum, nullum non sua proprietate signatum: tot animalia; nulli magnitudo cum altero convenit, utique aliquid interest. Exegit a se, ut, quae alia erant, et dissimilia essent, et inparia. Virtutes omnes, ut dicitis, pares sunt: ergo non sunt animalia. Nullum non animal per se aliquid agit: virtus autem per se nihil agit, sed cum homine. Omnia animalia aut rationalia sunt, ut homines, ut Dii; aut inrationalia, ut ferae, ut pecora: virtutes utique rationales sunt; atqui nec homines sunt, nec Dii: ergo non sunt animalia. Omne rationale animal nihil agit, nisi primum specie alicuius rei inritatum est, deinde impetum cepit, deinde adsensio confirmavit hunc impetum. Quid sit adsensio, dicam. Oportet me ambulare: tunc demum ambulo, quum hoc mihi dixi, et adprobavi hanc opinionem meam. Opor-

tet me sedere; tunc demum sedeo. Haec adsensio in virtute non est. Puta enim prudentiam esse; quomodo adsentietur? „Oportet me ambulare?" Hoc natura non recipit: prudentia enim ei, cuius est, prospicit; non sibi. Nam nec ambulare potest, nec sedere; ergo adsensionem non habet: quod adsensionem non habet, rationale animal non est. Virtus si animal est, rationale est: rationale autem non est: ergo nec animal. Si virtus animal est; virtus autem bonum [omne] est: omne bonum animal est. Hoc nostri fatentur. Patrem servare, bonum est; et sententiam prudenter in senatu dicere, bonum est; et iuste decernere, bonum est: ergo et patrem servare animal est; et prudenter sententiam dicere, animal est. Eo usque res excedet, ut risum tenere non possis. Prudenter tacere, bonum est; coenare bene, bonum est: ita et tacere et coenare animal est!

Ego, mehercules, titillare non desinam, et ludos mihi ex istis subtilibus ineptiis facere. Iustitia et fortitudo, si animalia sunt, certe terrestria sunt. Omne animal terrestre alget, esurit, sitit; ergo iustitia alget, fortitudo esurit, sitit clementia. Quid porro? non interrogabo illos, quam figuram habeant ista animalia? hominis, an equi, an ferae? Si rotundam illis, qualem Deo, dederint; quaeram, an et avaritia, et luxuria, et dementia aeque rotundae sint? sunt enim et ipsae animalia. Si has quoque conrotundaverint, etiamnunc interrogabo, an prudens ambulatio animal sit? Ne-

cesse est confiteantur. Deinde dicant, ambulationem animal esse, et quidem rotundum. Ne putes autem, me primum ex nostris non ex praescripto loqui, sed meae sententiae esse: inter Cleanthen et discipulum eius Chrysippum, non convenit, *quid sit ambulatio.* CLEANTHES ait, *spiritum esse a principali usque in pedes permissum;* CHRYSIPPUS, *ipsum principale.* Quid est ergo, cur non ipsius Chrysippi exemplo sibi quisque se vindicet, et ista tot animalia, quot mundus ipse non potest capere, derideat?

Non sunt, inquit, virtutes multa animalia, et tamen animalia sunt. Nam, quemadmodum aliquis et poëta est, et orator, et tamen unus; sic virtutes istae animalia sunt, sed multa non sunt. Idem est animus, et animus iustus, et prudens, et fortis; ad singulas virtutes quodammodo se habens. — Sublata est quaestio; convenit nobis. Nam et ego interim fateor, animum animal esse; postea visurus, quam de ista re sententiam feram: actiones eius animalia esse nego. Alioquin et omnia verba erunt animalia, et omnes versus. Nam, si prudens sermo bonum est, bonum autem omne animal est; sermo ergo animal est. Prudens versus, bonum est; bonum autem omne animal est: versus ergo animal est. Ita,

Arma virumque cano.

animal est; quod non possunt rotundum dicere, quum sex pedes habeat. — Textorium, inquis, totum mehercules istud est, quod quum maxime agitur. Dissilio risu, quum mihi propono, so-

loecismum animal esse, et barbarismum, et syllogismum, et aptas illis facies, tamquam pictor, adsigno.

Haec disputamus, adtractis superciliis, fronte rugosa. Non possum hoc loco dicere illud CAECILIANUM: *O tristes ineptias!* — Ridiculae sunt. Quin itaque potius aliquid utile nobis ac salutare tractamus, et quaerimus, quomodo ad virtutes venire possimus, quae nos ad illas via adducat. Doce me, non, an fortitudo animal sit; sed, nullum animal felix esse sine fortitudine, nisi contra fortuita convaluit, et omnes casus, antequam exciperet, meditando praedomuit. Quid est fortitudo? munimentum humanae inbecillitatis inexpugnabile; quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitae obsidione perdurat: utitur enim suis viribus, suis telis. Hoc loco tibi POSIDONII nostri referre sententiam volo: *Non est, quod umquam fortunae armis putes esse te tutum: tuis pugna contra ipsam. Fortuna non armat. Itaque contra hostes instructi, contra ipsam inermes sunt.* Alexander quidem Persas, et Hyrcanos, et Indos, et quidquid gentium usque in Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabatque; sed ipse, modo occiso amico, modo amisso, iacebat in tenebris, alias scelus, alias desiderium suum moerens: victor tot regum atque populorum, irae tristitiaeque succubuit: id enim egerat, ut omnia potius haberet in potestate, quam adfectus. O quam magnis homines tenentur erroribus, qui ius dominandi trans maria cupiunt permittere; felicissimosque se iu-

dicant, si multas per milites provincias obtinent, et novas veteribus adiungunt; ignari, quod sit illud ingens, parque Diis, regnum! Imperare sibi, maximum imperium est. Doceat me, quam sacra res sit iustitia, alienum bonum spectans; nihil ex se petens, nisi usum sui. Nihil sit illi cum ambitione famaque; sibi placeat! Hoc ante omnia sibi quisque persuadeat: „Me iustum esse gratis oportet!“ Parum est! adhuc illud persuadeat sibi: „Me in hanc pulcherrimam virtutem ultro etiam inpendere iuvet; tota cogitatio a privatis commodis quam longissime aversa sit!“ Non est, quod spectes, quod sit iustae rei praemium maius, quam iustam esse. Illud adhuc tibi adfige, quod paulo ante dicebam: Nihil ad rem pertinere, quam multi aequitatem tuam noverint. Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriae. Non vis esse iustus sine gloria? At, mehercules, saepe iustus esse debebis cum infamia. Et tunc, si sapis, mala opinio bene parta delectat. Vale.

EPISTOLA CXIV.

Eloquentiam alias aliam esse, et placere: uti mores publici sunt, severi, soluti, fracti. Ab animo colorem illam sumere: idque exemplo Maecenatis docet. Illum igitur curandum et formandum esse: a quo sensus et verba deinde recta. Obiter contra luxuriam.

Seneca Lucilio suo Salutem.

Quare quibusdam temporibus provenerit corrupti generis oratio? quaeris; et quomodo in quaedam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, ut aliquan-

do inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, et in morem cantici ducta? quare alias sensus audaces, et fidem egressi, placuerint; alias abruptae sententiae, et suspiciosae, in quibus plus intelligendum esset, quam audiendum? quare aliqua aetas fuerit, quae translationis iure uteretur inverecunde? — Hoc, quod audire vulgo soles, quod apud Graecos in proverbium cessit: *Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.* Quemadmodum autem uniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Si disciplina civitatis laboravit, et se in delicias dedit; argumentum est luxuriae publicae, orationis lascivia: si modo non in uno aut in altero fuit, sed adprobata est et recepta. Non potest alius esse ingenio, alius animo color. Si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans; ingenium quoque siccum ac sobrium est: illo vitiato, hoc quoque adflatur. Non vides, si animus elanguit, trahi membra, et pigre moveri pedes? si ille effeminatus est, in ipso incessu adparere mollitiem? si ille acer est et ferox, concitari gradum? si furit, aut, quod furori simile est, irascitur, turbatum esse corporis motum, nec ire, sed ferri? Quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totum animo permixtum est? ab illo fingitur, illi paret, inde legem petit.

Quomodo Maecenas vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat; quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. Quid ergo? non

oratio eius aeque soluta est, quam ipse discinctus? non tam insignita illius verba sunt, quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor? Magni vir ingenii fuerat, si illud egisset via rectiore, si non vitasset intelligi, si non etiam in oratione difflueret. Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis, involutam, et errantem, et licentiae plenam. [MAECENAS, *de Cultu suo.*] Quid turpius? *Amne silvisque ripa comantibus vide ut alveum lintribus arent, versoque vado remittant hortos. — Quid? si quis feminae cinno crispatae labris columbatur, incipitque suspirans, ut cervice lassa fanantur nemoris tyranni. — Inremediabilis factio: rimantur epulis, lagenaque tentant domos, et spe mortem exigunt. — Genium festo vix suo testem, tenuisve cerei fila, et crepacem molam: — focum mater aut uxor investiunt.* — Non statim, quum haec legeris, hoc tibi occurret, hunc esse, qui solutis tunicis in Urbe semper incesserit? (nam, etiam quum absentis Caesaris partibus fungeretur, signum a discincto petebatur:) hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico coetu, sic adparuerit, ut pallio velaretur caput, exclusis utrimque auribus, non aliter, quam in mimo *Divites* fugitivi solent? hunc esse, cui, tunc maxime civilibus bellis strepentibus, et sollicita urbe et armata, comitatus hic fuerit in publico, spadones duo, magis tamen viri quam ipse? hunc esse, qui uxorem milliens duxit, quum unam habuerit? Haec verba tam inprobe structa, tam negligenter abiecta, tam contra consuetudinem om-

nium posita, ostendunt, mores quoque non minus novos et pravos et singulares fuisse. Maxima laus illi tribuitur mansuetudinis: pepercit gladio, sanguine abstinuit; nec ulla alia re, quid posset, quam licentia, ostendit. Hanc ipsam laudem suam corrupit istis orationis portentosissimae deliciis: adparet enim mollem fuisse, non mitem. Hoc istae ambages compositionis, hoc verba transversa, hoc sensus, magni quidem saepe, sed enervati dum exeunt, cuivis manifestum facient. Motum illi felicitate nimia caput; quod vitium hominis interdum esse, interdum temporis, solet.

Ubi luxuriam late felicitas fudit, luxus [*sive* cultus] primum corporum esse diligentior incepit; deinde supellectili laboratur; deinde in ipsas domos inpenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor; deinde ad coenas lautitia transfertur, et illic commendatio ex novitate et soliti ordinis commutatione captatur, ut ea, quae includere coenam solent, prima ponantur, ut, quae advenientibus dabantur, exeuntibus dentur. Quum adsuevit animus fastidire quae ex more sunt, et illi pro sordidis solita sunt; etiam in oratione, quod novum est, quaerit: et modo antiqua verba atque exoleta revocat ac profert; modo fingit ignota, ac deflectit; modo id, quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax translatio ac frequens. Sunt, qui sensus praecidant, et hinc gratiam sperent, si sen-

tentia pependerit, et audienti suspicionem sui fecerit: sunt, qui illos detineant et porrigant. Sunt, qui non usque ad vitium accedant, (necesse est enim hoc facere aliquid grande tentanti,) sed qui ipsum vitium ament. Itaque, ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto descivisse, non erit dubium. Quomodo conviviorum luxuria, quomodo vestium, aegrae civitatis indicia sunt: sic orationis licentia, si modo frequens est, ostendit animos quoque, a quibus verba exeunt, procidisse.

Mirari quidem non debes, corrupta excipi non tantum a corona sordidiore, sed ab hac quoque turba cultiore: togis enim inter se isti, non iudiciis, distant. Hoc magis mirari potes, quod non tantum vitiosa, sed vitia laudentur. Nam illud semper factum est: nullum sine venia placuit ingenium. Da mihi, quemcumque vis, magni nominis virum; dicam, quid illi aetas sua ignoverit, quid in illo sciens dissimulaverit. Multos tibi dabo, quibus vitia non nocuerint; quosdam, quibus profuerint. Dabo, inquam, maximae famae et inter miranda propositos; quos, si quis corrigit, delet: sic enim vitia virtutibus inmixta sunt, ut illas secum tractura sint. Adiice nunc, quod oratio certam regulam non habet. Consuetudo illam civitatis, quae numquam in eodem diu stetit, versat. Multi ex alieno seculo petunt verba; duodecim Tabulas loquuntur; Gracchus illis, et Crassus, et Curio, nimis culti et recentes sunt; ad Appium usque et ad Coruncanium red-

eunt. Quidam contra, dum nihil nisi tritum et usitatum volunt, in sordes incidunt. Utrumque diverso genere corruptum est, tam mehercules, quam nolle nisi splendidis uti, ac sonantibus, et poëticis; necessaria, et in usu posita, vitare: tam hunc dicam peccare, quam illum. Alter se plus iusto colit, alter plus iusto negligit; ille et crura, hic ne alas quidem, vellit.

Ad compositionem transeamus: Quot genera tibi in hac dabo, quibus peccetur? Quidam praefractam et asperam probant; disturbant de industria, si quid placidius effluxit; nolunt sine salebra esse iuncturam; virilem putant et fortem, quae aurem inaequalitate percutiat. Quorumdam non est compositio, modulatio est; adeo blanditur, et molliter labitur. Quid de illa loquar, in qua verba differuntur, et, diu exspectata, vix ad clausulas redeunt? Quid illa in exitu lenta, qualis Ciceronis est, devexa, et molliter detinens; nec aliter, quam solet, ad morem suum pedemque respondens? Non tantum in genere sententiarum vitium est, si aut pusillae sunt et pueriles, aut inprobae, et plus ausae, quam pudore salvo licet; si floridae sunt, et nimis dulces; si in vanum exeunt, et, sine effectu, nihil amplius quam sonant.

Haec vitia unus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est: ceteri imitantur, et alter alteri tradunt. Sic Sallustio vigente, amputatae sententiae, et verba ante exspectatum cadentia, et obscura brevitas, fuere pro cultu. Arruntius, vir ra-

rae frugalitatis, qui *Historias belli Punici* scripsit, fuit Sallustianus, et in illud genus nitens. Est apud SALLUSTIUM: *exercitum argento fecit*, id est, pecunia paravit. Hoc ARRUNTIUS amare coepit; posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco: *fugam nostris fecere*. Alio loco: *Hiero, rex Syracusanorum, bellum fecit*. Et alio loco: *Quae audita Panormitanos dedere Romanis fecere*. Gustum tibi dare volui: totus his contexitur liber. Quae apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt et paene continua; nec sine causa: ille enim in haec incidebat, at hic illa quaerebat. Vides autem, quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est. Dixit SALLUSTIUS: *aquis hiemantibus*. ARRUNTIUS *in primo libro belli Punici* ait: *repente hiemavit tempestas*. Et alio loco, quum dicere vellet, frigidum annum fuisse, ait: *totus hiemavit annus*. Et alio loco: *Inde sexaginta onerarias, leves, praeter militem et necessarios nautarum, hiemante aquilone misit*. Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco dicit SALLUSTIUS: *Inter arma civilia aequi bonique famas petit*. ARRUNTIUS non temperavit, quo minus *primo* statim *libro* poneret: *ingentes esse famas de Regulo*.

Haec ergo et eiusmodi vitia, quae alicui inpressit imitatio, non sunt indicia luxuriae nec animi corrupti: propria enim esse debent, et ex ipso nata, ex quibus tu aestimes alicuius adfectus. Iracundi hominis iracunda oratio est; commoti nimis, incitata; delicati, tenera et fluxa. Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut in-

tervellunt; qui labra pressius tondent et abradunt, servata et submissa cetera parte; qui lacernas coloris inprobi sumunt, qui perlucentem togam; qui nolunt facere quidquam, quod hominum oculis transire liceat; inritant illos, et in se advertunt; volunt vel reprehendi, dum conspici: talis est oratio Maecenatis, omniumque aliorum, qui non casu errant, sed scientes volentesque.

Hoc a magno animi malo oritur. Quomodo in vino non ante lingua titubat, quam mens cessit oneri, et inclinata vel perdita est: ita ista oratio (quid aliud quam ebrietas?) nulli molesta est, nisi animus labat. Ideo ille curetur: ab illo sensus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis est habitus, vultus, incessus. Illo sano ac valente, oratio quoque robusta, fortis, virilis est: si ille procubuit, et cetera ruinam sequuntur.

— *Rege incolumi, mens omnibus una est:*
amisso, rupere fidem. —

Rex noster est animus: hoc incolumi, cetera manent in officio, parent, obtemperant: quum ille paulum vacillavit, simul dubitant. Quum vero cessit voluptati, artes quoque eius, actusque marcent, et omnis ex languido fluxoque conatus est.

Quoniam hac similitudine usus sum, perseverabo. Animus noster modo rex est, modo tyrannus: rex, quum honesta intuetur, salutem commissi sibi corporis curat, et nihil illi imperat turpe, nihil sordidum; ubi vero inpotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile ac di-

rum et fit tyrannus. Tunc illum excipiunt adfectus inpotentes, et instant; qui initio quidem gaudent, ut solet populus largitione nocitura frustra plenus, et, quae non potest haurire, contrectat. Quum vero magis ac magis vires morbus exedit, et in medullas nervosque descendere deliciae; conspectu eorum, quibus se nimia aviditate inutilem reddidit, laetus, pro suis voluptatibus habet spectaculum alienarum, subministrator libidinum testisque, quarum usum sibi ingerendo abstulit: nec illi tam gratum est abundare iucundis, quam acerbum, quod non omnem illum adparatum per gulam ventremque transmittit, quod non cum omni exoletorum feminarumque turba convolutatur; moeretque, quod magna pars suae felicitatis, exclusa corporis angustiis, cessat. Numquid enim, mi Lucili, in hoc furor non est, quod nemo nostrûm mortalem se cogitat? quod nemo inbecillum? immo in illo, quod nemo nostrûm unum esse se cogitat? Adspice culinas nostras, et concursantes inter tot ignes coquos: unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Adspice veterana nostra, et plena multorum seculorum vindemiis horrea: unum putas videri ventrem, cui tot consulum regionumque vina cluduntur? Adspice, quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant; unum videri putas ventrem, cui et in Sicilia, et in Africa seritur? Sani erimus, et modica concupiscemus, si unusquisque se numeret, et metiatur simul corpus, sciat

quam nec multum capere, nec diu possit. Nihil tamen aeque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis aevi, et huius incerti. Quidquid facies, respice ad mortem. Vale.

EPISTOLA CXV.

Contra nimis sermonis aut stili anxios: et minuti hoc animi esse. Cum fiducia scribendum loquendumque, sine quaesito ornatu. Quem in animo potius specta. O qualis ille, ubi Virtutes eum excoluerunt! omnes in amorem rapiat, si conspici possit. At externus iste splendor falsus, aut nihili est: item aurum omne et pecunia, quae miramur. Non faciunt haec felices, aut securos: immo et miseros, et miserandos.

SENECA Lucilio suo Salutem.

NIMIS anxium esse te circa verba et compositionem, mi Lucili, nolo: habeo maiora quae cures. Quaere, quid scribas, non quemadmodum; et hoc ipsum, non ut scribas, sed ut sentias: ut illa, quae senseris, magis adplices tibi, et velut signes. Cuiuscumque orationem videris sollicitam et politam, scito animum quoque non minus esse pusillis occupatum. Magnus ille remissius loquitur et securius: quaecumque dicit, plus habent fiduciae, quam curae. Nosti complures iuvenes, barba et coma nitidos, de capsula totos; nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum. Oratio vultus animi est: si circumtonsa est, et fucata, et manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, et habere aliquid fracti. Non est ornamentum virile, concinnitas.

Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o!

quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus, hinc iustitia, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus! Praeter has, frugalitas, et continentia, et tolerantia, et liberalitas comitasque, et (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum, splendorem illi suum adfunderent! Tunc providentia, cum elegantia, et ex istis magnanimitas eminentissima, quantum, Dii boni, decoris illi, quantum ponderis gravitatisque adderent! quanta esset cum gratia auctoritas! Nemo illam amabilem, qui non simul venerabilem, diceret. Si quis viderit hanc faciem, altiorem fulgentioremque quam cerni inter humana consuevit; nonne, velut numinis occursu, obstupefactus resistat, et, ut fas sit vidisse, tacitus precetur? tum, evocante ipsa vultus benignitate, productus adoret ac supplicet; et, diu contemplatus multum exstantem, supraque mensuram solitorum inter nos adspici elatam, oculis, mite quiddam, sed nihilominus vivido igne flagrantibus? tunc deinde illam VIRGILII nostri vocem verens atque adtonitus emittat:

O! quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus
mortalis, nec vox hominem sonat. O Dea certe!
sis felix; nostrumque leves, quaecumque, laborem!

Aderit, levabitque, si colere eam voluerimus. Colitur autem, non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso,

nec in thesauros stipe infusa; sed pia et recta voluntate.

Nemo, inquam, non amore eius arderet, si nobis illam videre contingeret: nunc enim multa obstrigillant, et aciem nostram aut splendore nimio repercutiunt, aut obscuritate retinent. Sed si, quemadmodum visus oculorum quibusdam medicamentis acui solet et repurgari, sic nos aciem animi liberare inpedimentis voluerimus, poterimus perspicere Virtutem, etiam obrutam corpore, etiam paupertate opposita, etiam humilitate et infamia obiacentibus; cernemus, inquam, pulchritudinem illam, quamvis sordido obtectam. Rursus aeque malitiam et aerumnosi animi veternum perspiciemus, quamvis multus circa divitiarum radiantium splendor inpediat, et intuentem hinc honorum, illinc magnarum potestatum, falsa lux verberet. Tunc intelligere nobis licebit, quam contemnenda miremur, simillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio est. Parentibus quippe, nec minus fratribus, praeferunt parvo aere emta monilia. *Quid ergo inter nos et illos interest*, ut ARISTON ait, *nisi quod nos circa tabulas et statuas insanimus, carius inepti?* Illos reperti in litore calculi laeves, et aliquid habentes varietatis, delectant; nos ingentium maculae columnarum; sive ex Aegyptiis arenis, sive ex Africae solitudinibus advectae, porticum aliquam vel capacem populi coenationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos: quum sciamus, quale sit quod absconditur, oculis nostris inpo-

nimus. Et, quum auro tecta perfudimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro foeda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue praetenditur; omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est. Inspice, et scies, sub ista tenui membrana dignitatis quantum mali iaceat.

Haec ipsa res, quae tot magistratus, tot iudices detinet, quae et magistratus et iudices facit, pecunia, ex quo in honore esse coepit, verus rerum honor cecidit: mercatoresque et venales invicem facti, quaerimus, non quale sit quidque, sed quanti. Ad mercedem pii sumus, ad mercedem inpii. Honesta, quamdiu aliqua illis spes inest, sequimur; in contrarium transituri, si plus scelera promittent. Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt; et teneris infusa cupiditas altius sedit, crevitque nobiscum. Deinde totus populus, in alia discors, in hoc convenit; hoc suspiciunt, hoc suis optant, hoc Diis, velut rerum humanarum maximum, quum grati videri volunt, consecrant. Denique eo mores redacti sunt, ut paupertas maledicto probroque sit, contemta divitibus, invisa pauperibus. Accedunt deinde carmina Poëtarum, quae adfectibus nostris facem subdant, quibus divitiae, velut unicum vitae decus ornamentumque, laudantur. Nihil illis melius nec dare videntur Dii inmortales posse, nec habere.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
clara micante auro. —

Eiusdem currum adspice:

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae
curvatura rotae, radiorum argenteus ordo.

Denique, quod optimum videri volunt *seculum*, *aureum* adpellant. Nec apud graecos Tragicos desunt, qui lucro innocentiam, salutem, opinionem bonam mutent.

Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.
An dives, omnes quaerimus: nemo, an bonus.
Non quare, et unde: quid habeas, tantum rogant.
Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quaeris? Nihil.
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.
Bene moritur, qui moritur, dum lucrum facit.

Pecunia ingens generis humani bonum,
cui non voluptas matris, aut blandae potest
par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
merito illa amores coelitum atque hominum movet.

Quum hi novissimi versus in tragoedia EURIPIDIS pronuntiati essent, totus populus ad eiiciendum et actorem et carmen consurrexit uno impetu; donec Euripides in medium ipse prosiluit, petens, ut exspectarent, viderentque, quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula poenas Bellerophontes, quas in sua quisque dat. Nulla enim avaritia sine poena est, quamvis satis sit ipsa poenarum. O quantum lacrimarum, o quantum laborum exigit! quam misera desideratis, quam misera partis est! Adiice quotidia-

nas sollicitudines, quae pro modo habendi quemque discruciant. Maiore tormento pecunia possidetur, quam quaeritur. Quantum damnis ingemiscunt, quae et magna incidunt, et videntur maiora! Denique, ut nihil illis fortuna detrahat, quidquid non adquiritur, damnum est. — At felicem illum homines, et divitem vocant, et consequi optant, quantum ille possidet. — Fateor. Quid ergo? tu ullos esse conditionis peioris existimas, quam qui habent et miseriam, et invidiam? Utinam, qui divitias optaturi essent, cum divitibus deliberarent! utinam, honores petituri, cum ambitiosis et summum adeptis dignitatis statum!, profecto vota mutassent; quum interim illi nova suscipiunt, quum priora damnaverint. Nemo enim est, cui felicitas sua, etiam si cursu venit, satisfaciat. Queruntur et de consiliis, et de processibus suis; maluntque semper quae reliquerunt.

Itaque hoc tibi Philosophia praestabit, quo equidem nihil maius existimo: numquam te poenitebit tui. Ad hanc tam solidam felicitatem, quam tempestas nulla concutiat, non perducent te apte verba contexta, et oratio fluens leniter. Eant, ut volent; dum animo compositio sua constet, dum sit magnus, et opinionum securus, et ob ipsa, quae aliis displicent, sibi placens; qui profectum suum vita aestimet, et tantum scire se iudicet, quantum non cupit, quantum non timet. Vale.

EPISTOLA CXVI.

Contra Peripateticos, exscindendos Adfectus, non temperandos esse: neque a Natura induci. A mollitie sententiam adversam nasci.

Seneca Lucilio suo Salutem.

U*TRUM satius sit, modicos habere adfectus, an nullos*, saepe quaesitum est. Nostri illos expellunt: Peripatetici temperant. Ego non video, quomodo salubris esse aut utilis possit ulla mediocritas morbi. Noli timere! nihil eorum, quae tibi non vis negari, eripio; facilem me, indulgentemque praebebo rebus, ad quas tendis, et quas aut necessarias vitae, aut utiles, aut iucundas putas: detraham vitium. Nam quum tibi *cupere* interdixero, *velle* permittam; ut eadem illa intrepidus facias, ut certiore consilio, ut voluptates ipsas magis sentias. Quidni ad te magis perventurae sint, si illis imperabis, quam si servies?

Sed naturale est, inquis, ut desiderio amici torquear; da ius lacrimis tam iuste cadentibus. Naturale est opinionibus hominum tangi, et adversis contristari: quare mihi non permittas hunc tam honestum malae opinionis metum? — Nullum est vitium sine patrocinio; nulli non initium verecundum est et exorabile: sed ab hoc latius funditur. Non obtinebis, ut desinat, si incipere permiseris. Inbecillus est primo omnis adfectus; deinde ipse se concitat, et vires, dum procedit, parat: excluditur facilius, quam expellitur. Quis negat, omnes adfectus a quodam quasi naturali fluere principio? Curam nobis nostri natura man-

davit; sed, huic ubi nimium indulseris, vitium est. Voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non ut illam peteremus, sed ut ea, sine quibus non possumus vivere, gratiora nobis illius faceret accessio: si suo veniat iure, luxuria est. Ergo intrantibus resistamus, quia facilius, ut dixi, non recipiuntur, quam exeunt. — Aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte! — Sed illud *aliquatenus* longe producitur; nec, ubi vis, accipit finem. Sapienti, non sollicite custodire se, tutum est; et lacrimas suas et voluptates, ubi volet, sistet: nobis, quia non est regredi facile, optimum est omnino non progredi. Eleganter mihi videtur PANAETIUS respondisse adolescentulo cuidam quaerenti: *An sapiens amaturus esset? De Sapiente*, inquit, *videbimus: mihi et tibi, qui adhuc a Sapiente longe absumus, non est committendum, ut incidamus in rem commotam, inpotentem, alteri emancipatam, vilem sibi. Sive enim nos respicit, humanitate eius inritamur; sive contemsit, superbia accendimur. Aeque facilitas amoris, quam difficultas nocet: facilitate capimur, cum difficultate certamus. Itaque, conscii nobis inbecillitatis nostrae, quiescamus. Nec vino infirmum animum committamus, nec formae, nec adulationi, nec ullis rebus blande trahentibus.*

Quod Panaetius de amore quaerenti respondit, hoc ego de omnibus adfectibus dico. Quantum possumus nos, a lubrico recedamus; in sicco quoque parum fortiter stamus. — Occurres hoc loco mihi illa publica contra Stoicos voce: *Nimis ma-*

gna promittitis, nimis dura praecipitis! Nos homunciones sumus, omnia nobis negare non possumus: dolebimus, sed parum; concupiscemus, sed temperate; irascemur, sed placabimur. — Scis, quare non possumus ista? quia, nos posse, non credimus. Immo, mehercules, aliud est in re! Vitia nostra, quia amamus, defendimus; et malumus excusare illa, quam excutere. Satis natura homini dedit roboris, si illo utamur, si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certe non contra nos, concitemus. Nolle in causa est; non posse praetenditur. Vale.

EPISTOLA CXVII.

Quaestiuncula, An, quum Sapientia bonum sit, etiam sapere? Stoici istud vulgo negant: alii adserunt, et ipse istis pronior. Denique amolitur haec supervacua, et ad formationem morum serio vocat.

SENECA Lucilio suo Salutem.

MULTUM mihi negotii concinnabis, et, dum nescis, in magnam me litem ac molestiam inpinges, qui mihi tales quaestiunculas ponis, in quibus ego nec dissentire a nostris, salva gratia, nec consentire, salva conscientia, possum. — Quaeris, *an verum sit,* quod Stoicis placet: *Sapientiam bonum esse, Sapere bonum non esse.* — Primum exponam, quid Stoicis videatur; deinde tunc dicere sententiam audebo. Placet nostris, quod bonum est, corpus esse; quia, quod bonum est, facit: quidquid facit, corpus est. Quod bonum est, prodest; faciat autem aliquid oportet, ut prosit: si facit, corpus est. Sapientiam bonum es-

se dicunt: sequitur, ut necesse sit illam corporalem quoque dicere. At sapere non putant eiusdem conditionis esse. Incorporale est, et accidens alteri, id est, sapientiae: itaque nec facit quidquam, nec prodest. — Quid ergo? inquit; non dicimus, *bonum est sapere?* — Dicimus, referentes ad id, ex quo pendet, id est, ad ipsam Sapientiam.

Adversus hos quid ab aliis respondeatur, audi, antequam ego incipio secedere, et in alia parte considere. — Isto modo, inquiunt, nec beate vivere bonum est. — Velint nolint, respondendum est, beatam vitam bonum esse, beate vivere bonum non esse. Etiamnunc nostris illud quoque opponitur: Vultis sapere: ergo expetenda res est, sapere: si expetenda res est, bonum est. — Coguntur nostri verba torquere, et unam syllabam expetendo interponere, quam sermo noster inseri non sinit. Ego illam, si pateris, adiungam. *Expetendum* est, inquiunt, quod bonum est: *expetibile* quod nobis contingit, quum bonum consequuti sumus; non petitur tamquam bonum, sed petito bono accedit. — Ego non idem sentio, et nostros iudico in hoc descendere, quia iam primo vinculo tenentur, et mutare illis formulam non licet.

Multum dare solemus praesumtioni omnium hominum, et apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tamquam, *Deos esse*, inter alia hoc colligimus, quod omnibus insita de Diis opinio est, nec ulla gens usquam est adeo

extra leges moresque proiecta, ut non aliquos Deos credat. Quum de animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac publica persuasione: neminem invenies, qui non putet et sapientiam bonum, et bonum sapere.

Non faciam, quod victi solent, ut provocem ad populum: nostris incipiamus armis confligere. Quod accidit alicui, utrum extra id, cui accidit, est; an in eo, cui accidit? Si in eo est, cui accidit; tam corpus est, quam illud, cui accidit. Nihil enim accidere sine tactu potest; quod tangit, corpus est. Si extra est, posteaquam acciderat, recessit; quod recessit, motum habet; quod motum habet, corpus est. Speras me dicturum, non esse aliud cursum, aliud currere; nec aliud calorem, aliud calere; nec aliud lucem, aliud lucere. Concedo ista alia esse, sed non sortis alterius. Si valitudo indifferens est; bene valere indifferens est. Si forma indifferens est; et formosum esse. Si iustitia bonum est; et iustum esse. Si turpitudo malum est; et turpem esse malum est: tam, mehercules, quam, si lippitudo malum est, lippire quoque malum est. Hoc ut scias, neutrum esse sine altero potest. Qui sapit, sapiens est; qui sapiens est, sapit. Adeo non potest dubitari, an, quale illud sit, tale hoc sit, ut quibusdam utrumque unum videatur atque idem. Sed illud libenter quaesierim: Quum omnia aut bona sint, aut mala, aut indifferentia; sapere in

quo numero sit? Bonum negant esse; malum utique non est: sequitur, ut medium sit. Id autem medium atque indifferens vocamus, quod tam malo contingere, quam bono, possit: tamquam, pecunia, forma, nobilitas. Hoc, ut sapiat, contingere nisi bono non potest: ergo indifferens non est. Atqui ne malum quidem est, quod contingere malo non potest: ergo bonum est. Quod, nisi bonus, non habet, bonum est; sapere non nisi bonus habet: ergo bonum est. — Accidens est, inquit, Sapientiae. — Hoc ergo, quod vocas sapere, utrum facit sapientiam, an patitur? Sive facit illud, sive patitur, utroque modo corpus est. Nam, et quod fit, et quod facit, corpus est: si corpus est, bonum est: unum enim deerat illi, quo minus bonum esset, quod incorporale erat.

Peripateticis placet, nihil interesse inter Sapientiam et sapere, quum in utrolibet eorum et alterum sit. Numquid enim quemquam existimas sapere, nisi qui Sapientiam habet? Numquid quemquam, qui sapiat, non putas habere Sapientiam? Dialectici veteres ista distinguunt: ab illis divisio usque ad Stoicos venit. Qualis sit haec, dicam. Aliud est ager; aliud agrum habere: quidni? quum habere agrum ad habentem, non ad agrum pertineat. Sic aliud est Sapientia, aliud sapere. Puto concedes duo esse haec, id quod habetur, et eum qui habet: habetur Sapientia; habet, qui sapit. Sapientia est mens perfecta, vel ad summum optimumque perducta; ars enim vitae est.

Sapere quid est? Non possum dicere, mens perfecta; sed id, quod contingit perfectam mentem habenti. Ita alterum est, mens bona: alterum, quasi habere mentem bonam. Sunt, inquit, naturae corporum; tamquam, hic homo est, hic equus: has deinde sequuntur motus animorum enuntiativi corporum. Hi habent proprium quiddam, et a corporibus seductum: tamquam, video Catonem ambulantem; hoc sensus ostendit, animus credidit. Corpus est, quod video, cui et oculos intendi et animum. Dico deinde, *Cato ambulat.* Non corpus, inquit, est, quod nunc loquor; sed enuntiativum quiddam de corpore, quod alii *effatum* vocant, alii *enuntiatum*, alii *dictum*. Sic, quum dicimus Sapientiam, corporale quiddam intelligimus; quum dicimus, *Sapit*, de corpore loquimur. Plurimum autem interest, utrum *illum* dicas, an *de illo*.

Putemus in praesentia, ista *duo* esse; (nondum enim, quid mihi videatur, pronuntio:) quid prohibet, quo minus *aliud* quidem sit, sed nihilo minus bonum? Dicebas paulo ante, aliud esse agrum; aliud, habere agrum. Quidni? in alia enim natura est, qui habet; in alia, quod habetur: illa terra est, hic homo est. At in hoc, de quo agitur, eiusdem naturae sunt utraque, et qui habet Sapientiam, et ipsa, quae habetur. Praeterea illic aliud est, quod habetur; alius, qui habet: hic in eodem est, et quod habetur, et qui habet. Ager iure possidetur; sapientia natura: ille abalienari potest et alteri tradi; haec non discedit a

domino. Non est itaque, quod compares inter se dissimilia. Coeperam dicere, posse ista *duo* esse, et tamen utraque bona: tamquam et Sapientia et Sapiens duo sunt, et utrumque bonum esse concedis. Quomodo nihil obstat, quo minus et sapientia bonum sit, et habens sapientiam; sic nihil obstat, quo minus et sapientia bonum sit, et habere sapientiam, id est, sapere. Ego in hoc volo sapiens esse, ut sapiam. Quid ergo? non est id bonum, sine quo nec illud bonum est? Vos certe dicitis, Sapientiam, si sine usu detur, accipiendam non esse. Quis est usus sapientiae? Sapere: hoc est in illa pretiosissimum; quo detracto, supervacua fit. Si tormenta mala sunt, torqueri malum est; adeo quidem, ut illa non sint mala, si, quod sequitur, detraxeris. Sapientia habitus perfectae mentis est; sapere, usus perfectae mentis. Quomodo potest usus eius bonum non esse, quae sine usu bonum non est? Interrogo te, an Sapientia expetenda sit? fateris. Interrogo, an usus sapientiae expetendus sit? fateris: negas enim te illam recepturum, si uti ea prohibearis. Quod expetendum est, bonum est. Sapere, sapientiae usus est; quomodo eloquentiae, eloqui; quomodo oculorum, videre: ergo sapere, Sapientiae usus est. Usus autem sapientiae expetendus est; sapere ergo expetendum est: si expetendum est, bonum est. — Olim ipse me damno, qui illos imitor, dum accuso, et verba apertae rei inpendo. Cui enim dubium potest esse, quin, si aestus malum est, et aestuare malum sit? si algor

malum est, malum sit algere? si vita bonum est, et vivere bonum sit.

Omnia ista, *circa Sapientiam*, non in ipsa, sunt; at nobis *in ipsa* commorandum est. Etiam, si quid evagari libet, amplos habet illa spatiososque secessus. De Deorum natura quaeramus; de siderum elementis, de his tam variis stellarum discursibus: an ad illarum motus nostra moveantur; an corporibus omnium animisque illinc impetus veniat; an et haec, quae fortuita dicuntur, certa lege constricta sint, nihilque in hoc mundo repentinum, aut expers ordinis, volutetur? Ista iam a formatione morum recesserunt; sed levant animum, et ad ipsarum, quas tractant, rerum magnitudinem adtollunt. Haec vero, de quibus paulo ante dicebam, minuunt, et deprimunt; nec, ut putas, exacuunt, sed extenuant. Obsecro vos! tam necessariam curam, maioribus melioribusque debitam, in re, nescio an falsa, certe inutili, terimus? Quid mihi profuturum est scire, an aliud sit sapientia, aliud sapere? quid mihi profuturum est scire, illud bonum esse, [hoc non esse?] Temere me geram, subibo huius voti aleam: tibi Sapientia, mihi sapere contingat! pares erimus. Potius id age, ut mihi viam monstres, qua ad ista perveniam. Dic, quid vitare debeam, quid adpetere; quibus animum labantem studiis firmem; quemadmodum, quae me ex transverso ferunt aguntque, procul a me repellam; quomodo par esse tot malis possim; quomodo istas calamitates removeam, quae ad me inruperunt; quomodo

illas, ad quas ego inrupi. Doce, quomodo feram aerumnam sine gemitu meo, felicitatem sine alieno; quomodo ultimum ac necessarium vitae terminum non exspectem, sed ipsemet, quum visum erit, profugiam. Nihil mihi videtur turpius, quam optare mortem. Nam si vis vivere, quid optas mori? sive non vis, quid Deos rogas quod tibi nascenti dederunt? Nam, ut quandoque moriaris, etiam invito positum est; ut, quum voles, in tua manu est. Alterum tibi necesse est; alterum licet. Turpissimum his diebus principium diserti mehercules viri legi: *Ita*, inquit, *quamprimum moriar!* Homo demens! optas rem tuam: *Ita quamprimum moriar!* Fortasse inter has voces senex factus es: alioqui, quid in mora est? nemo te tenet; evade, qua visum est! elige quamlibet rerum naturae partem, quam tibi praebere exitum iubeas! Haec nempe sunt et elementa, quibus hic mundus administratur, aqua, terra, spiritus: omnia ista tam causae vivendi sunt, quam viae mortis. *Ita quamprimum moriar! Quamprimum* istud, quod esse vis? quem illi diem ponis? citius fieri, quam optas, potest. Inbecillae mentis ista sunt verba, et hac detestatione misericordiam captantis. Non vult mori, qui optat. Deos vitam et salutem roga; si mori placuit, hic mortis est fructus, optare desinere.

Haec, mi Lucili, tractemus; his formemus animum! Haec est sapientia, hoc est sapere; non, disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare. Tot quaestiones fortuna tibi posuit: non-

dum illas solvisti; iam cavillaris. Quam stultum est, quum signum pugnae acceperis, ventilare! Remove ista lusoria arma; decretoriis opus est. Dic, qua ratione nulla animum tristitia, nulla formido perturbet; qua ratione hoc secretarum cupiditatum pondus effundam. Agatur aliquid! — „Sapientia bonum est, sapere non est bonum.“ Sic fit, [ut] negemur sapere, ut hoc totum studium derideatur, tamquam operatum supervacuis.

Quid, si scires etiam illud quaeri, *an bonum sit futura sapientia?* Quid enim dubii est, oro te, an nec messem futuram iam sentiant horrea, nec futuram adolescentiam pueritia viribus aut ullo robore intelligat? Aegro interim nihil ventura sanitas prodest; non magis, quam currentem luctantemque post multos sequuturum menses otium reficit. Quis nescit hoc ipso non esse bonum id, quod futurum est, quia futurum est? Nam, quod bonum est, utique prodest: nisi praesentia, prodesse non possunt. Si non prodest, bonum non est; si prodest, iam est. Futurus sum sapiens: hoc bonum erit, quum fuero; interim non est. Prius aliquid esse debet, deinde quale esse. Quomodo, oro te, quod adhuc nihil est, iam bonum est? Quomodo autem tibi magis vis probari, non esse aliquid, quam si dixero, *futurum est?* Nondum enim venisse adparet, quod venit. Ver sequuturum est; scio nunc hiemem esse: aestas sequutura est; scio aestatem non esse. Maximum argumentum habeo nondum praesen-

tis, futurum esse. Sapiam, spero; sed interim non sapio: si illud bonum haberem, iam hoc carerem malo. Futurum est, ut sapiam: ex hoc licet, nondum sapere me, intelligas. Non possum simul et in illo bono, et in hoc malo esse. Duo ista non coëunt, nec apud eumdem sunt una, bonum et malum.

Transcurramus solertissimas nugas, et ad illa, quae nobis aliquam opem sunt latura, properemus. Nemo, qui obstetricem parturienti filiae sollicitus arcessit, edictum et ludorum ordinem perlegit: nemo, qui ad incendium domus suae currit, tabulam latruncularium prospicit, ut sciat, quomodo adligatus exeat calculus. At mehercules omnia tibi undique nuntiantur, et incendium domus, et periculum liberorum, et obsidium patriae, et bonorum direptio: adiice isto naufragia, motusque terrarum, et quidquid aliud timeri potest. Inter ista districtus, rebus, nihil aliud quam animum oblectantibus, vacas? quid inter Sapientiam, et sapere intersit, inquiris? nodos nectis ac solvis, tanta mole inpendente capiti tuo? Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere! Et vide, quam multa etiam diligentissimis pereant: aliud valitudo sua cuique abstulit, aliud suorum; aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt; vitam nobiscum dividit somnus. Ex hoc tempore, tam angusto et rapido, et nos auferente, quid iuvat maiorem partem mittere in vanum? Adiice nunc, quod adsuescit animus delectare se po-

tius, quam sanare; et Philosophiam oblectamentum facere, quum remedium sit. Inter Sapientiam et sapere quid intersit, nescio: scio mea non interesse, sciam ista, an nesciam. Dic mihi: quum, quid inter Sapientiam et sapere intersit, didicero, sapiam? Cur ergo potius inter vocabula me sapientiae detines, quam inter opera? Fac me fortiorem, fac securiorem, fac fortunae parem, fac superiorem! Possum autem superior esse, si [isto] direxero omne quod disco. Vale.

EPISTOLA CXVIII.

Inanes epistolas nolle se scribere: potius monitorum utilium uberes: et iam facit. Suadet sua, non aliena tractare: a Fortuna nihil petere, nec ab ea pendere. Verum bonum quaerendum: et quid illud sit, definitum. Itemque quid ab honesto differat. Omne Bonum, secundum Naturam esse: nec tamen quidquid secundum Naturam, Bonum.

SENECA Lucilio suo Salutem.

Exigis a me frequentiores epistolas. Rationes conferamus! solvendo non eris. Convenerat quidem, ut tua priora essent; tu scriberes, ego rescriberem. Sed non ero difficilis: bene credi tibi scio; itaque in antecessum dabo. Nec faciam, quod CICERO, vir disertissimus, facere *Atticum* iubet, *ut, etiam si rem nullam habebit, quod in buccam venerit, scribat.* Numquam potest deesse quod scribam, ut omnia illa, quae *Ciceronis* implent *Epistolas*, transeam: *quis candidatus laboret; quis alienis, quis suis viribus pugnet; quis consulatum fiducia Caesaris, quis Pompeii, quis arte petat; quam*

durus sit fenerator Caecilius, a quo minoris centesimis propinqui nummum movere non possint. Sua satius est mala, quam aliena, tractare; se excutere, et videre, quam multarum rerum candidatus sit, et non suffragari. Hoc est, mi Lucili, egregium, hoc securum ac liberum; nihil petere, et tota fortunae comitia transire.

Quam putas esse iucundum, tribubus vocatis, quum candidati in templis suis pendeant, et alius nummos pronuntiet, alius per sequestrem agat, alius eorum manus osculis conterat, quibus designatus contingendam manum negaturus est; omnes, attoniti, vocem praeconis exspectant; — stare otiosum, et spectare illas nundinas, nec ementem quidquam, nec vendentem? Quanto hic maiore gaudio fruitur, qui non praetoria aut consularia comitia securus intuetur, sed magna illa, in quibus alii honores anniversarios petunt, alii perpetuas potestates, alii bellorum eventus prosperos triumphosque, alii divitias, alii matrimonia ac liberos, alii salutem suam suorumque! Quanti animi res est, solum nihil petere, nulli supplicare, et dicere: *Nihil mihi tecum, Fortuna! Non facio mei tibi copiam! scio apud te Catones repelli, Vatinios fieri; nihil rogo!* Hoc est privatam facere Fortunam. — Licet ergo haec invicem scribere, et hanc integram semper egerere materiam, circumspicientibus tot millia hominum inquieta; qui, ut aliquid pestiferi consequantur, per mala nituntur in malum, petuntque mox fugienda, aut etiam fastidienda. Cui enim adsequuto satis

fuit, quod optanti nimium videbatur? Non est, ut existimant homines, avida felicitas, sed pusilla: itaque neminem satiat. Tu ista credis excelsa, quia longe ab illis iaces; ei vero, qui ad illa pervenit, humilia sunt. Mentior, nisi adhuc quaerit adscendere: istuc, quod tu summum putas, gradus est. Omnes autem male habet ignorantia veri. Tamquam ad bona feruntur, decepti rumoribus: deinde, mala esse, aut inania, aut minora quam speraverint, adepti ac multa passi, vident; maiorque pars miratur ex intervallo fallentia, et vulgo magna pro bonis sunt.

Hoc ne nobis quoque eveniat, quaeramus, *quid sit Bonum!* Varia eius interpretatio fuit: finivit hoc alius alio modo, alius illud aliter expressit. Quidam ita finiunt: *Bonum est, quod invitat animos, quod ad se vocat.* Huic statim opponitur: Quid? si invitat quidem, sed in perniciem? scis, quam multa mala blanda sint. Verum, et verisimile, inter se differunt. Ita, quod bonum est, vero iungitur; non est enim bonum, nisi verum est: at, quod invitat ad se et adlicefacit, verisimile est: subripit, sollicitat, adtrahit. — Quidam ita finierunt: *Bonum est, quod adpetitionem sui movet; vel, quod impetum animi tendentis ad se movet.* Et huic idem opponitur: multa enim impetum animi movent, quae petuntur petentium malo. — Melius illi, qui sic finierunt: *Bonum est, quod ad se impetum animi secundum naturam movet, et ita demum petendum est.* Quum coepit esse expetendum, iam et honestum est; hoc enim est per-

fecte petendum. Locus ipse me admonet, ut, *quid intersit inter Bonum Honestumque*, dicam. Aliquid inter se habent mixtum et inseparabile: nec potest bonum esse, nisi cui aliquid honesti inest; et honestum utique bonum est. Quid ergo inter duo interest? *Honestum* est perfectum bonum, quo beata vita completur, cuius contactu alia quoque bona fiunt. Quod dico, tale est. Sunt quaedam neque bona, neque mala: tamquam, militia, legatio, iurisdictio. Haec, quum honeste administrata sunt, bona esse incipiunt, et ex dubio in bonum transeunt. *Bonum* societate honesti fit; *honestum* per se bonum est. Bonum ex honesto fluit; honestum ex se est. Quod bonum est, malum esse potuit; quod honestum est, nisi bonum esse non potuit.

Hanc quidam finitionem reddiderunt: *Bonum est, quod secundum naturam est.* Adtende quid dicam: quod bonum est, secundum naturam est; non protinus, quod secundum naturam est, etiam bonum est. Multa quidem naturae consentiunt; sed tam pusilla sunt, ut non conveniat illis boni nomen. Levia enim sunt, et contemnenda; nullum est minimum contemnendum bonum. Nam quamdiu exiguum est, bonum non est; quum bonum esse coepit, non exiguum est. Unde adgnoscitur bonum? si *perfecte secundum naturam* est. — Fateris, inquis, quod bonum est, secundum naturam esse; haec eius proprietas est: fateris, et alia secundum naturam quidem esse, sed bona non esse. Quomodo ergo illud bonum est,

quum haec non sint? quomodo ad aliam proprietatem pervenit, quum utrique praecipuum illud commune sit, secundum naturam esse? — Ipsa scilicet magnitudine. Nec hoc novum est, quaedam crescendo mutari. Infans fuit, factus est pubes; alia eius proprietas fit: ille enim inrationalis est, hic rationalis. Quaedam incremento non tantum in maius exeunt, sed in aliud. — Non fit, inquit, aliud, quod maius fit: utrum lagenam an dolium impleas vino, nihil refert; in utroque proprietas vini est: exiguum mellis pondus, ex magno, sapore non differt. — Diversa ponis exempla: in istis enim eadem qualitas est; quamvis augeantur, manent. Quaedam, amplificata, in suo genere et in sua proprietate perdurant; quaedam, post multa incrementa, ultima demum vertit adiectio; et novam illis, aliamque, quam in qua fuerunt, conditionem inprimit. Unus lapis fecit fornicem, ille, qui latera inclinata cuneavit, et interventu suo vinxit. Summa adiectio quare plurimum facit, vel exigua? Quia non auget, sed implet. Quaedam processu priorem exuunt formam, et in novam transeunt. Ubi aliquid animus diu protulit, et, magnitudinem eius sequendo, lassatus est, *infinitum* coepit vocari; quod longe aliud factum est, quam fuit, quum magnum videretur, sed finitum. Eodem modo aliquid difficulter secari cogitavimus; novissime, crescente difficultate, *insecabile* inventum est. Sic ab eo, quod vix et aegre movebatur, processimus ad *inmobile*. Eadem ratione aliquid *secundum*

naturam fuit; hoc in aliam proprietatem magnitudo sua transtulit, et *bonum* fecit. Vale.

EPISTOLA CXIX.

Divitias a nobis peti posse, et accipi, nil supervacuum petendo. Finem omnium rerum spectandum, qui Naturam non excedit. Satis ea habere, non multum, quaerit. Ostendit deinde divites vulgo, omnes pauperes esse. Pulchra, et (Deus bone!) vera sunt.

SENECA Lucilio suo Salutem.

QUOTIENS aliquid inveni, non exspecto, donec dicas: *in commune!* — ipse mihi dico. Quid sit, quod invenerim, quaeris? sinum laxa, merum lucrum est! Docebo, quomodo fieri dives celerrime possis; quod valde cupis audire, nec inmerito: ad maximas te divitias compendiaria ducam. Opus erit tamen tibi creditore; ut negotiari possis, aes alienum facias oportet: sed nolo per intercessorem mutueris, nolo proxenetae nomen tuum iactent. Paratum tibi creditorem dabo, Catonianum illum: *A te mutuum sumes.* Quantulumcumque est, satis erit, si, quidquid deerit, id a nobis petierimus. Nihil enim, mi Lucili, interest, utrum non desideres, an habeas. Summa rei in utroque est eadem; non torqueberis. Nec illud praecipio, ut aliquid naturae neges; contumax est, non potest vinci, suum poscit: sed, ut quidquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio; edendum est: utrum hic panis sit plebeius, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio; utrum haec aqua sit, quam ex

lacu proximo excepero, an ea, quam multa nive clusero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum iubet, sitim extingui: utrum sit aureum poculum, an crystallinum, an murreum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert. Finem omnium rerum specta; et supervacua dimittes. Fames me adpellat: ad proxima quaeque porrigatur manus; ipsa mihi commendabit, quodcumque comprendero. Nihil contemnit esuriens.

Quid sit ergo, quod me delectaverit, quaeris. — Videtur mihi egregie dictum: *Sapiens divitiarum naturalium est quaesitor acerrimus.* — Inani me, inquis, lance muneras! Quid est istud? Ego iam paraveram fiscos; circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus inmitterem; quod publicum agitarem; quas arcesserem merces. Decipere est istud, docere paupertatem, quum divitias promiseris. — Ita tu pauperem iudicas, cui nihil deest? — Suo, inquis, et patientiae suae beneficio, non fortunae. — Ideo ergo illum non iudicas divitem, quia divitiae eius desinere non possunt? Utrum maius? habere multum, an satis? Qui multum habet, plus cupit; quod est argumentum, nondum illum satis habere: qui satis habet, consequutus est, quod numquam divitiis contigit, finem. An has ideo non putas esse divitias, quia propter illas nemo proscriptus est? quia propter illas nulli venenum filius, nulli uxor inpegit? quia in bello tutae sunt? quia in pace otiosae? quia nec habere illas periculosum est, nec ope-

rosum disponere? An parum habet, qui tantum non alget, non esurit, non sitit? Plus Iupiter non habet. Numquam parum est, quod satis est: et numquam multum est, quod satis non est. Post Darium et Indos pauper est Alexander Macedo: mentior; quaerit, quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in oceanum classes mittit novas, et ipsa, ut ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturae satis est, homini non est! Inventus est, qui concupisceret aliquid post omnia: tanta est caecitas mentium, et tanta initiorum suorum unicuique, quum processit, oblivio. Ille, modo ignobilis anguli non sine controversia dominus, tacto fine terrarum per suum rediturus orbem, tristis est.

Neminem pecunia divitem fecit: immo contra, nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. Quaeris, quae sit huius rei causa? Plus incipit habere posse, qui plus habet. Ad summam, quem voles mihi ex his, quorum nomina cum Crasso Licinioque numerantur, in medium licet protrahas; adferat censum, et, quidquid habet, et quidquid sperat, simul conputet: iste, si mihi credis, pauper est; si tibi, potest esse. At hic, qui se ad id, quod natura exigit, composuit, non tantum extra sensum est paupertatis, sed extra metum. Sed, ut scias, quam difficile sit, res suas ad naturalem modum coartare; hic ipse, quem circa naturam dicimus, quem tu vocas pauperem, habet aliquid et supervacui. At excaecant populum, et in se convertunt opes, si numerati multum ex aliqua

domo effertur, si multum auri tecto quoque eius inlinitur, si familia aut corporibus electa, aut spectabilis cultu est! Omnium istorum felicitas in publicum spectat: ille, quem nos et populo et fortunae subduximus, beatus introrsum est. Nam, quod ad illos pertinet, apud quos falso divitiarum nomen invasit occupata paupertas; sic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem, quum illa nos habeat. E contrario dicere solemus, *febris illum tenet:* eodem modo dicendum est, *divitiae illum tenent.*

Nihil ergo monuisse te malim, quam hoc, quod nemo monetur satis: ut omnia naturalibus desideriis metiaris, quibus aut gratis satisfiat, aut parvo. Tantum miscere vitia desideriis noli. Quaeris, quali mensa, quali argento, quam paribus ministeriis et laevibus, adferatur cibus? Nihil, praeter cibum, natura desiderat!

Num tibi, quum fauces urit sitis, aurea quaeris
pocula? num, esuriens, fastidis omnia, praeter
pavonem rhombumque? —

Ambitiosa non est fames; contenta desinere est: quo desinat, non nimis curat. Infelicis luxuriae ista tormenta sunt: quaerit, quemadmodum post saturitatem quoque esuriat; quemadmodum non impleat ventrem, sed farciat; quemadmodum sitim, prima potione sedatam, revocet. Egregie itaque HORATIUS negat ad sitim pertinere, quo poculo aqua, aut quam eleganti manu ministretur. Nam si pertinere ad te iudicas, quam crinitus puer, et quam perlucidum tibi poculum por-

rigat, non sitis. Inter reliqua, hoc nobis praestitit natura praecipuum, quod necessitati fastidium excussit. Recipiunt supervacua dilectum. — Hoc parum decens; illud parum laudatum; oculos hoc meos laedit! — Id actum est ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi iura descripsit, ut salvi essemus, non ut delicati. Ad salutem omnia parata sunt, et in promtu: deliciis omnia misere ac sollicite comparantur. Utamur ergo hoc naturae beneficio, inter magna numerando; et cogitemus, nullo nomine melius illam meruisse de nobis, quam quia, quidquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur. Vale.

EPISTOLA CXX.

Boni notitia quomodo ad nos venerit? observatione, et collatione: natura etiam ducente. Venit et ex contrario: id est, vitii detestatione. Describit Sapientem, et vulgo petenda aut timenda calcantem, etiam ipsam mortem; denique unum semper, et sibi constantem.

SENECA Lucilio suo Salutem.

EPISTOLA tua per plures quaestiunculas vagata est, sed in una constitit, et hanc expediri desiderat: *Quomodo ad nos Boni Honestique notitia pervenerit?* — Haec duo apud alios diversa sunt, apud nos tantum divisa. Quid sit hoc, dicam. *Bonum* putant esse aliqui, quod utile est: itaque hoc et divitiis, et equo, et vino, et calceo nomen imponunt; tanta fit apud illos boni vilitas, et adeo in sordida usque descendit. *Honestum* putant, cui ratio recti officii constat; tamquam, pie cu-

ratam patris senectutem, adiutam amici paupertatem, fortem expeditionem, prudentem moderatamque sententiam. Ista duo quidem facimus, sed ex uno. Nihil est *Bonum*, nisi quod honestum est; quod *Honestum* est, utique bonum. Supervacuum iudico adiicere, quid inter ista discriminis sit, quum saepe dixerim. Hoc unum dicam, nihil nobis *bonum* videri, quo quis et male uti potest: vides autem, divitiis, nobilitate, viribus, quam multi male utantur.

Nunc ergo ad id revertor, de quo desideras dici: *Quomodo ad nos prima Boni Honestique notitia pervenerit.* Hoc nos natura docere non potuit: semina nobis scientiae dedit, scientiam non dedit. Quidam aiunt, nos in notitiam incidisse; quod est incredibile, virtutis alicui speciem casu occurrisse: nobis videtur observatio collegisse, et rerum saepe factarum inter se conlatio: per *analogian* nostri intellectum et honestum et bonum iudicant. Hoc verbum quum latini Grammatici civitate donaverint, ego damnandum non puto, nec in civitatem suam redigendum: utar ergo illo, non tantum tamquam recepto, sed tamquam usitato. Quae sit haec *analogia*, dicam. Noveramus corporis sanitatem; ex hac cogitavimus, esse aliquam et animi. Noveramus corporis vires; ex his collegimus, esse et animi robur. Aliqua benigna facta, aliqua humana, aliqua fortia, nos obstupefecerant; haec coepimus tamquam perfecta mirari. Suberant illis multa vitia, quae species conspicui alicuius facti fulgorque celabat; haec

dissimulavimus. Natura iubet augere laudanda; nemo non gloriam ultra verum tulit: ex his ergo speciem ingentis boni traximus. Fabricius Pyrrhi regis aurum repulit; maiusque regno iudicavit, regias opes posse contemnere. Idem, medico Pyrrhi promittente venenum se regi daturum, monuit Pyrrhum, caveret insidias. Eiusdem animi fuit, auro non vinci, veneno non vincere. Admirati sumus ingentem virum, quem non regis, non contra regem promissa flexissent, boni exempli tenacem; quod difficillimum est, in bello innocentem; qui aliquod esse crederet etiam in hostes nefas; qui in summa paupertate, quam sibi decus fecerat, non aliter refugit divitias, quam venenum. *Vive*, inquit, *beneficio meo, Pyrrhe; et gaude, quod adhuc dolebas, Fabricium non posse corrumpi.* Horatius Cocles solus implevit pontis angustias; adimique a tergo sibi reditum, dummodo iter hosti auferretur, iussit; et tam diu restitit prementibus, donec revulsa ingenti ruina tigna sonuerunt. Postquam respexit, et extra periculum esse patriam periculo suo sensit: *Veniat, si quis vult*, inquit, *sic euntem sequi!* deditque se in praeceps; et non minus sollicitus in illo rapido alveo fluminis, ut armatus, quam ut salvus exiret, retento armorum victricium decore, tam tutus rediit, quam si ponte venisset. Haec et huiusmodi facta imaginem nobis ostendere Virtutis.

Adiiciam, quod mirum fortasse videatur: mala interdum speciem honesti obtulerunt, et optimum ex contrario nituit. Sunt enim, ut scis, Vir-

tutibus vitia confinia, et perditis quoque ac turpibus recti similitudo est. Sic mentitur prodigus liberalem; quum plurimum intersit, utrum quis dare sciat, an servare nesciat. Multi, inquam, sunt, Lucili, qui non donant, sed proiiciunt; non voco ego liberalem, pecuniae suae iratum. Imitatur negligentia facilitatem, temeritas fortitudinem. Haec nos similitudo coëgit adtendere, et distinguere specie quidem vicina, re autem plurimum inter se dissidentia. Dum observamus eos, quos insignes egregium opus fecerat, coepimus adnotare, quis rem aliquam generoso animo fecisset et magno impetu. Sed semel hunc vidimus in bello fortem, in foro timidum; animose paupertatem ferentem, humiliter infamiam: factum laudavimus, contemsimus virum. Alium vidimus adversus amicos benignum, adversus inimicos temperatum, et publica et privata sancte ac religiose administrantem; non deesse ei in his, quae toleranda erant, patientiam, in his, quae agenda, prudentiam: vidimus, ubi tribuendum esset, plena manu dantem; ubi laborandum, pertinacem et obnoxium, et lassitudinem corporis animo sublevantem. Praeterea idem erat semper, et in omni actu par sibi; iam non consilio bonus, sed more eo perductus, ut non tantum recte facere posset, sed, nisi recte, facere non posset. Intelleximus in illo perfectam esse Virtutem. Hanc in partes divisimus: oportebat cupiditates refrenari, metus conprimi, facienda provideri, reddenda distribui: conprehendimus tem-

perantiam, fortitudinem, prudentiam, iustitiam; et suum cuique dedimus officium.

Ex quo ergo Virtutem intelleximus? Ostendit illam nobis ordo eius, et decor, et constantia, et omnium inter se actionum concordia, et magnitudo super omnia efferens sese. Hinc intellecta est illa beata vita, secundo defluens cursu, arbitrii sui tota. Quomodo ergo hoc ipsum nobis adparuit? Dicam. Numquam vir ille perfectus adeptusque virtutem, fortunae maledixit; numquam accidentia tristis excepit; civem esse se universi et militem credens, labores, velut imperatos, subiit. Quidquid inciderat, non tamquam malum aspernatus est, et in se casu delatum, sed quasi delegatum sibi. Hoc qualecumque est, inquit, meum est: asperum est, durum est; in hoc ipso navemus operam. Necessario itaque magnus adparuit, qui numquam malis ingemuit, numquam de fato suo questus est: fecit multis intellectum sui; et non aliter, quam in tenebris lumen, effulsit; advertitque in se omnium animos, quum esset placidus et lenis, humanis divinisque rebus pariter aequus. Habebat perfectum animum, ad summam sui adductus, supra quam nihil est, nisi mens Dei, ex qua pars et in hoc pectus mortale defluxit; quod numquam magis divinum est, quam ubi mortalitatem suam cogitat, et scit, in hoc natum hominem, ut vita defungeretur; nec domum esse hoc corpus, sed hospitium, et quidem breve hospitium, quod relinquendum est, ubi te gravem esse hospiti videas.

Maximum, inquam, mi Lucili, argumentum est animi ab altiore sede venientis, si haec, in quibus versatur, humilia iudicat et angusta; si exire non metuit. Scit enim, quo exiturus sit, qui, unde venerit, meminit. Non videmus, quam multa nos incommoda exagitent, quam male nobis conveniat hoc corpus? Nunc de capite, nunc de ventre, nunc de pectore ac faucibus querimur; alias nervi nos, alias pedes vexant; nunc deiectio, nunc distillatio; aliquando superest sanguis, aliquando deest; hinc atque illinc tentamur, et expellimur. Hoc evenire solet in alieno habitantibus. At nos, corpus tam putre sortiti, nihilo minus aeterna proponimus; et, in quantum potest aetas humana protendi, tantum spe occupamus; nulla contenti pecunia, nulla potentia. Quid hac re fieri inpudentius, quid stultius potest? Nihil satis est morituris, immo morientibus: quotidie enim propius ab ultimo stamus, et illo, unde nobis cadendum est, hora nos omnis inpellit. Vide, in quanta caecitate mens nostra sit! Hoc, quod futurum dico, quum maxime fit; et pars eius magna iam facta est: nam, quod viximus, tempus eo loco est, quo erat, antequam viximus. Erramus autem, qui ultimum timemus diem, quum tantumdem in mortem singuli conferant. Non ille gradus lassitudinem facit, in quo defecimus, sed ille profitetur. Ad mortem dies extremus pervenit, accedit omnis. Carpit nos illa, non corripit.

Ideo magnus animus, conscius sibi melioris

naturae, dat quidem operam, ut in hac statione, qua positus est, honeste se atque industrie gerat: ceterum nihil horum, quae circa sunt, suum iudicat, sed ut commodatis utitur, peregrinus et properans. Quum aliquem huius videremus constantiae, quidni subiret nos species non usitatae indolis; utique, si hanc, ut dixi, magnitudinem veram esse ostendebat aequalitas? Veri tenor permanet, falsa non durant. Quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt: et modo parum illis severus est Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi et contentus vilibus Tubero; modo Licinium divitiis, Apicium coenis, Maecenatem deliciis provocant. Maximum indicium est malae mentis, fluctuatio, et inter simulationem virtutum, amoremque vitiorum, adsidua iactatio.

— — Habebat saepe ducentos,
saepe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
omnia magna, loquens: modo „Sit mihi mensa tripes, et
concha salis puri, toga quae defendere frigus,
quamvis crassa, queat!" — Decies centena dedisses
huic parco, paucis contento; quinque diebus
nil erat in loculis. —

Omnes isti tales sunt, qualem hunc describit Horatius Flaccus, numquam eumdem, ne similem quidem sibi; adeo in diversum aberrat. Multos dixi; prope est ut omnes sint. Nemo non quotidie et consilium mutat, et votum: modo uxorem vult habere, modo amicam: modo regnare

vult; modo id agit, ne quis sit officiosior servus: modo dilatat se usque ad invidiam; modo subsidit, et contrahitur infra humilitatem vere iacentium: nunc pecuniam spargit, nunc rapit. Sic maxime coarguitur animus inprudens; alius prodit atque alius, et, quo turpius nihil iudico, inpar sibi est. Magnam rem puta, unum hominem agere. Praeter Sapientem autem nemo unum agit; ceteri multiformes sumus. Modo frugi tibi videbimur et graves, modo prodigi et vani. Mutamus subinde personam, et contrariam ei sumimus, quam exuimus. — Hoc ergo a te exige, ut, qualem institueris praestare te, talem usque ad exitum serves. Effice ut possis laudari; si minus, ut adgnosci. De aliquo, quem here vidisti, merito dici potest: Hic qui est? Tanta mutatio est. Vale.

EPISTOLA CXXI.

Aliquid pro argutiis praetendit: tum proponit, An omnibus animalibus constitutionis suae sensus? id est, sponte et natura eant quo debent et sunt facta. Dicit esse, et exemplis rationibusque varie docet.

SENECA Lucilio suo Salutem.

LITIGABIS, ego video, quum tibi hodiernam quaestiunculam, in qua satis diu haesimus, exposuero: iterum enim clamabis, *Hoc quid ad mores?* Sed exclama; dum tibi primum alios opponam, cum quibus litiges, POSIDONIUM et ARCHIDEMUM; (hi iudicium accipient;) deinde dicam, Non quidquid morale est, bonos mores facit. Aliud ad hominem alendum pertinet, aliud ad exer-

cendum, aliud ad vestiendum, aliud ad docendum, aliud ad delectandum. Omnia tamen ad hominem pertinent, etiam si non omnia meliorem eum faciunt. Mores alia aliter adtingunt. Quaedam illos corrigunt et ordinant; quaedam naturam eorum et originem scrutantur. Quum quaero, quare hominem natura produxerit, quare praetulerit animalibus ceteris, longe me iudicas mores reliquisse? Falsum est! Quomodo enim scies, qui habendi sint, nisi, quid homini sit optimum, inveneris? nisi naturam eius inspexeris? Tunc demum intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum sit, quum didiceris, quid naturae tuae debeas. — Ego, inquis, volo discere, quomodo minus cupiam, minus timeam: superstitionem mihi excute; doce, leve esse vanumque hoc, quod felicitas dicitur; unam illi syllabam facillime accedere! — Desiderio tuo satisfaciam, et virtutes exhortabor, et vitia converberabo: licet aliquis nimium inmoderatumque in hac parte me iudicet, non desistam persequi nequitiam, et adfectus efferatissimos inhibere, et voluptates ituras in dolorem compescere, et votis obstrepere. Quidni? quum maxima malorum optaverimus, et ex gratulatione natum sit quidquid obloquimur. Interim permitte mihi, ea, quae paulo videntur remotiora, excutere.

Quaerebamus, *An esset omnibus animalibus constitutionis suae sensus?* Sensum autem esse, ex eo maxime adparet, quod membra apte et expedite movent, non aliter, quam in hoc erudita. Nulli

non partium suarum agilitas est. Artifex instrumenta sua tractat ex facili; rector navis scit gubernaculum flectere; pictor colores, quos ad reddendam similitudinem multos variosque ante se posuit, celerrime denotat, et inter ceram opusque facili vultu ac manu commeat. Sic animal in omnem usum sui mobile. Mirari solemus saltandi peritos, quod in omnem significationem rerum et adfectuum parata illorum est manus, et verborum velocitatem gestus adsequitur. Quod illis ars praestat, his natura. Nemo aegre molitur artus suos, nemo in usu sui haesit; ad hoc edita protinus faciunt; cum hac scientia prodeunt, instituta nascuntur. — Ideo, inquit, partes suas animalia apte movent, quia, si aliter moverint, dolorem sensura sunt. — Ita, ut vos dicitis, coguntur; metusque illa in rectum, non voluntas, movet: quod est falsum. Tarda enim sunt, quae necessitate inpelluntur: agilitas sponte motis est. Adeo autem non adigit illa ad hoc doloris timor, ut in naturalem motum, etiam prohibente dolore, nitantur. Sic infans, qui stare meditatur et ferre se adsuescit, simul tentare vires suas coepit, cadit; et cum fletu totiens resurgit, donec se per dolorem ad id, quod natura poscit, exercuit. Animalia quaedam tergi durioris, inversa, tamdiu se torquent, ac pedes exserunt et obliquant, donec ad locum reponantur. Nullum tormentum sentit supinata testudo: inquieta est tamen desiderio naturalis status; nec ante desinit niti, quatere se, quam in pedes constitit. Ergo omnibus

constitutionis suae sensus est, et inde membrorum tam expedita tractatio: nec ullum maius indicium habemus, cum hac illa ad vivendum venire notitia, quam quod nullum animal ad usum sui rude est.

Constitutio, inquit, *est*, ut vos dicitis, *principale animi, quodam modo se habens erga corpus.* Hoc tam perplexum et subtile, et vobis quoque vix enarrabile, quomodo infans intelligit? Omnia animalia dialectica nasci oporteret, ut istam finitionem, magnae parti hominum togatorum obscuram, intelligant. — Verum erat, quod opponis, si ego ab animalibus constitutionis finitionem intelligi dicerem, non ipsam constitutionem. Facilius natura intelligitur, quam enarratur. Itaque infans ille, quid sit constitutio, non novit; constitutionem suam novit: et, quid sit animal, nescit; animal esse se, sentit. Praeterea ipsam constitutionem suam crasse intelligit, et summatim, et obscure. Nos quoque, animum habere nos, scimus; quid sit animus, ubi sit, qualis sit, et unde, nescimus. Qualis ad nos pervenit animi nostri sensus, quamvis naturam eius ignoremus ac sedem; talis ad omnia animalia constitutionis suae sensus. Necesse est enim id sentiant, per quod alia quoque sentiunt: necesse est eius sensum habeant, cui parent, a quo reguntur. Nemo non ex nobis intelligit, esse aliquid, quod impetus suos moveat; quid sit illud, ignorat: et conatum sibi esse scit; quid sit, aut unde sit, nescit. Sic infantibus quoque, animalibusque, princi-

palis partis suae sensus est, non satis dilucidus, nec expressus.

Dicitis, inquit, *omne animal primum constitutioni suae conciliari; hominis autem constitutionem rationalem esse, et ideo conciliari hominem sibi, non tamquam animali, sed tamquam rationali: ea enim parte sibi carus est homo, qua homo est.* Quomodo ergo infans conciliari constitutioni rationali potest, quum rationalis nondum sit? — Unicuique aetati sua constitutio est; alia infanti, alia puero, alia seni. Omnes ei constitutioni conciliantur, in qua sunt. Infans sine dentibus est; huic constitutioni suae conciliatur: enati sunt dentes; huic constitutioni conciliatur. Nam et illa herba, quae in segetem frugemque ventura est, aliam constitutionem habet, tenera, et vix eminens sulco; aliam, quum convaluit, et, molli quidem culmo, sed qui ferat onus suum, constitit; aliam, quum flavescit, et ad aream spectat, et spica eius induruit: in quamcumque constitutionem venit, eam tuetur, in eam componitur. Alia est aetas infantis, pueri, adolescentis, senis; ego tamen idem sum, qui et infans fui, et puer, et adolescens. Sic, quamvis alia atque alia cuique constitutio sit, conciliatio constitutionis suae eadem est. Non enim puerum mihi, aut iuvenem, aut senem, sed me, natura commendat. Ergo infans ei constitutioni suae conciliatur, quae tunc infanti est, non quae futura iuveni est. Neque enim, si aliquid illi maius, in quod transeat, restat; non hoc quoque, in quo nascitur, secundum naturam est.

Primum sibi ipsi conciliatur animal; debet enim aliquid esse, ad quod alia referantur. Voluptatem peto: cui? mihi! ergo mei curam ago. Dolorem refugio: pro quo? pro me! ergo mei curam ago. Si omnia propter curam mei facio, ante omnia est mei cura. Haec animalibus inest cunctis; nec inseritur, sed innascitur. Producit fetus suos natura, non abiicit; et, quia tutela certissima ex proximo est, sibi quisque commissus est. Itaque, ut prioribus epistolis dixi, tenera quoque animalia, ex materno utero, vel quoquo modo, effusa, quid sit infestum ipsis protinus norunt, et mortifera devitant; umbram quoque transvolantium reformidant obnoxia avibus rapto viventibus. Nullum animal ad vitam prodit sine metu mortis.

Quemadmodum, inquit, editum animal intellectum habere, aut salutaris aut mortiferae rei, potest? — Primum quaeritur, an intelligat, non quemadmodum intelligat. Esse autem illis intellectum, ex eo adparet, quod nihil amplius, si intellexerint, facient. Quid est, quare pavonem, quare anserem gallina non refugiat, quum tanto minorem, et ne notum quidem sibi, accipitrem? quare pulli felem timeant, canem non timeant? Adparet, illis inesse nocituri scientiam, non experimento collectam: nam, antequam possint experiri, cavent. Deinde, ne hoc casu existimes fieri, nec metuunt alia quam debent, nec umquam obliviscuntur huius tutelae et diligentiae: aequalis est illis a pernicioso fuga. Praeterea, non fiunt timidiora vivendo. Ex quo quidem adparet, non

usu illa in hoc pervenire, sed naturali amore salutis suae. Et tardum est, et varium, quod usus docet: quidquid natura tradit, et aequale omnibus est, et statim. Si tamen exigis, dicam, quomodo omne animal perniciosa intelligere conetur. Sentit se carne constare: itaque quum sentit, quid sit, quo secari caro, quo uri, quo obteri possit, quae sint animalia armata ad nocendum; horum speciem trahit inimicam et hostilem. Inter se ista coniuncta sunt: simul enim conciliatur saluti suae quodque, et, quae iuvant, illa petit; laesura formidat. Naturales ad utilia impetus, naturales a contrariis aspernationes sunt: sine ulla cogitatione, quae hoc dictet, sine consilio fit, quidquid natura praecepit. Non vides, quanta sit subtilitas apibus ad fingenda domicilia? quanta dividui laboris obeundi concordia? Non vides, quam nulli mortalium imitabilis illa aranei textura? quanti operis sit, fila disponere, alia in rectum inmissa firmamenti loco, alia in orbem currentia ex denso rara? quam minora animalia, in quorum perniciem illa tenduntur, velut retibus implicata teneantur? Nascitur ars ista, non discitur. Itaque nullum est animal altero doctius. Videbis araneorum pares telas, par in favis angulorum omnium foramen. Incertum est et inaequale, quidquid ars tradit; ex aequo venit, quod natura distribuit. Haec nihil magis, quam tutelam sui et eius peritiam, tradidit; ideoque etiam simul incipiunt et discere et vivere: nec est mirum, cum eo nasci illa, sine quo frustra nasceren-

tur. Primum hoc instrumentum illis natura contulit ad permanendum in conciliatione et caritate sui. Non poterant salva esse, nisi vellent: nec hoc per se profuturum erat; sed sine hoc nulla res profuisset. Sed in nullo deprehendes vilitatem sui, ne negligentiam quidem. Tacitis quoque et brutis, quamvis in cetera torpeant, ad vivendum solertia est. Videbis, quae aliis inutilia sunt, sibi ipsa non deesse. Vale.

EPISTOLA CXXII.

Ingenium luxuriae, adversa moribus facere. Aliter coenare, bibere, dormire, surgere: et tales aliquot antipodas facete describit.

SENECA Lucilio suo Salutem.

DETRIMENTUM iam dies sensit: resiluit aliquantulum; ita tamen, ut liberale adhuc spatium sit, si quis cum ipso, ut ita dicam, die surgat, officiosior meliorque, quam si quis illum exspectet, ut luce prima exeat. Turpis, qui alto sole semisomnus iacet, cuius vigilia medio die incipit: et adhuc multis hoc antelucanum est. Sunt, qui officia lucis noctisque perverterint, nec ante diducant oculos hesterna graves crapula, quam adpetere nox coepit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura, ut ait VIRGILIUS, sedibus nostris subditos e contrario posuit,

Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis.
illis sera rubens accendit lumina Vesper:

talis horum contraria omnibus, non regio, sed vita est. Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui, ut M. CATO ait, *nec orientem umquam solem*

viderunt, nec occidentem. Hos tu existimas scire, quemadmodum vivendum sit, qui nesciunt quando? Et hi mortem timent, in quam se vivi condiderunt; tam infausti, quam nocturnae aves sunt! Licet in vino unguentoque tenebras suas exigant; licet epulis, et quidem in multa fericula discretis, [*al.* discoctis, *al.* distortis,] totum perversae vigiliae tempus educant; non convivantur, sed iusta sibi faciunt. Mortuis certe interdiu parentatur. At, mehercules, nullus agenti dies longus est. Extendamus vitam! huius et officium, et argumentum, actus est: circumscribatur nox, et aliquid ex illa in diem transferatur! Aves, quae conviviis comparantur, ut inmotae facile pinguescant, in obscuro continentur; ita sine ulla exercitatione iacentibus tumor pigrum corpus invadit, et sub ipsa umbra iners sagina subcrescit. Ita istorum corpora, qui se tenebris dicaverunt, foeda visuntur. Quippe suspectior illis, quam morbo pallentibus, color est: languidi et evanidi albent, et in vivis caro morticina est. Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim. Quanto plus tenebrarum in animo est? ille in se stupet, ille caligat, invidet caecis. Quis umquam oculos tenebrarum causa habuit?

Interrogas, quomodo haec animo pravitas fiat, aversandi diem, et totam vitam in noctem transferendi? — Omnia vitia contra naturam pugnant; omnia debitum ordinem deserunt: hoc est luxuriae propositum, gaudere perversis; nec tantum discedere a recto, sed quam longissime abire, de-

inde etiam e contrario stare. Isti non videntur tibi contra naturam vivere, qui ieiuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, et ad cibum ebrii transeunt? Atqui frequens hoc adolescentium vitium est, qui vires excolunt, ut, in ipso paene balnei limine, inter nudos bibant, immo potent; ut sudorem, quem moverunt potionibus crebris ac ferventibus, subinde distringant. Post prandium aut coenam bibere, vulgare est; hoc patresfamiliae rustici faciunt, et verae voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad nervos; illa ebrietas iuvat, quae in vacuum venit. Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem? Non vivunt contra naturam, qui spectant, ut pueritia splendeat tempore alieno? Quid fieri crudelius aut miserius potest? numquam vir erit, ut diu virum pati possit? et, quum illum contumeliae sexus eripuisse debuerat, ne aetas quidem eripiet? Non vivunt contra naturam, qui hieme concupiscunt rosam? fomentoque aquarum calentium, et calorum apta imitatione, bruma lilium, florem vernum, exprimunt? Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt? quorum silvae in tectis domorum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo inprobe cacumina egissent? Non vivunt contra naturam, qui fundamenta thermarum in mari iaciunt, nec delicate natare ipsi sibi videntur, nisi calentia stagna fluctu ac tempestate feriantur? Quum instituerunt omnia contra naturae consuetudinem vel-

le, novissime in totum ab illa desciscunt. Lucet; somni tempus est! Quies est; nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus! Iam lux propius accedit; tempus est coenae! Non oportet id facere, quod populus; res sordida est, trita ac vulgari via vivere. Dies publicus relinquatur; proprius nobis, ac peculiare mane, fiat.

Isti vero mihi defunctorum loco sunt: quantulum enim a funere absunt, et quidem acerbo, qui ad faces et cereos vivunt? Hanc vitam agere eodem tempore multos meminimus, inter quos et Atilium Butam, praetorium; cui post patrimonium ingens consumtum, Tiberius, paupertatem confitenti, *Sero*, inquit, *experrectus es!* Recitabat MONTANUS IULIUS carmen, tolerabilis poëta, et amicitia Tiberii notus, et frigore. *Ortus* et *occasus* libentissime inserebat: itaque, quum indignaretur quidam, illum toto die recitasse, et negaret accedendum ad recitationes eius, Natta Pinarius ait: *Numquam possum liberalius agere: paratus sum illum audire ab ortu ad occasum.* Quum hos versus recitasset:

Incipit ardentes Phoebus producere flammas.
spargere se rubicunda Dies. iam tristis hirundo
argutis reditura cibos inmittere nidis
incipit. et molli partitos ore ministrat:

Varus, eques Romanus, M. Vinicii comes, coenarum bonarum adsectator, quas inprobitate linguae merebatur, exclamavit: *Incipit Buta dormire!* Deinde, quum subinde recitasset;

Iam sua pastores stabulis armenta locarunt.

iam dare sopitis Nox nigra silentia terris
incipit: —

idem Varus inquit: *Quid dicit? iam nox est? ibo et Butam salutabo!* Nihil erat notius hac eius vita in contrarium circumacta; quam, ut dixi, multi eodem tempore egerunt.

Causa autem est ita vivendi quibusdam, non quia aliquid existiment noctem ipsam habere iucundius, sed quia nihil iuvat obvium; et gravis malae conscientiae lux est; et omnia concupiscenti aut contemnenti, prout magno aut parvo emta sunt, fastidio est lumen gratuitum. Praeterea luxuriosi vitam suam esse in sermonibus, dum vivunt, volunt: nam, si tacetur, perdere se putant operam. Itaque male habent, quotiens faciunt quod excidat fama. Multi bona comedunt, multi amicas habent: ut inter istos nomen invenias, opus est non tantum luxuriosam rem, sed notabilem, facere. In tam occupata civitate, fabulas vulgaris nequitia non invenit. Pedonem Albinovanum narrantem audieramus, (erat autem fabulator elegantissimus,) habitasse se supra domum Sp. Papinii: is erat ex hac turba lucifugarum. „Audio, inquit, circa horam tertiam noctis, flagellorum sonos; quaero, quid faciat? dicitur *rationes accipere*. Audio, circa horam sextam noctis, clamorem concitatum; quaero, quid sit? dicitur *vocem exercere*. Quaero circa octavam horam noctis, quid sibi ille sonus rotarum vellet? *gestari* dicitur. Circa lucem discurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur. Quae-

ro quid sit? dicitur *mulsum et alicam poposcisse. a balneo exisse.* Excedebat, inquit, coena eius diem? Minime! valde enim frugaliter vivebat; nihil consumebat, nisi noctem.“ Itaque, crebro dicentibus illum quibusdam avarum et sordidum: „Vos, inquit, illum et *lychnobium* dicetis!“

Non debes admirari, si tantas invenis vitiorum proprietates: varia sunt, innumerabiles habent facies; comprendi eorum genera non possunt. Simplex recti cura est, multiplex pravi; et quantumvis novas declinationes capit. Idem moribus evenit: naturam sequentium faciles sunt, soluti sunt, exiguas differentias habent; hi distorti plurimum cum omnibus, et inter se, dissident. Causa tamen praecipua mihi videtur huius morbi, vitae communis fastidium. Quomodo cultu se a ceteris distinguunt, quomodo elegantia coenarum, munditiis vehiculorum; sic volunt separare etiam temporum dispositione. Nolunt solita peccare, quibus peccandi praemium infamia est. Hanc petunt omnes isti, qui, ut ita dicam, retro vivunt. Ideo, Lucili, tenenda nobis via est, quam natura praescripsit, nec ab illa declinandum. Illam sequentibus, omnia facilia et expedita sunt; contra illam nitentibus, non alia vita est, quam contra aquam remigantibus. Vale.

EPISTOLA CXXIII.

Tenuem aut vilem victum, decreto animi, et fame, bonum optandumque fieri. Hoc usurpandum etiam divitibus; quis scit an non opus habituris? Consuetudo, et alieni mores, ne abducant. Sperne et iudicia aut voces alienas,

SENECA Lucilio suo Salutem.

ITINERE confectus, incommodo magis quam longo, in Albanum meum multa nocte perveni. Nihil habeo paratum, nisi me. Itaque in lectulo lassitudinem pono; hanc coqui ac pistoris moram boni consulo. Mecum enim de hoc ipso loquor, quam nihil sit grave, quod leviter excipias; quam indignandum nihil, nisi quod ipse indignando adstruas. Non habet panem meus pistor: sed habet villicus, sed habet atriensis, sed habet colonus. — Malum panem, inquis. — Exspecta; bonus fiet! etiam illum tenerum tibi et siligineum fames reddet. Ideo non est ante edendum, quam illa imperet. Exspectabo ergo; nec ante edam, quam aut bonum panem habere coepero, aut malum fastidire desiero. Necessarium est, parvo adsuescere. Multae difficultates locorum, multae temporum, etiam locupletibus et instructis [a nobis optatum prohibentes] occurrent. Quidquid vult, habere nemo potest: illud potest, nolle, quod non habet; rebus oblatis hilaris uti. Magna pars libertatis est bene moratus venter et contumeliae patiens. Aestimari non potest, quantam voluptatem capiam ex eo, quod lassitudo mea sibi ipsa adsuescit. Non unctiones, non balneum, non ullum aliud remedium, quam temporis, quaero. Nam, quod labor contraxit, quies tollit. . . . .

Haec qualiscumque coena aditiali iucundior erit. Aliquod enim experimentum animi sumsi subito: hoc enim est simplicius et verius. Nam

ubi se praeparavit, et indixit sibi patientiam; non aeque adparet, quantum habeat verae firmitatis: illa sunt certissima argumenta, quae ex tempore dedit; si non tantum aequus molesta, sed placidus, adspexit; si non excanduit, non litigavit; si, quod dari deberet, ipse sibi, non desiderando, supplevit; et cogitavit, aliquid consuetudini suae, sibi nihil deesse. Multa, quam supervacua essent, non intelleximus, nisi quum deesse coeperunt. Utebamur enim illis, non quia debebamus, sed quia habebamus. Quam multa autem paramus, quia alii paraverunt, quia apud plerosque sunt! Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla; nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod, si pauci facerent, nollemus imitari, quum plures facere coeperunt, (quasi honestius sit, quia frequentius,) sequimur; et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Omnes iam sic peregrinantur, ut illos Numidarum praecurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat: turpe est, nullos esse, qui occurrentes via deiiciant, ut qui, honestum hominem venire, magno pulvere ostendant. Omnes iam mulos habent, qui crystallina et murrina, et caelata magnorum artificum manu, portent: turpe est, videri eas te habere sarcinas totas, quae tuto concuti possint. Omnium paedagogia oblita facie vehuntur, ne sol, neve frigus, teneram cutem laedat; turpe est, neminem esse in comitatu puerorum, cuius sana facies medicamentum desideret.

Horum omnium sermo vitandus est: hi sunt, qui vitia tradunt, et alio aliunde transferunt. Pessimum genus horum hominum videbatur, qui verba gestarent: sunt quidam, qui vitia gestant. Horum sermo multum nocet: nam, etiam si non statim officit, semina in animo relinquit; sequiturque nos, etiam quum ab illis discessimus, resurrecturum postea malum. Quemadmodum, qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantuum, quae cogitationes inpedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum et prava laudantium sermo diutius haeret, quam auditur; nec facile est, animo dulcem sonum excutere: prosequitur, et durat, et ex intervallo recurrit. Ideo cludendae sunt aures malis vocibus, et quidem primis: nam, quum initium fecerunt admissaeque sunt, plus audent. Inde ad haec pervenitur verba: „Virtus, et philosophia, et iustitia, verborum inanium crepitus est: una felicitas est, bene vitae facere, esse, bibere, libere frui patrimonio: hoc est vivere; hoc est, se mortalem esse meminisse. Fluunt dies, et inreparabilis vita decurrit: dubitamus? Quid iuvat sapere; et aetati, non semper voluptates recepturae, interim, dum potest, dum poscit, ingerere frugalitatem? ultro mortem praecurrere, et, quidquid illa ablatura est, iam sibi interdicere? Non amicam habes, non puerum, qui amicae moveat invidiam; quotidie sobrius prodis; sic coenas, tamquam ephemeridem patri adprobaturus. Non est istud vivere, sed alienae vitae inter-

esse. Quanta dementia est, heredis sui res procurare, et sibi negare omnia, ut tibi ex amico inimicum magna faciat hereditas? plus enim gaudebit tua morte, quo plus acceperit. Istos tristes et superciliosos, alienae vitae censores, suae hostes, publicos paedagogos, assis ne feceris! nec dubitaveris, bonam vitam, quam opinionem bonam, malle!"

Hae voces non aliter fugiendae sunt, quam illae, quas Ulysses, nisi adligatus, praetervehi noluit. Idem possunt: abducunt a patria, a parentibus, ab amicis, a virtutibus, et in turpem vitam miseros turpius inlidunt. Quanto satius est, rectum sequi limitem, et eo se perducere, ut ea demum sint tibi iucunda, quae honesta? quod adsequi poterimus, si scierimus duo esse genera rerum, quae nos aut invitent, aut fugent. Invitant divitiae, voluptates, forma, ambitio, cetera blanda et adridentia: fugat labor, mors, dolor, ignominia, victus adstrictior. Debemus itaque exerceri, ne haec timeamus, ne illa cupiamus. In contrarium pugnemus, et ab invitantibus recedamus, adversus petentia concitemur! Non vides, quam diversus sit descendentium habitus et adscendentium? qui per pronum eunt, resupinant corpora; qui in arduum, incumbunt. Nam, si descendas, pondus suum in priorem partem dare; si adscendas, retro abducere; cum vitio, Lucili, consentire est. In voluptates descenditur; in aspera et dura subeundum est: hic inpellamus corpora, illic refrenemus.

Hoc nunc me existimas dicere, eos tantum

perniciosos esse auribus nostris, qui voluptatem laudant; qui dolores, metus, per se formidabiles res, [*sive*. qui doloris metum, per se formidabilis rei,] incutiunt? Illos quoque nocere nobis existimo, qui nos sub specie Stoicae sectae hortantur ad vitia. Hoc enim iactant: *Solum Sapientem et doctum esse amatorem. Solus aptus ad hanc artem, aeque* [*atque*] *combibendi et convivandi. Sapiens est peritissimus. Quaeramus, ad quam usque aetatem iuvenes amandi sint.* — Haec Graecae consuetudini data sint; nos ad illa potius aures dirigamus: *Nemo est casu bonus; discenda virtus est. Voluptas humilis res et pusilla est, et in nullo habenda pretio, communis cum mutis animalibus, ad quam minima et contemtissima advolant. Gloria vanum et volubile quiddam est, auraque mobilius. Paupertas nulli malum est, nisi repugnanti. Mors malum non est. Quid sit? quaeris. Sola ius aequum generis humani. Superstitio error insanientis* [al. *insanus*] *est: amandos timet; quos colit, violat. Quid enim interest, utrum Deos neges, an infames?* Haec discenda, immo ediscenda sunt: non debet excusationes vitio Philosophia suggerere. Nullam habet spem salutis aeger, quem ad intemperantiam medicus hortatur. Vale.

EPISTOLA CXXIV.

Contra Epicureos, in Ratione, non Sensu, Bonum esse. Itaque infantes nondum eius capaces: neque plenum est, nisi ubi plena Ratio. Quomodo intelligam in me esse? si extra me nihil quaeram.

SENECA Lucilio suo Salutem.

POSSUM *multa tibi veterum praecepta referre, ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas.*

Non refugis autem, nec ulla te subtilitas abigit: non est elegantiae tuae, tantum magna sectari. Sicut [hoc, sic et] illud probo, quod omnia ad aliquem profectum redigis, et tunc tantum offenderis, ubi summa subtilitate nihil agitur: quod ne nunc quidem fieri laborabo. Quaeritur, *Utrum sensu, an intellectu, comprehendatur Bonum?* Huic adiunctum est, *in mutis animalibus et infantibus non esse.*

Quicumque voluptatem in summo ponunt, *sensibile* iudicant Bonum: nos contra *intelligibile*, qui illud animo damus. Si de bono sensus iudicarent, nullam voluptatem reiiceremus; nulla enim non invitat, nulla non delectat: et, e contrario, nullum dolorem volentes subiremus; nullus enim non offendit sensum. Praeterea non essent digni reprehensione, quibus nimium voluptas placet, quibusque summus est doloris timor. Atqui improbamus gulae ac libidini addictos; et contemnimus illos, qui nihil viriliter ausuri sunt doloris metu. Quid autem peccant, si sensibus, id est, iudicibus boni ac mali, parent? his enim tradidistis adpetitionis et fugae arbitrium. Sed videlicet *Ratio* isti rei praeposita est, quemadmodum debeat de vita, quemadmodum de Virtute, de Honesto, sic et de Bono maloque, constitui. Nam apud istos vilissimae parti datur de meliore sententia; ut de bono pronuntiet *sensus*, obtusa res et hebes, et in homine quam in aliis animalibus tardior. Quid? si quis vellet, non oculis, sed tactu, minuta discernere? Subtilior ad hoc nulla acies, quam oculorum, et intentior, daret bonum ma-

lumque dignoscere. Vides in quanta ignorantia veritatis versetur, et quam humi sublimia ac divina proiecerit, apud quem de summo bono maloque iudicat tactus.

Quemadmodum, inquit, omnis scientia atque ars aliquid debet habere manifestum, sensuque conprehensum, ex quo oriatur et crescat; sic beata vita fundamentum et initium a manifestis ducit, et ab eo quod sub sensum cadit. Nam [et] vos a manifestis beatam vitam initium sui capere dicitis. — Dicimus beata esse, quae secundum naturam sunt: quid autem secundum naturam sit, palam et protinus adparet, sicut, quid sit integrum. Sed, quod secundum naturam est, quod contigit protinus nato, non dico bonum, sed initium boni. Tu summum bonum, voluptatem, infantiae donas; ut inde incipiat nascens, quo consummatus homo pervenit. Cacumen radicis loco ponis. Si quis diceret, illum in materno utero latentem, sexus quoque incerti, tenerum, et inperfectum, et informem, iam in aliquo bono esse; aperte videretur errare. Atqui quantulum interest inter eum, qui quum maxime vitam accipit, et illum, qui maternorum viscerum latens onus est? Uterque, quantum ad intellectum boni ac mali, aeque maturus est; et non magis infans adhuc boni capax est, quam arbor, aut mutum aliquod animal. Quare autem bonum in arbore animalique muto non est? quia nec ratio. Ob hoc in infante quoque non est; nam et huic

deest. Tunc ad bonum perveniet, quum ad rationem pervenerit.

Est aliquod inrationale animal; est aliquod nondum rationale; est rationale, sed inperfectum. In nullo horum bonum: ratio illud secum adfert. Quid ergo inter ista, quae retuli, distat? In eo, quod inrationale est, numquam erit bonum: in eo, quod nondum rationale est, tunc esse bonum non potest: in eo, quod rationale est, sed inperfectum, iam potest esse bonum, sed non est. Ita dico, Lucili: Bonum non in quolibet corpore, non in qualibet aetate invenitur; et tantum abest ab infantia, quantum a primo ultimum, quantum ab initio perfectum: ergo nec in tenero, modo coalescente, corpusculo est. Quidni non sit? non magis quam in semine. Hoc si dicas: „aliquod arboris ac sati bonum novimus:“ hoc non est in prima fronde, quae emissa quum maxime solum rumpit. Est aliquod bonum tritici: hoc nondum est in herba lactente, nec quum folliculo se exserit spica mollis; sed quum frumentum aestas et debita maturitas coxit. Quemadmodum omnis natura bonum suum, nisi consummata, non profert: ita hominis bonum non est in homine, nisi quum illi ratio perfecta est. Quod autem hoc bonum? Dicam: liber animus et erectus, alia subiiciens sibi, se nulli. Hoc bonum adeo non recipit infantia, ut pueritia non speret, adolescentia inprobe speret. Bene agitur cum senectute, si ad illud longo studio intentoque pervenit. Si hoc, et bonum *intelligibile* est.

Dixisti, inquit, aliquod bonum esse arboris, aliquod herbae: potest ergo aliquod esse et infantis. — Verum bonum nec in arboribus, nec in mutis animalibus est: hoc, quod in illis bonum est, precario bonum dicitur. — Quod est? inquis. — Hoc, quod secundum naturam cuiusque est. Bonum quidem cadere in mutum animal nullo modo potest; felicioris meliorisque naturae est. Nisi ubi rationi locus est, bonum non est. Quatuor hae naturae sunt, arboris, animalis, hominis, Dei. Haec duo, quae rationalia sunt, eamdem naturam habent; illo diversa sunt, quod alterum inmortale, alterum mortale est. Ex his ergo, unius bonum natura perficit, Dei scilicet; alterius, cura hominis. Cetera tantum in sua natura perfecta sunt, non vere perfecta; a quibus abest ratio. Hoc enim demum perfectum est, quod secundum universam naturam est perfectum; universa autem natura rationalis est: cetera possunt in suo genere esse perfecta. In quo non potest beata vita esse, nec id potest, quo beata vita efficitur: beata autem vita bonis efficitur; in muto animali non est, quo beata vita efficitur: [ergo] in muto animali bonum non est.

Mutum animal sensu conprendit praesentia; praeteritorum reminiscitur, quum id incidit, quo sensus admonetur: tamquam, equus reminiscitur viae, quum ad initium eius admotus est; in stabulo quidem nulla illi viae, quamvis saepe calcatae, memoria est. Tertium vero tempus, id est, futurum, ad muta non pertinet. Quomodo ergo

potest eorum videri perfecta natura, quibus usus perfecti temporis non est? Tempus enim tribus partibus constat: praeterito, praesente, venturo. Animalibus tantum, quod brevissimum est in transcursu, datum, praesens; praeteriti rara memoria est, nec umquam revocatur, nisi praesentium occursu. Non potest ergo perfectae naturae bonum in inperfecta esse natura: aut, si natura alia habet hoc, habent et sata. Nec illud nego, ad ea, quae videntur secundum naturam, magnos esse mutis animalibus impetus et concitatos, sed inordinatos ac turbidos. Numquam autem aut inordinatum est bonum, aut turbidum. — Quid ergo? inquis: muta animalia perturbate et indisposite moventur? — Dicerem illa perturbate et indisposite moveri, si natura illorum ordinem caperet; nunc moventur secundum naturam suam. Perturbatum enim id est, quod esse aliquando et non perturbatum potest. Sollicitum est, quod potest esse securum. Nulli vitium est, nisi cui virtus potest esse. Mutis animalibus talis ex natura sua motus est. Sed, ne te diu teneam, erit aliquando [*sive*: aliquale] bonum in muto animali, erit aliqua virtus, erit aliquid perfectum; sed nec bonum absolute, nec virtus, nec perfectum. Haec enim rationabilibus solis contingunt, quibus datum est scire, quare, quatenus, quemadmodum. Ita Bonum in nullo est, nisi in quo Ratio.

Quo nunc pertineat ista disputatio, quaeris, et quid animo tuo profutura sit? Dico: et exercet illum, et acuit; et, utique aliquid acturum,

occupatione honesta tenet. Prodest autem etiam quod moratur ad prava properantem. Sed [et] illud dico: nullo modo prodesse possum magis, quam si tibi bonum tuum ostendo, si te a mutis animalibus separo, si cum Deo pono. Quid, inquam, vires corporis alis et exerces? pecudibus istas maiores ferisque natura concessit. Quid excolis formam? quum omnia feceris, a multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentia comis? Quum illum vel effuderis more Parthorum, vel, Germanorum, nodo vinxeris, vel, ut Scythae solent, sparseris; in quolibet equo densior iactabitur iuba, horrebit in leonum cervice formosior. Quum te ad velocitatem paraveris, par lepusculo non eris. Vis tu, relictis in quibus vinci te necesse est, dum in aliena niteris, ad Bonum reverti tuum? Quod est hoc? animus scilicet emendatus ac purus, aemulator Dei, super humana se extollens, nihil extra se sui ponens. Rationale animal es! Quod ergo in te bonum est? perfecta Ratio. Hanc tu ad suum finem evoca, in quantum potest plurimum crescere. Tunc beatum esse te iudica, quum tibi ex te gaudium omne nascetur, quum in his, quae homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inveneris, non dico, quod malis, sed quod velis. Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum esse iam sentias: Tunc habebis tuum, quum intelliges, infelicissimos esse felices. Vale.

IN SENECAE EPISTOLAS
NOTAE CRITICAE.

PRAEFATIO.

Quae mihi olim, quum in Graecorum Auctorum scriptis ad veterum librorum fidem exigendis essem occupatus, nata subinde erat suspicio, esse fortasse ex Romanorum etiam numero Scriptorum nonnullos, quorum libri, quales hodie in manibus hominum vulgo versantur, licet praestantissimorum virorum studio recogniti et illustrati, multum tamen absit ut ab eis sordibus, quas vel temporum iniuria vel male sedulorum hominum industria adspersisset, satis repurgati et genuino suo nitori restituti debeant haberi; illam suspicionem nuperrime in eo auctore, in quo minime exspectasses, miro quodam modo confirmatam deprehendi. Editores nacta erant *Senecae Philosophi opera* viros, cum doctrinae copia, tum acie ingenii, et iudicii gravitate praestantissimos, *Erasmum, Muretum, Lipsium, Io. Frid. Gronovium.* Horum unicuique non solum copia fuerat librorum manu exaratorum, aliorum ab his quibus usi erant superiores editores; verum insuper Mureto ad manus fuerant lectiones ex quindecim codicibus Hispanicis a *Pinciano* excerptae; Lipsio vero et Gronovio cum eiusdem Pinciani lectiones praesto erant, tum hae quae a *Fr. Modio* e tribus msstis Herbipolitanis, ab *Opsopoeo* e tribus Parisiensibus et uno Ambiano, a *Grutero* e quatuor Palatinis et uno Coloniensi enotatae erant; ut alias taceam a *Franc. Iureto* ex vetere codice depromtas, aut ex *Dalecampii* schedis a *Th. de Iuges* excerptas. Talibus praesidiis instructi tales viri operae profecto pretium facere debuerunt; et, magna

quidem ex parte, haud dubie fecerunt. Quo minus mirum videri debet, post Gronovium, per integrum seculum et quod excurrit, interquievisse fere virorum doctorum operam Senecae praestitam: quo temporis spatio nonnisi repetitum aliquoties reperias Gronovianum exemplum, adiecto subinde delectu eorum quae a superioribus editoribus ad hunc auctorem erant adnotata. Recentissima demum memoria, provinciam ab aliis derelictam occupans *Frid. Ern. Ruhkopf*, Gymnasii Bielefeldensis Director, *Senecae Philosophi opera* denuo *recognita et illustrata* edere coepit *Lipsiae* MDCCXCVII, sex voluminibus absolvenda; e quibus ad hunc quidem diem nonnisi quatuor in lucem prodiere, (quorum secundo atque tertio, quae annis MDCCC. et MDCCCV. prodierunt, *Epistolae ad Lucilium* continentur,) reliqua duo volumina adhuc desiderantur. Quae quum ita sint, quoniam ex me quaeri haud immerito posse videtur, quibus rationibus commotus, quave fretus fiducia, ego nunc maxime consilium ceperim earumdem *Epistolarum Senecae*, quibus in emendandis expoliendisque iidem illi omnes, quos nominavi, doctissimi viri elaborarunt, denuo edendarum; consentaneum fuerit, ut et occasionem, quae mihi ad suscipiendam hanc operam oblata est, et omnino consilii nostri rationem paucis exponam.

Inter reliqua Philosophi nostri opera multis nominibus eminere mihi semper visae erant *Epistolae* hae *morales*, *ad Lucilium* scriptae: quarum lectione ab ineunte adolescentia non modo singulariter me delectatum, sed in multis etiam deinde atque variis, quibus usus sum, temporum difficultatibus saepenumero recreatum firmatumque meum animum esse, ultro profiteor. Quo magis optare subinde subierat, ut frequentior in manibus iuvenum senumque liber iste versaretur: quod quidem olim fieri solitum esse, cum ex magno numero codicum manuscriptorum qui supersunt, quibus Senecae Epistolae continentur, tum ex pluribus editionibus earumdem,

quae decimo quinto seculo prodiere, intelligitur. Nam, ut incredibilem numerum omittam editionum omnia Senecae opera complectentium, quae intra duo proxima secula, ex quo primum typis excusa prodierant, certatim in lucem emissae sunt, Epistolae per se solae uno eodemque anno MCDLXXV. bis, primum Romae, dein Parisiis, excusae sunt: ac iam ante id tempus alibi, et quidem in Germania, ut videtur, absque anni locive notatione prodierant. Denique, quoniam illis temporibus non cuiusvis erat, universum Epistolarum opus suo sibi aere comparare, in Epitomen etiam redactae sunt eaedem Epistolae, atque ita iterum iterumque typis descriptae.[1] Itaque quum iam pridem essem miratus, ab illis inde temporibus ad nostram usque aetatem neminem esse inventum, qui Epistolarum Senecae in usum praesertim studiosae iuventutis seorsim edendarum consi-

1 Huius generis editiones duae reperiuntur anni locique nota carentes; utraque quidem Lipsiae, ut videtur, impressa: quarum alteram *Panzerus* recensuit, Annal. Typogr. vol. IV. p. 192. alteram *Frid. Christ. Matthiae*, in Programmate, superiore anno indicendis examinibus Gymnasii Francofurdensis conscripto, p. 8. Alia editio Lipsiae excusa est (*Liptzk*) *per Arnoldum de Colonia anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio*: cuius notitiam *Koppio*, viro clarissimo, in Academ. Heidelb. Professori honorario, debeo. Rursus alia ibidem prodiit anno 1497. cuius *Fabricius* in Bibl. Lat. meminit. Denique rursus alia, quam ex Schoepfliniana Bibliotheca ad manus habeo, in eadem urbe (*Liptzk*) impressa est *per Iacobum Thanner, anno Dni millesimo quingentesimo octavo.* Forma superiorum editionum quadrata est; maior autem forma huius, quam postremo commemoravi. Omnes autem istae editiones titulum praeferunt huiusmodi: *Lucii Annei Senece Cordubensis, maximi Latinorum magistri et institutoris honeste vite* (brevius duae editiones vetustissimae: *Annei Senece moralissimi*) *ad Lucillium Epistolarum liber de vivendi ratione, praeclarus et auro* (superiores adiiciebant, *et iaspide*) *preciosior.* In omnibus quidem istis editionibus nonnisi octoginta novem priorum (sive, ex nostra numerandi ratione, iam pridem vulgo recepta, nonnisi octoginta octo) Epistolarum Epitomae continentur.

lium cepisset, haud vulgari adfectus sum gaudio, quum, curâ studioque viri clarissimi *Frid. Christ. Matthiae*, Francofurdani ad Moenum gymnasii Rectoris et Professoris, superiore anno effectum id esse quod iam diu mihi in votis fuerat, ex ipsius Editoris literis ad me datis intellexi. Ea editio quum *hac potissimum mente* a Viro de omni humanitatis studio praeclare merito *esset instituta; ut discipulis provectioribus, quibus nobilissimi Philosophi lectionem nec inutilem nec iniucundam fore sibi persuaserat Editor, exemplaria parabilia in manus tradi possent;* 1 illud inprimis sibi agendum ille putaverat, ut *nudum tantum contextum, ad novissimam editionem Lipsiensem* 2 *recognitum* (*ita quidem ut suum subinde iudicium sequeretur*) *adcurate atque nitide describendum* curaret: idque ipsum fideliter praestitit, *duobus voluminibus* perelegantibus *Francofurti ad Moenum apud Varrentrapp et Wenner* MDCCCVIII. in lucem emissis. Iam vero *priore volumine fere absoluto quum petiissent* ab Editore *bibliopolae, ut Commentario etiam scribendo animum adiiceret;* voluntati eorum obsecuturus, praeter alia quae sibi eum in finem procuranda intellexerat, *circumspicienda etiam nova subsidia putavit, quibus in vera lectione ex criticae artis legibus indaganda et constituenda uteretur.* Eo consilio, quum ex Fabricii Bibliotheca Latina compertum Vir doctus haberet, servari in bibliotheca Academiae Argentoratensis *codicem Epistolarum Senecae longe vetustissimum*, per literas me, cui Bibliothecae huius curam demandatam nosset, adiit, sive ut ad se transmitterem illum codicem rogans, sin id minus fieri posset, ut eum cum impresso exemplo conferendum excerptasque lectiones secum communicandas curarem. Equidem honestissimo desiderio, quoad possem, lubens gratificaturus, negotium excutiendi codicis ultro suscepi, adhibitis etiam insuper *aliis duobus*

1 Ipsius Editoris verbis utor, quibus ille in Programmate paulo ante memorato de haec editione disseruit.

2 Eamdem quam a *Ruhkopfio* adornatam paulo ante dixi.

Codicibus, quos possidet eadem Bibliotheca minime contemnendos; moxque specimen Lectionum ex quatuor prioribus Epistolis excerptarum ad doctissimum virum misi, adiuncta brevi epicrisi, qua, quid ex codicum nostrorum editionumque principum praescripto mutandum in vulgatis harum Epistolarum exemplis mihi videretur, ingenue exposui. *Matthiae*, ex istis speciminibus haud aegre intelligens, quam multa in universo Epistolarum libro superessent etiamnunc expurganda et expolienda, partimque restituenda auctori, temere ei olim ablata, partim eiicienda, inauspicato quippe ab interpolatoribus adiecta; dolebat mecum bis deinceps nuperrime editas esse Senecae Epistolas priusquam uberioribus ad easdem emendandas praesidiis, quae parata apud nonneminem et in promtu esse constabat,[1] uti potuissent editores. Inde Commentarii consilium, editioni suae adiungendi, eo direxit vir doctus, ut ex his, quae ad corri-

1 Adparatum dico illum, cura ac studio *Ign. Aug. Fessleri*, sumtibus *Kornii* bibliopolae Vratislaviensis instructum; quo continetur (ut Ruhkopfius ait in Praef. ad Senecae vol. IV. p. 6 sq.) *praeclara Lectionum variantium copia e codd. msstis, qui Mediolani in bibliotheca Ambrosiana, Vindobonae, Argentorati, Bernae, Altorfii, Erfordiae, Helmstadii, Erlangae et Guelferbyti asservantur.* Comparatae fuerant illae copiae hoc consilio, ut earum ope adornaretur nova Operum Senecae editio omnibus numeris absolutissima, quae anno XCV. superioris seculi magno quidem hiatu promissa erat, tertio post anno in publicum emittenda, (vid. *Intelligenzblatt der Allg. Lit. Zeitung*, 1796. No. 24.) sed numquam in publicum prodiit. Easdem nuper copias omnes, librariae Weidmanniae aere redemtas, post editas iam a Ruhkopfio et a Matthiae Epistolas Senecae, in Ruhkopfii manus pervenisse, ipse docet in eadem Praefat. p. 7 sq. spemque sibi factam significat, mox accessuras etiam *Vaticanorum* nonnullorum ac *Florentinorum codicum* collationes. Quod ad Lectionum varietatem spectat ex Argentoratensibus codicibus cum Fesslero communicatas, obscuro quodam indicio nuperrime intellexi, fuisse illam ab erudito olim collega meo et in Bibliothecarum publicarum cura praecessore Oberlino procuratam.

gendum contextum spectarent, nonnisi ea quae maioris cuiusdam momenti essent delibaret, praecipuam curam in interpretationem locorum difficiliorum converteret: me vero compellare hortarique ultro coepit, ut in critica parte pergerem elaborare, ac sive Notas meas ad totum opus spectantes secum communicarem, simul cum ipsius Adnotatis olim in lucem emittendas, sive ipsum contextum meo iudicio emendatum criticisque animadversionibus illustratum, quoquo modo ferret occasio, in publicum prodire iuberem. Accepi conditionem; et Philosopho nostro navavi operam quam potui diligentissimam: quumque suas Adnotationes non ante editurum se professus sit *Matthiae*,[1] quam in publicum prodierit adparatus ille variantium Lectionum, quem Ruhkopfius in sextum olim Senecae sui volumen se coniecturum significavit;[2] interim roganti a me *Extero* nostro, ut, si quid in *Senecam* (cuius novam ille editionem ex typographia Societatis Bipontinae prodituram nunc maxime moliebatur) paratum haberem, illud secum communicarem, haud gravatus sum *Morales* istas Philosophi huius *Epistolas* tradere, mea qualicumque cura studioque ex veterum librorum praescripto et criticae artis legibus, quoad potui, emendatas.

Superest, ut lectionum earum, quas in locis controversis praeferendas aliis iudicavi, aliarumque emendationum, quas ex coniectura nostra, perraro quidem admodum, desperatis quibusdam locis adferendas putavi, rationem reddam. Quo spectant *Notae criticae*, quas in operis titulo sum pollicitus: in quibus quidem haud incommode factum videbitur, si leviores etiam quasdam codicum nostrorum discrepantias, quin et portentosas nonnullas librariorum hallucinationes subinde adnotavero, e quibus de genio et more cuiusque codicis ferri iudicium quoddam possit. Sed priusquam ad istas Notas di-

1 In Programmate supra memorato, p. 4.

2 In Praefat. ad vol. IV. p. 9.

mittam Lectorem, intelligo esse mihi cum de ipsis *Codicibus* nostris *Argentoratensibus*, tum de *aliis praesidiis*, quibus ad procurandam hanc editionem usus sum, paulo enucleatius dicendum: quem quidem locum quam brevissima potero disputatione expediam.

Vetustissimus ille et probatissimus *ex nostris Codicibus*, quem harum notarum aliqua, *ms. a. Arg. a.* aut etiam nude *a.* insignire consuevi, in spissis membranis luculenter et magnifice scriptus est, foliis constans 132. per septemdecim quaterniones formae quadratae distributis. Ex calami ductibus et ex universo genio scripturae (in qua, ut hoc utar, diphthongi *ae* et *oe* recte a simplici vocali *e* distinguuntur, et fere constanter exserte duabus literis efferuntur; nec ullum fere occurrit scribendi compendium, nisi figura *&* pro *et* in mediis plerumque vocibus posita, et diphthongus *ae* raro admodum per caudam literae *e* adnexam indicata) haud dubie colligas, circa nonum post C. N. seculum conscriptum esse hunc codicem: 1 et quidem ex perantiquo codice fuisse descriptum, in quo verba paene omnia prisco more inter se connexa nulloque interstitio distincta fuissent, inde intelligitur, quod in eodem nostro codice etiamnunc multis in locis non discreta inter se verba sunt, sed penitus connexa. Quod vero etiam atque etiam dolendum est, nonnisi tertiam fere partem Epistolarum Senecae continent hae membranae. Nam quum universum opus per tria volumina olim esset distributum, quorum primum (ut suspicor) Epistolas LII. alterum Epistolam LIII. usque LXXXVIII. tertium reliquas ab Epist. LXXXIX. - CXXIV. complectebatur; in nostro hoc codice fere non-

1 Cum maiuscularum literarum, tum minuscularum, fere similis est forma ei, quae in antiquo Codice Canonum conspicitur, qui iussu Rachionis, Episcopi Argentoratensis, anno Christi 787. descriptus est: cuius codicis notitiam cum orbe literato communicavit collega noster *Chr. Guil. Koch*, in *Notices et Extraits des Mss. de la bibliothèque Nationale*, T. VII. p. 173 sqq.

nisi postrema pars, ac ne haec quidem integra, continetur. Periit enim (ac nescio an iam olim in eo exemplari, de quo descriptus est codex noster, desideratus fuerit) primus quaternio, qui Epistolam LXXXIX. et priorem partem Epistolae XC. erat complexus: cuius in locum, ne defectum sese primo intuitu proderet codex noster, substitutus est primus quaternio voluminis primi, eadem (ut videtur) manu, simillimis certe calami ductibus, quibus sequentia, descriptus; quo continentur Pauli Apostoli et Senecae, quae olim ferebantur, epistolae, cum duabus prioribus Epistolis ad Lucilium et parte tertiae Epistolae, in haec verba desinente, *alterum tutius. Sic utrosque* — quae verba in nostra edit. vol. I. p. 7. l. 6. ab ult. leguntur. Tum vero secundus quaternio ab his abruptis verbis incipit, *renda artibus fecimus. Sufficit ad id natura* etc. quae sunt ex Epistola XC. vol. II. nostr. ed. p. 7. l. 9. Dehinc autem continuo tenore reliquae omnes Epistolae, quae et in aliis codicibus ad aetatem nostram pervenerunt, sequuntur. Caeterum de huius Codicis praestantia nil opus est ut plura hîc verba faciam: qui quantum nobis ad emendanda vulgata Epistolarum harum exemplaria contulerit, ex criticis Notis nostris abunde intelligetur. Illud ut moneam non fuerit ab hoc loco alienum, superesse in eodem codice clara vestigia veteris distributionis Epistolarum Senecae in complures libros; quae distributio quum iam A. Gellii aetate fuisset in usu, in plerisque deinde codicibus neglecta est, in aliis vero ita mutata, ut cum ea, qua Gellius usus erat, minime conveniret. Nam, quum in aliis codicibus *Libri* numerentur *viginti quinque*, in aliis vero *viginti duo*;[1] in nulla earum Epistolarum, quae in istis co-

1 In eo codice, cuius ad exemplum expressa est vetusta editio Romana, *viginti quinque* numerabantur *Libri*: in ed. Ven. et Erasmi, non nisi *viginti duo*. Totam deinde rationem per *Libros* distinguendi has Epistolas prorsus omisit Muretus, nullum eius vestigium in vetustis codicibus superesse ratus. Et ignorant eam sane

dicibus ad *Librum XXII.* referuntur, reperiuntur hodie verba ea, quae ex *libro XXII. Epistolarum Senecae ad Lucilium scriptarum* ab A. Gellio Noct. Att. XII. 2. prolata legimus. Ac ne in nostro quidem codice verba illa leguntur: at nimirum in hoc nonnisi *viginti* numerantur *Libri*, quibus omnes illae CXXIV. Epistolae, quae ad nos pervenerunt, continebantur.1 Ex quo intelligi par est, verba ab A. Gellio prolata non debuisse in aliqua earum Epistolarum, quae hodie supersunt, quaeri; exstitisse autem Gellii aetate praeter illas, et post illas CXXIV,

codices longe plerique cum nostris *Arg. b.* et *Arg. c.* et ed. *A.* Sed in his eisdem, quemadmodum et in editionibus omnibus, singulae Epistolae suis *numeris* distinguuntur. Ac differt quidem paululum numerandi ratio ea, qua codices mssti vetustaeque editiones utuntur, ab hac quae inde a Mureto ubique vulgo est recepta: cuius differentiae haec caussa est, quod in msstis codd. una subinde Epistola perperam in duas erat tributa, et in nonnullis etiam codd. series Epistolarum nonnihil mutata. In vetustissimo autem nostro ms. *a.* nulli Epistolae nota numeralis a prima manu adiecta est.

1 In hoc codice inter Epistolae exitum, quae XCII. vulgo numeratur, et inter Epistolae XCIII. initium, eiusdem calligraphi manu qui caetera scripsit, haec interposita leguntur:

L. ANNAEI SENECAE LIB. XIV. EXPLICIT. INCIPIT LIB. XV.

Tum ante Epistolam XCVI. ita habet:

L. ANNAEI SENECAE AD LUCILIUM LIB. XV. EPISTULARUM MORALIUM EXPLICIT. INCIPIT EIUSDEM LIBER XVI.

Similiter *Libri XVII.* initium notatur ad Ep. CI. *Libri XVIII.* ad Ep. CIV. *Libri XIX.* ad Ep. CX. *Libri XX.* ad Ep. CXVIII. Denique in fine Epistolae CXXIV. in qua desinit codex, post ultima verba, *iufelicissimos esse felices. VALE.* haec subiiciuntur:

L. ANNAEI SENECAE AD LUCIUM (sic uno h. l. vitiose scriptum, pro LUCILIUM) EPISTULAR. EXPLICIT LIB. XX.

Igitur postrema Epistola, quae hodie superest, claudebat *Librum vicesimum:* quare nil mirum est, non legi in his Epistolis, quae ad nos pervenerunt, ea verba quae ex *Libro XXII.* citaverat Gellius. Similiter vero Fabricius in Biblioth. Latina, ubi de Senecae scriptis agitur, adnotavit *asservari in Rhedigeriana bibliotheca Vratislaviensi mstum Codicem, in quo Philosophi huius Epistolae in libros XX. sint distinctae.*

quae ad nos pervenerunt, plures adhuc alias, quae aetatem non tulerunt.

Ad vetustissimas istas membranas *Arg. a.* et aetate et reliqua praestantia proxime accedere illae videntur, quas hac designatione, *Ampl.* vel *ms. Ampl.*, insignivi. Nempe *Amplonianum codicem* (quia in Amploniano collegio Erfordiae asservatur) nominaverat clar. *Matthiae*; qui quum totum cum exemplari Bipontino contulisset, eiusque varias Lectiones cum Ruhkopfio communicasset, mihi quoque, speciminis loco, *Lectiones ex quatuor prioribus Epistolis excerptas* ultro impertivit. Plura a Viro humanissimo rogare pudor me vetuit, quamvis talia essent specimina, ut incredibile reliquorum omnium desiderium debuerint adferre, quum praesertim *LII. priores Epistolae* illo codice contineantur, quarum longe plurima pars in vetustissimo nostro desideratur. 1

Sequitur *Codex noster Arg. b.* membranaceus et ipse, foliis constans centum quadraginta sex, formae quadratae paulo minoris. Luculenta scriptura, ad Gothicam quidem quae vocatur leviter inclinans, seculum prodit undecimum vel duodecimum. Probus codex, qui et ipse plurimum nobis ad emendandam vulgatam ante nos scripturam contulit, Epistolas olim videtur LXXXVIII. comprehendisse: sed, quaternionibus aliquot iam pridem deperditis, desinit hodie in verbis illis, *In contrarium autem huic affectum summa infelicitas urget;* quae leguntur in Epist. LXXXI. p. 302, 7. nostrae edit. Sed ne in medio quidem usquequaque integer est: nam, quum quaterniones viginti olim complexus esset, suo quemque numero signatum, desunt ex eis hodie duo, undecimus et duodecimus, foliaque adeo sedecim interciderunt; quibus continebatur quidquid in codicibus integris et in impressis

1 De illo *Codice Amploniano* plura legas in Ruhkopfii Praef. ad Senec. Vol. I. et in Matthiae Programmate iam saepius laudato, p. 4 - 6. Illud unum hic monebo, diversum esse hunc codicem ab eo *codice Erfordiensi*, cuius Lectionibus Gronovius usus erat.

exemplis inter verba illa, *non facit nobilem*, Epist. XLIV. p. 129. l. 22. nostrae edit. et ista, *statim illis et loqui et laudare licuisse*, (Epist. LII. p. 156. l. 2.) interiectum legitur. Mox vero rursus nova lacuna est, non quidem inde nata quod de eodem nostro codice aliquid, quod olim in illo fuisset comprehensum, intercidisset; sed, ut mihi videtur, quod iam de eo exemplari, de quo is descriptus est, quaterniones aliquot periissent. Nam post Epistolam LII. (cuius quidem nonnisi posteriorem partem in codice nostro superesse modo dicebam) sub finem eiusdem folii versi, cuius prior pagina ab illis verbis *statim illis et loqui* incipit, continuo sequitur ea *Epistola*, quae *sexagesima tertia* vulgo numeratur, ab his verbis incipiens, *Moleste fers decessisse Flaccum*: rursusque desiderantur Epistolae omnes, quae aliàs inter hanc et inter quinquagesimam secundam interiectae leguntur. Et eidem quidem Epistolae LXIII. calligraphus noster (sicut in suo, puto, exemplari repererat) numerum LXIV. adpinxerat: at ex isto numero alia deinde manus, quo minus in oculos caderet defectus, erasà literà X, fecit LIV. similiterque deinde numeros omnes reliquis Epistolis adscriptos mutavit. [1]

Eiusdem cum nostro *Arg. b.* familiae videntur *Codices Herbipolitani*, e quibus probas multas lectiones *Franc. Modius* protulit in Lectionibus Novantiquis, quae Tomo quinto Thesauri critici Gruteriani insertae sunt. [2] Eo-

1 Denique vero ne illam ipsam quidem, quam dixi, Epistolam LXIII. integram exhibet codex noster: sed in ipso statim Epistolae principio, post verba ista, *Moleste fers decessisse Flaccum amicum tuum*, continuo ad illa transit, *Ego non idem sentio*, quae in eadem Epist. p. 192. l. 5. nostr. ed. leguntur; sive quod ibi calligraphus duas exemplaris sui paginas imprudens transsiliverit, sive quod in ipso exemplari folium illud, quo continebantur quae nunc omissa sunt, defuisset.

2 *Tres* memorat *Modius* (l. c. Epist. 2. p. 3.) *membranaceos codices Herbipolitanos*, quorum usus sibi fuisset concessus: quorum e numero (quod ex Lectionibus ab illo prolatis colligere licet) nullus fuit, qui plures quam LXXXVIII.

dem pertinent quatuor *Gallici codices*, LXXXVIII. priores Senecae Epistolas complexi, quos Parisiis olim *Io. Opsopoeus* cum exemplo Erasmiano contulit, excerptasque ex eis Lectiones publici iuris fecit, primum in lucem emissas in ea Operum Senecae editione, quae Parisiis anno MDLXXXVII. prodiit, Nic. Fabri studio procurata. Quae Lectiones plurimum nobis cum alibi in constituendo editionis nostrae exemplo profuerunt, tum in ea praesertim operis parte, qua defectum esse nostrum codicem *Arg. b.* diximus. Et omnes quidem illi Opsopoei codices probatissimas saepe lectiones uno consensu nobis obtulere; sed ubi inter se discrepabant, ibi fide et probitate reliquis praestare mihi *Nicotianus* visus est, ad eumque proxime accedere alter ex *Puteanis*, is quem Opsopoeus ipse passim optimum praedicavit: quare volueram, ut frequentius, quam illi visum erat, nominatim nos docuisset, quinam ex quatuor codicibus lectionem quamque ab ipso adnotatam obtulisset; quoniam in lectionum discrepantia, caeteris rationum momentis paribus, haud dubie eorum codicum praevalere debet auctoritas, qui caeteroquin probatissimi fuerint comperti. Sed illud maxime dolui, parcissimum omnino in enotandis codicum suorum lectionibus Opsopoeum fuisse; quippe qui, pro illorum more temporum, non nisi eis fere in locis codices msstos inspexisset, aut certe ibi solum lectiones illorum protulisset, ubi mendosa ac minime fe-

Epistolas exhiberet. Ad eamdem porro, ac fortasse etiam ad vetustioris nostri codicis *a.* familiam, pertinebant puto nonnulli ex *Hispanicis* illis *Codicibus*, quorum ex praescripto olim *Fernandus Pincianus* suas in Senecae Philosophi scripta Castigationes ediderat, quos codices *vetustissimos* ille praedicavit: de quibus equidem, quoniam nonnisi perraro codicem, e quo ducta esset aliqua lectio ab ipso prolata, nominatim designavit, et omnino perpauca ex omnibus enotavit, nihil aliud, nisi hoc in universum, possum pronuntiare, probam esse, ac merito deinde a Mureto receptam, maiorem partem lectionum, quas ex illis codicibus *Pincianus* commendaverat.

renda ipsi visa fuisset vulgata scriptura. Qui si saltem, praeter Erasmianum exemplum, aliquam e superioribus editionibus ad manum habuisset, vidissetque quam multas probas lectiones illae essent oblaturae, quae parum feliciter ab Erasmo mutatae sunt, non gravaturus fuisset quin eiusmodi saltem in locis docuisset lectorem, quanam a parte sui codices starent.

Ista Opsopoei in proferendis codicum suorum parsimonia, quum suspicarer exstare fortasse etiam hodie in *Imperiali Bibliotheca Parisiensi* nonnullos ex eisdem codicibus, quibus ille usus esset, desiderium mihi iniecit experiundi, an uberiorem quamdam illorum collationem nancisci possem. Itaque quum in eo esset ut Parisios proficisceretur vir iuvenis, multae doctrinae, multae humanitatis, *Car. Frid. Tim. Emmerich*, auditor olim, nunc amicus meus in paucis carus; huic in mandatis dedi, ut, quoad sibi per reliquas rationes liceret, excuteret ibi, nostram et Senecae nostri in gratiam, *duos codices membranaceos*, Epistolas Senecae LXXXIX. (id est, ex ratione nunc recepta, Epistolas LXXXVIII.) exhibentes; quorum alterum, olim *Puteanum*, *no.* 8539. in Catal. Biblioth. olim Regiae ad seculum undecimum, alterum (*no.* 8615.) olim *Colbertinum*, ad Sec. XIII. videram referri. Et ille, haud cunctatus, non modo duos istos Codices, sed et similem illis alium, Roma nuper Parisios delatum, *Palatinum* num. 1546. qui duodecimo seculo scriptus perhibetur, cum exemplo editionis Bipontinae coepit conferre; ad meque (quum plura peragere per temporis brevitatem aliasque occupationes non posset) trium istorum codicum variantes lectiones, primum ex triginta duabus prioribus Epistolis et parte trigesimae tertiae, tum deinde ex Epist. LX.-LXXXVIII. excerptas, transmisit. Et eo quidem tempore ad me pervenit egregia haec symbola, quo iam typis exscriptae erant eae epistolae e quibus excerptae lectiones erant, ut his dirigi meum in constituendo editionis nostrae exemplo iudi-

cium non potuerit: sed perutiles tamen mihi deinde in recognoscendo ipso nostro exemplo fuere, quum partim ad firmandas eas lectiones, quas aliis praetuleram, valerent; partim vero meliorem etiam subinde, quam quae a nobis recepta est, offerrent scripturam; denique nonnumquam, ubi scriptura aliqua nostrorum codd. Arg. observationem meum effugisset, (quod vel diligentissimo veterum librorum scrutatori solet accidere,) admonerent, ut eosdem nostros codices denuo intentius inspicerem: quibus de rebus in criticis nostris Adnotationibus erit dicendum. Et ibi quidem, quem codicem cum Emmerico nostro *Par. q.* insignire constitui, est *Colbertinus* ille, quem in Catal. Msstorum Latin. *no.* 8615. recensitum dixi; *Par. b.* est *Puteanus*, *no.* 8539. quem ex collatione cum lectionibus ab Opsopoeo prolatis cognovi eumdem ipsum esse, quem olim Opsopoeus tractaverat, et antiquiorem melioremque altero Puteano iudicaverat. Denique *Par. d.* est *Palatinus* quem dixi; et is quidem nullus ex illorum quatuor Palatinorum numero, quos olim Gruterus tractaverat, quorum quilibet omnes CXXIV. Epistolas Senecae continebat, quum hic ab Emmerico nostro collatus nonnisi LXXXVIII. priores complectatur.

Tertius codex Argentoratensis (noster cod. *c.* ms. *c.* vel *Arg. c.*) universas CXXIV. Senecae Epistolas, quae ad aetatem nostram pervenerunt, absque ulla notabili lacuna, complectitur.[1] Chartaceus est, foliis constans 189. maximae formae; seculo decimo quarto, aut sub quinti initia, conscriptus. Folia ab ipso calligrapho (nam et hic codex eleganti manu exaratus est) suis numeris signata sunt: in fronte codicis Index est rerum memorabilium, ad foliorum numerum relatus: in fine adiecti Se-

1 Numerantur in eo quidem *Epistolae CXXVII.* nec vero plures insunt quam quae in vulgatis exemplis leguntur: scilicet Epistola nona quae vulgo numeratur, et Epist. XLVIII. rursusque Epist. LVIII. in duas quaeque epistolas divisae sunt in hoc codice.

necae de Clementia ad Neronem libri duo. Salutationis formula, *Seneca Lucilio suo salutem*, quam duo vetustiores nostri codices singulis Epistolis praefixam habent, in hoc nusquam comparet: sed illius loco praemissum est cuique Epistolae breve quoddam *Argumentum* huiusmodi, verbi causa: *Prima*, *De colligenda et sistenda fuga temporis; et quod pauper non est cui quantulumcumque superest sat est.* Tum: *Epist. 2. De mutatione locorum et multiplicium voluminum lectione vitanda, et quod honorabilis res est leta* (sic) *paupertas.* Multa idem passim habet scholia; cum breviora, inter lineas interspersa; tum longiora, marginibus et inferiori subinde paginarum orae adscripta: quae scholia ab illis temporibus derivata sunt, quibus Senecae nostri opera, et inprimis Epistolae, in scholis Christianorum praelegi et exponi studiosae iuventuti coeperant; quo spectans puto *Pincianus* unum e suis codicibus *Exemplar Scholasticum* nominaverat, cuius lectiones ab illo prolatae cum lectionibus eiusdem nostri *cod. c.* maxime conveniunt. Iam, ut nullus fere est codex manu exaratus, etiam e vetustiorum numero, quin multiplicibus vitiis hallucinationibusque librariorum ac passim etiam interpolationibus sit deformatus; sic mirandum non est, recentissimum hunc nostrum et aliis plurimis vitiosis portentosisque lectionibus, et frequentibus praesertim interpolationibus ex scholiis in contextum receptis, scatere. Verumtamen non solum frequenter admodum cum vetustioribus codicibus in probatis lectionibus, quas restituere Senecae debuimus, recte hic idem codex consentit; sed haud paucis etiam in locis, ubi in vitio cubant vetustiores, veram haud dubie et genuinam auctoris scripturam servavit.

Cum isto nostro *cod. c.* cognatione quadam coniuncti sunt, licet multum passim et ab illo et inter se dissentientes, *quatuor* illi *Palatini* et unus *Coloniensis*, quos *Ianus Gruterus*, rara admodum (illis praesertim temporibus) diligentia, cum Erasmiano exemplo contulit; quorum qui-

libet omnes Senecae Epistolas continebat. Qui quidem sicuti singuli et aetate et praestantia cedunt nostris codicibus *a.* et *b.* sic ex eisdem nonnulli, ac praesertim *Palatinus secundus*, et post hunc *Coloniensis*, nostro ms. *c.* sunt praestantiores. At vero etiam, e contrario, ubi hi ipsi codices, quos modo laudavi, vitiosam habent scripturam, ibi nonnumquam in *Palatino primo*, *tertio*, aut *quarto*, servata est vera aut verae proxima scriptura; quod in posteriore praesertim Epistolarum parte subinde observasse mihi videor. Itaque in codicibus istis, quos vel nos ipsi excussimus, vel e quibus excerptas a viris doctis lectiones in manibus habemus, idem fere obtinet quod de duobus aliis *Codicibus*, *ex Britannia* olim acceptis, *Erasmus* alicubi memoravit. 1

Typis excusi libri, quos in constituenda nostri exempli lectione ad manus habuimus, ac partim constanter, partim vero in dubiis saltem locis consuluimus, hi sunt fere. Primum, *vetus* illa *Editio Epistolarum Senecae*, anni locique et typographi indicio carens, quam *ed. A.* (quasi *Anonymam* dicerem) insignivi. Et hanc quidem ad codicis manuscripti exemplar, qui nostro ms. *c.* simillimus fuisset, expressam deprehendi; ita tamen, ut proba genuinaque scriptura subinde in ea servata sit, ubi vitiosam habet noster codex mstus. Porro constanter nobis ob oculos fuit *princeps Romana editio* earumdem Epistolarum, an-

1 *Erasmus* in Praefatione, priori suae editioni Operum Senecae (quam quidem deinde pro sua haberi noluit) praemissa, postquam *utrumque ex illis Britannicis codicibus mendosiorem vulgatis exemplaribus fuisse* dixerat: *Illud tamen profuit*, inquit, *quod non consentiebant errata. Proinde, quemadmodum aliquoties fit, ut peritus et attentus iudex e multorum testium oratione, quorum nemo tamen verum dicat, rem colligat, ita nos e diversis mendis veram coniecimus lectionem.* Caussas vero, cur prae aliis veterum auctorum scriptis *Senecae* potissimum opera, et in his praesertim *Epistolae*, prodigiose corrupta in msstis libris ad nos pervenerint, percommode idem *Erasmus* exposuit in Epistola Nuncupatoria, secundae Editioni praefixa, pag. 2 seq.

no M. CCCC. LXXV. procusa, quae iam supra a nobis memorata est; non confundenda cum illa editione Romana, quae passim in Opsopoei et in Gruteri adnotationibus nominatur.[1] Vetus illa, quam equidem nunc dico, Romana editio ex manuscripto codice expressa est satis probo, et multo meliore quam fuerat ille, cuius exemplum editio nostra *A.* erat secuta: estque illa aliarum omnium editionum fundus, ac veluti fons, e quo caeterae omnes editiones profluxerunt, sed ita ut ex aliorum fontium rivulis plurimum quidem sinceri mitisque liquoris in eamdem sit derivatum, quo et limpidior flueret, et molliretur illius asperitas, multum vero etiam coeni ac turbidae materiae fuerit invectum. Cum Romana hac editione frequenter *Tarvisinam* operum Senecae omnium *editionem* contuli, anno M. CCCC. LXXVIII. impressam: et eam quidem in hisce *Epistolis* plerumque consentientem cum Romana Epistolarum editione deprehendi, nonnumquam vero etiam ab illa discedentem; quae discrepantia nescio an ex Neapolitana editione, quam videre numquam mihi contigit, propagata sit.[2] Porro, ubicumque a vetere Romana editione discedens Erasmi exemplum animadverti, ibi eam *editionem Operum Senecae* consului, quam *primam* esse *Venetam* mihi persuasi;[3] cuius ad prae-

1 Quam *Romanam editionem* subinde nominarunt Opsopoeus et Gruterus, ea *Mureti* est, Romae anno 1585. typis vulgata. Nostra *ed. Rom.* illis incognita prorsus, certe numquam visa fuisse videtur.

2 De *Neapolitana* illa *Operum Senecae editione*, quae quidem eodem anno M. CCCC. LXXV. impressa perhibetur, quo Romana Epistolarum editio prodiit, doctissimo *Matthiae* adsentior, monenti (in Progr. supra laudato, p. 7.) esse illam Romana posteriorem, et Epistolas Senecae, quas illa exhibet, e Romana editione esse repetitas. At, praeter editionem Romanam, fortasse etiam codex aliquis manu exaratus in consilium vocatus erat a Neapolitano editore.

3 Vetusta illa editio, anni loci que et typographi indicio carens, folia autem suis numeris notata continens CCXXXV, *Vene-*

scriptum, absque ulla (quam quidem observaverim) mutatione expressa est *altera Veneta*, quae vulgo prima haberi solet, qua usus esse Erasmus videtur, quum adornaret suam. Et quidem haud exiguam partem earum lectionum, quae apud Erasmum discrepantes a Romano exemplo reperiuntur, ex ipsa illa priore Veneta editione propagatas esse deprehendi: quarum in numero probae sunt multae, ex manuscripto aliquo codice haud dubie ductae, qui a Veneto editore esset adhibitus; aliae vero etiam praeter rationem ab eodem receptae, nonnullae item fortasse ex errore typographi natae.

Erasmianam vero *editionem* non modo *priorem* illam adhibui, *anno* M. D. XV. impressam, quae a Venetae editionis exemplo rarius discesserat; sed *alteram* potissimum, uti par erat, constanter consului, quae *anno* M. D. XXIX. prodiit, *per Desiderium Erasmum* (ut titulus praefert) *ex fide veterum Codicum, tum ex probatis autoribus, postremo sagaci nonnumquam divinatione, sic emendata, ut merito priorem editionem, ipso absente peractam, nolit haberi pro sua.* Qua in editione, praeter ipsum Epistolarum contextum qualis ab Erasmo constitutus est, consulendae nobis et perpendendae fuerunt breves *Adnotationes*, quae partim singulis Epistolarum Libris (quos XXII. ab Erasmo numerari

tiis haud dubie expressa est, et quidem ante illam, quae paulo minutiore charactere eadem in urbe *anno* M. CCCC. XCII. *per Bernardinum de Coris de Cremona* excusa est, foliisque CCVIII continetur. Quod autem prior illa, quam dixi, in Panzeri Annal. Typogr. T. IV. p. 480. circa annum 1498. excusa perhibeatur, id inde factum videtur, quod in eodem volumine, ex cuius inspectione ducta illa coniectura est, (quemadmodum et in eo volumine, quod equidem prae manibus habeo) simul compactae fuissent *Tragoediae Senecae cum duobus commentariis etc.* impressae *Venetiis anno* M. CCCC. XCVIII. *per Io. Tridinum de Cirreto, aliâs Tacuinum.* Iam quoniam alteram editionem Venetam cum priore illa constanter consentientem reperi, in Notis nostris criticis utramque pro una habui, et brevi hoc indiculo *Ven.* vel *ed. Ven.* insignivi. Sicubi vero dissentientes reperero, ibi altera nobis *ed. Ven.* 1. erit, altera *Ven.* 2.

supra memoravi) subiectae sunt, partim in *Appendicem* (p. 268 sqq.) relectae.1 Et praeclarissime omnino, in altera praesertim editione, cum de caeteris Senecae scriptis, tum de Epistolis huius Philosophi meruit *Erasmus*; incredibilem numerum errorum, quibus foedatae erant superiores editiones, prodigiosasque librariorum hallucinationes, cum ex probatiorum codicum auctoritate, tum ex suo aut aliorum doctorum virorum ingenio, felicissime corrigens. Sed idem plurima etiam ulcera, quibus eaedem laborabant editiones, intacta reliquit; alia vero, quum sanare conaretur, tacite incrustans, hoc ipso, quod vix amplius adparerent, propemodum insanabilia reddidit; denique locis etiam bene multis, quae vel nulla indigebant medicina, vel quae alia ratione curanda erant, vitiosam lectionem, aut certe minus probabilem, (quam offerebat quidem vetus aliquis codex, sed is parum emendate scriptus, et nostro persimilis recentissimo Argentoratensi) probatae praetulit scripturae, quae vel edita ante ipsum erat, vel quam alii codices erant oblaturi. 2

Iam quum ab *Ant. Mureto*, elegantis acrisque ingenii viro, multa quidem e manuscriptis codicibus, cum aliis, tum his praesertim quorum lectiones Pincianus in publicum emiserat, in Senecae Epistolis emendata esse, plu-

1 Quoties in notis criticis nude *ed. Erasm.* nominatur, toties *altera* potissimum *Erasmi editio* fuerit intelligenda. Sicubi vero commodum nobis videbitur de dissensu utriusque editionis monere lectorem, ibi eas hisce indiculis distinguemus, *Erasm. ed.* 1. et *Erasm. ed.* 2.

2 Fortasse ex vetere editione *A.* (quae et ipsa nostrum mstum *e.* propinqua cognatione attingit) lectiones eius generis, quas dico, hauserat Erasmus. Silet tamen de ea editione in Praefatione, quum interim praedicare non praetermiserit, Tarvisinae editionis usum sibi fuisse concessum. Caeterum, quamquam emendationum nonnullarum contextui a sese adlatarum rationem in subiectis Notis reddiderit, longe plurimam tamen illarum partem in eisdem Notis silentio praeteriit; quo fit, ut, quid ex veterum librorum auctoritate, quid ex ingenio et coniectura ab eo correctum sit, non nisi aegre discernas.

rima vero etiam ex ipsius ingenio, aut ex Erasmi vel Pinciani coniecturis, tacite mutata et in contextum recepta intellexissem, 1 quorum deinde alia quidem a Lipsio ad

1 Gravem censuram eo nomine in *Muretum* peractam videas a *Lipsio* in Praefat. ad suam Senecae editionem; sed graviorem etiam, ante Lipsium, a *Grutero* in *Animadversionibus in Senecae opera*, cum multis aliis locis, tum p. 694. ubi, *Nuper*, inquit, *extitit Muretus, qui nulla fere adiutus calamo exaratorum codicum ope, plerasque tamen lectiones, quas produxerant de veterum librorum penu Erasmus et Pincianus, pro legitimis Senecae clam recepit in contextum: quod ut nemo valde culpaverit, ita necesse est omnes ei malam habeamus gratiam, quod et utriusque illius quem dixi hominis divinationes pari praeterea dignatus sit honore; nec hoc tantum, sed et suas quoque hariolationes nimis quam frequenter eodem collocaverit dignitatis gradu, haecque omnia adeo dissimulanter, adeo furtive, ut vix semel atque iterum istius sui facinoris lectorem monuerit, omnesque ideo facile lateat qui non plura comparent exemplaria.* Quapropter parum apte dictum videri debet, quod nuperus Editor Lipsiensis in Notis ad Senecam subinde ait, (veluti ad Epist. XXVI. p. 86. l. 1. nostrae edit.) *Muretum vulgatam lectionem tenere;* ubi rectius dicturus erat, *Mureti ingenio et coniecturae deberi lectionem inde ab illius aetate vulgatam.* Nec vero commeritus erat *Muretus*, ut eâ acrimoniâ perstringeretur, qua nimis frequenter a Grutero perstrictus est. Vide modo, quam ingenua, quam virilis, nec profecto inverecunda, sit illius oratio, ubi de Emendationibus suis loquitur. In Notis ad Epist. VIII. postquam emendationem retulit, corruptis vulgo verbis, *Quod ego tibi videor interim suadere*, a se adhibitam, quae mihi quidem non minus commoda, quam necessaria videtur, sic pergit: *Sed ego talia plerumque tacitus praetermitto. Quid enim lectoris interest scire, quis primus ita emendaverit? Relinquamus haec adolescentulis, qui unam aut alteram literam corrigere, putant esse idem quod olim vincere Olympia. Ego quae scribo, non gloriolae meae causa scribo, sed utilitatis alienae.* Sed ne omnia quidem, in quibus Mureti editio ab Erasmiana discedit, ab *ipso Mureto* primum invecta sunt: sunt passim nonnulla, quae iam ante illum a *Coelio Secundo Curione* aut a *Vincentio Prallo* temere obtrusa Senecae erant; cuius generis sunt e. g. in Epist. XX. (p. 63. nostr. ed. l. 27.) duo verba, *tunc enim*, quae tam contra omnium codicum fidem, quam praeter necessitatem, primum adsuta reperi in editione *Basileensi ex offic. Hervag. per Euseb. Episcopium, M. D. LXXIII.* in qua quidem nonnisi *Erasmianum* maxime repetitum est exemplum,

superiorum editionum aut ad aliorum manuscriptorum normam fuissent reficta, alia vero ad nostram usque aetatem in eas Senecae editiones, quibus vulgo utimur, propagata essent; circumspicere coepi *editionem* eam, quae *ab ipso Mureto* in lucem proferri coepta, paulo post eius obitum Romae *anno* M. D. LXXXV. prodiit. Quam quum frustra quaesissem, satis habere debui, quod et *contextum* qualis erat a *Mureto* constitutus, et eiusdem *Mureti Notas* * duae editiones, quae ad manus erant, exhiberent; altera *Commeliniana*, cui titulus, *L. Annaeus Seneca a Variarum Lectionum libris* V. *per Euseb. Episcopium* excusa prodiit: quae editio in promtu quidem mihi fuit, sed, quippe quae nihil praecipui haberet, rarius inspecta; nam et *Varias Lectiones*, quas collegit *Gothofredus*, aliunde cognitas habebam, et *Coniecturas* eiusdem consectari, quarum plurima pars recte a *Grutero* explosa est, operae pretium non duxi.

sed cuius in fronte, immani hiatu, *Post herculeos Coelii Secundi Curionis labores, Vincentii Pralli operâ et studio innumeris in locis restituta Senecae opera* praedicantur: nec vero dubito, iam ante a *Curione* adsuta illa verba fuisse in superiore editione *Basil.* M.D.LVII. quae eiusdem *Curionis vigilantissimâ curâ castigata* perhibetur. Et eiusmodi quidem alia nonnulla, temere ab his ante *Muretum* iam invecta, adnotasse mihi videor: sed quum *Curionis* caruerim editione, istam autem *Pralli* rarius inspexerim, intelligo accidere mihi potuisse, ut in Notis nostris criticis nonnumquam lectionem aliquam a *Mureto* primum invectam esse perhiberem, quae ex una aut altera istarum, quas modo nominavi, Basileensium editionum in Mureti exemplum manasset. Ex earumdem Basileensium editionum altera expressae sunt quoque, ut reliqua *Senecae opera*, sic et *Epistolae*, in illa editione, quae *formâ octavâ* itidem *Basileae anno* M. D. XC. *cum Dionysii Gothofredi ICti Coniecturis et*

1 *Notae* quidem *Mureti* ad rem criticam spectantes, quibus emendationum aut mutationum a se adlatarum fontes indicaret, oppido paucae sunt: quo fit, ut eis in locis, ubi ille a nostris libris in diversum abit, difficile subinde iudicatu sit, utrum ex ipsius coniectura, an ex vetustis codicibus ductum sit id quod illius editio exhibet. In eisdem Notis (ad Epist. LVIII.) quum meminisset vetusti codicis, e Sicilia tunc maxime ad se delati, quumque paucas ex illo lectiones commendasset, mox nullum amplius verbum ex eodem retulit, ut prorsus seposuisse illum librum, neque porro inspexisse, videatur.

M. Ant. Mureto correctus etc. MDXCIII. altera *Parisina* M. DC. II. qua *Romanam Mureti editionem ad unguem expressam* esse *Nic. Faber* in praefatione adfirmat. Ex eademque Parisina editione etiam *Pinciani et Opsopoei* Lectiones cognovi (de quibus supra dixi) e codicibus msstis Epistolarum Senecae depromtas; quarum illae in *Fernandi Pinciani in Senecae scripta Castigationibus ex vetustissimorum exemplarium collatione*, pag. 505. et seqq. huius editionis, hae vero in *Collectaneis et Notis in L. Annaeum Senecam* ibid. p. 617 sqq. continentur. 1 *Gruteri* vero Lectiones, ex quinque codd. msstis excerptas, (de quibus itidem supra dictum est) hausi ex eiusdem *Gruteri Animadversionibus in Senecam*, *anno* M. D. XCIIII. *e typographeo Hier. Commelini* in lucem emissis: in quibus nec supplementa neglexi, quae in *Appendice* p. 991 sqq. exhibentur.

Iam Mureto longe circumspectius Senecae opera *Iustus Lipsius* tractavit; quem virum, ut de universa Stoica philosophia, sic praesertim de huius Philosophi scriptis, praeclarissime promeritum esse inter omnes constat. Hic igitur quod de opera Senecae scriptis in universum a se praestita professus est, id ipsum in *Epistolis* Philosophi nostri fideliter et egregie praestitum reperi. Scilicet in *Praefatione* ad *Senecae Philosophi opera*, *Antwerpiae ex offic. Plantin. anno* M. DC. V. a se edita, collaudatis Erasmi, Pinciani, Mureti, Gruteri in eumdem auctorem meritis, *in constituendo contextu suos se*, ait, *aut alienos libros veteres* (eos puta, quorum Lectiones a praedictis viris in

1 *Pinciani Castigationes* primum, ni fallor, in lucem emissae erant in ea Operum Senecae editione, quae *Venetiis anno* M. D. XXXVI. prodiit: quae mihi numquam visa est. Exhibebat autem ea editio contextum ab Erasmo constitutum, ad quem referebantur *Castigationes* illae, i. e. Emendationes cum ex msstis libris, tum ex ingenio, quod acutum et sagax, neque eo minus modestum *Pinciano* inerat, propositae. Nec vero *Nicolai Fabri primam editionem* videre mihi contigit, quae *Parisiis anno* M. D. LXXXVII. prodiit: nec satis scio, sed non dubito iam priori illi editioni *Collectanea et Notas Opsopoei* insertas fuisse.

publicum fuissent prolatae) *ita esse secutum, ut suo iudicio*, quae proba ipsi visa essent *eligeret*, prava *reiiceret*, *adeoque Textum totum reformaret. Non cito* (inquit porro) *passim libros, fateor: quid opus est? Semel hic moneo et clamo, quidquid est, ab iis esse. Pauca sane a coniectura nostra; nisi sicubi ea ita clara est, ut pervicacia sit dubitare.* 1 *Reliquas, nec paucas aut improbas, magis visum fuit Notis inserere arbitrandas.* Quae quum ita sint, minime nobis negligendus fuit contextus a *Lipsio* constitutus, quum praesertim inde ab illius aetate usque ad haec nostra tempora omnes fere Senecae editiones, quae ante nuperam Lipsiensem prodierunt, ad *Lipsianae editionis* exemplum sint expressae, paucis locis exceptis, quibus vel a *Gronovio* emendatio quaedam adlata est, vel aliud aliquid (nescio quo casu, quave fiducia) in nonnullis editionibus, quae post Gronovianas prodiere, subinde fuit mutatum. Et quidem veritus ne in earum etiam editionum aliqua, quae repetitum *ipsum Lipsianum exemplum* exhibere profiterentur, passim alia quaedam scriptura, sive per operarum errorem, sive per correctoris typographici temeritatem, in locum scripturae ab ipso Lipsio receptae irrepsisset; eamdem illam *primam editionem*, quam paulo ante memoravi, unam a *Lipsio* etiam tunc superstite curatam, sepositis aliis adhibendam putavi. 2

1 Illud tamen subinde accidisse *Lipsio* deprehendi, (quod quidem cui non accideret mortalium?) ut, quod ipsi clarum videbatur, etiam atque etiam verendum sit ne id aliis, ac ne iis quidem ineruditis, secus videatur; aut ut, quem locum ipse manifeste corruptum iudicaverat, in eodem alii, recte omnia perpendentes, aut nihil omnino, aut aliud quid atque ille, sint desideraturi. Quo magis necesse est, ut quisquis editor ex coniectura mutare locum aliquem in vetere auctore praesumserit, is de conatu suo moneat semper, et quid in libris scriptum fuerit, quod mutandum ipsi visum fuisset, doceat lectorem. Praeterea haud raro videor mihi observasse, e Gruteri codicibus lectionem aliquam a *Lipsio* fuisse adoptatam, ubi aut proba fuerat scriptura ante eum vulgata, aut ubi meliorem scripturam alii dabant codices.

2 Editionem illam *Antwerpien-*

Denique *Io. Frederico Gronovio* quantum debeat Seneca, neminem fugit, qui vel primis labiis humaniores attigit literas. Qui quidem vir, non minus prudentia modestiaque, quam ingenio et doctrina excellens, et in corrigendis corruptis veterum auctorum locis nimium fere timidus, in Lipsiano contextu nonnisi pauca (ut modo dicebam) mutavit; de plurimis vero corrigendis in egregiis *in Senecam Notis* perspecte monuit, et corruptis etiam tunc locis bene multis praesentem ibidem adtulit medicinam, cum ex msstis codicibus, 1 tum subinde ex perspicaci coniectura paratam. Gronovianum contextum eiusdemque viri Notas exhibuit mihi illa *Operum Senecae* editio, quae cum Notis variorum doctorum virorum *Amstelodami apud Dan. Elsevir.* MDCLXXII. tribus voll. forma oct. prodiit, non illa ab ipso quidem Gronovio curata; sed cui praefatus Dan. Elsevirius profitetur, exhiberi in ea *contextum illum, quem Gronovius dederat ultimum*, (eum puto, qui in *minori Elseviriana* anno MDCLVIII. repetita continebatur,) *Notasque eiusdem omnes* esse adiectas. Quum *altera* illa *minor Elseviriana*, quam modo nominavi, non esset ad manus; in locis nonnullis, ubi dubitatio aliqua mihi obiecta erat, *priorem* inspexi, quae anno MDCXLIX. prodiit, cuius quarto tomo *Gronovii Notae* continentur.

sem anno M. DC. V. procusam constanter ob oculos et in animo habui, quoties in Notis nostris criticis *Lipsii editionem* (hoc scripturae compendio utens, *ed. Lips.*) citavi. In eisdem Notis, ne ambiguitate falleretur Lector, nuperam *Lipsiensem editionem* numquam hoc titulo citavi; sed, ubi de ea agitur, constanter Editoris *Ruhkopfii* nomine hanc insignivi.

1 *Tres codd. msstos* Epistolarum Senecae praesto fuisse *Gronovio* reperio: primum, *membranas quae aliquando fuerant Gruteri, nondum tamen cum suas Animadversiones ederet;* quarum membr. mentionem fecit in Praef. ad minorem edit. Elsevir. 1649. Quibus accessere deinde (ut docet idem *Gronov.* in Praefatione decennio post scripta, quum repeteretur eadem minor editio Elseviriana) duo alii codices, alter *Erfurdensis*, (non confundendus cum Amploniano, de quo supra dictum) alter *Nic. Heinsii;* ac praeterea ex duobus codicibus Bruxellensibus aliisque excerptae Lectiones.

Nuperam *Ruhkopfii editionem* constanter a me fuisse inspectam, nil opus est, ut conceptis verbis profitear. Qua de editione hoc loco iudicium interponere meum non praesumam: inter illam et nostram (quod ad Contextus constitutionem pertinet) quid intersit, eruditus aequusque Lector, Senecae nostri studiosus, sive ex utriusque inter se collatione, sive ex his, quae in Notis nostris adferuntur, aestimaverit. Illud interim ingenue profiteor, gavisum me esse multis probis lectionibus in contextum a *Ruhkopfio* passim receptis; alias doluisse, parum feliciter (ut mihi videbatur) adoptatas; plurima vero loca intacta relicta, quibus haud dubie corruptis paratam medicinam offerebant eae copiae, quae Editori, quum Senecae Epistolas recognosceret, praesto fuerant, et miratum esse et aegre tulisse.

Istis igitur, quae hactenus exposui, quum instructus essem praesidiis, nihil magis habueram in votis, quam ut satis otii mihi superesset, quo cuncta, quae ad iudicandam veram genuinamque auctoris scripturam pertinerent, minutatim excutere, et ea qua par erat diligentia perpendere possem. Sed enim, hinc urgentibus aliis occupationibus, ac subinde etiam impediente oculorum debilitate, illinc typotheta instante, et elaboratam materiam flagitante typis exscribendam, deproperanda plerumque opera fuit, ut multum intra voluntatem substiterit effectus. Quod ut ipse magnopere doleo, sic id quod a nobis praestitum est, qualecumque illud sit, aequi bonique consulat studiosus Lector velim.

Atque his ita praemissis, nihil habeo quo morer amplius Lectorem; nisi quod de *orthographia*, quam vel codices nostri tenent, vel quam nos in huius editionis exemplo secuti sumus, nonnihil adhuc in universum dicendum mihi intelligam. Scilicet primum, in ea scribendorum verborum ratione, qua utuntur codices mssti quibus Senecae Epistolae continentur, (vetustiores praesertim, ut *Arg. a.* et *b.* et Parisini quos Emmericus no-

ster excussit, aut quos Opsopoeus tractaverat,) multa sunt, quae pariter quidem et in aliorum Auctorum priscis codicibus, et in inscriptionibus quoque vetustis passim occurrunt, omninoque multis etiam doctis viris olim fuerant in usu: [1] quae tamen equidem, quoniam pro antiquatis hodie fere ab omnibus habentur, et ab usu nunc ubique recepto nimis abhorrere mihi videbantur, non adoptavi; contentus ea scriptura, quam in plerisque editionibus inde a Lipsio vulgatis, ac praesertim in nuperrima Francofurdensi editione (cuius exemplum, eis in locis ubi opus videbatur a nobis correctum, typis exscribendum dedi) usurpatam repereram. Huc pertinet v. gr. quod in vetustissimo nostro ms. *a.* constanter *epistula* et *adulescens* scribitur, per *u* literam, pro *epistola* et *adolescens.* [2] Porro *cotidie* vel *cottidie*, et *cocus*, et similia constanter fere scribunt codices nostri, vetustiores praesertim: nos tamen *quotidie* et *coquus* tenuimus. Sic *secutus* praeferre codex *a.* cum aliis solet; nos *sequutus* scripsimus, quod subinde etiam in *cod. b.* reperimus. Voculam *cum*, sive praepositio fuerit, sive temporis adverbium, sive caussalis coniunctio, constanter per *c* literam efferunt codices nostri omnes: [3] at probavi equidem discrimen inter *cum* praepositionem et *quum* tempus aut caussam significans, in Ruhkopfii et Matthiae editionibus diligenter observatum. Porro *temptare*, (pro *tentare*,) *dampnare*, *contempsi*, *sumptus*, et similia, constanter scribunt codices nostri; quibus in verbis neglecta a nobis *p* litera

1 Huius generis nonnulla *Quintilianus* attigit, Instit. lib. I. cap. 7. De singulis autem consuli potest *Dausquii Orthographia Latini sermonis vetus et nova*, Par. 1677. in fol.

2 Ex eodem more *u* pro *o* ponendi nata videri poterat scriptura *iucundus*, quam tenuit idem cod. *a.* et nos cum illo; pro qua sequiores mssti (nostri *b.* et *c.* cum aliis) *iocundus* ponunt, quasi a *iocando* derivata vox esset, quam a *iuvando* deducere Cicero maluerat.

3 Obtinuisse tamen olim etiam scripturam *quum* in vetustissimis Senecae codicibus, in *Nota* ad Epist. 1, 4, 5. docui.

est.[1] *Exequi*, *exilium*, *expectare* plerumque scribunt iidem codices; ubi equidem non invitus literam *s* tenui, quam post *x* insertam nuperae editiones exhibebant. *Monstruosus* passim scribunt libri nostri, ubi vulgatum *monstrosus* tenui.[2]

Accedo ad ea, in quibus secutus sum librariorum nostrorum, ac vetustiorum praesertim, praescriptum. *Quicumque*, *numquam*, *tamquam*, et similia, constanter per *m* literam ante *q*, non per *n*, scribuntur in vetustissimo nostro codice; quem eo libentius in his sum secutus, quod et alioquin eidem scribendi rationi ipse adsuetus eram. *Causa* per simplicem sibilantem efferunt omnes; quod equidem tenui, licet aliâs geminam ponere consuetus. *Sollicitus* vero, et quae ad idem thema pertinent, geminata *l* litera ex perpetuo codicum nostrorum consensu scripsi. Item *quotiens*, *totiens*, *milliens* ex eorumdem constanti scriptura adoptavi. *Mehercules*, non *mehercule*, perpetuo scribit noster *a*., quam scripturam eis etiam in locis, quibus deficit codex, secutus sum. Idem *prendere* et *urguere* praeferre solet, ubi alii *prehendere* et *urgere*; quibus equidem promiscue usus sum. Sed in compositis maxime verbis eam inii rationem, quam, licet praeiverint probatissimi libri veteres, tamen non omnibus probatum iri lectoribus praevideo. Scilicet in verbis, quae

1 Notari tamen huiusmodi mos librariorum debet; quia tali ex observatione nonnumquam corrupto cuidam loco medicina perquam probabilis, aut vero etiam certissima, adferri potest: cuius generis exempla reperiet Lector in Epist. XIV. p. 44, 25. et Epist. LXXII. p. 244, 1.

2 Porro, *vicium*, *ocium*, *negocium* scribunt paulo iuniores codices: nos cum vetusto *a*. literam *t* in huiusmodi vocibus tenuimus. Iuniores item, sed illi tamen ex nostri codicis *b*. familia, *capud*, *velud*, *inquid* solent scribere; et, vice versa, *aput* pro *apud*: quae equidem, uti par erat, repudiavi. Taceo alia, et in his aspirationem *h* aliâs praeter morem nostrum adiectam, ut *harena*; aliâs omissam, ut *ortus* pro *hortus*: quae quidem et ipsa iuniorum magis, quam vetustiorum, sunt codicum.

cum praepositionibus nonnullis composita sunt, ubi ultimam praepositionis consonam cum prima consona verbi colliquescere volunt, non solum vetustissimus noster codex *a.* nativam praepositionis consonam pertinaciter plerumque servat, verum eiusdem moris frequentia etiam vestigia in aliis codicibus (in paulo vetustioribus praesertim, ut in nostro ms. *b.* et *Par. b.* aliisque quibus Opsopoeus usus erat, sed subinde etiam in recentioribus) servata deprehenduntur. Et in verbis quidem ex *ad* compositis neminem magnopere offensum iri confido, quum ex. gr. *adsidere* et *adsiduus* a nobis scriptum viderit, et *adficere*, *adfectus*, *adfirmare*, *adgredi*, *adligare*, *adquirere*, *adpellare*, *adsumere*, *adtendere*, *adtuleram*, et his similia,1 quae alioquin etiam multorum doctorum virorum usu trita sunt. Nec illa facile reprehendet aliquis ex *sub* composita, *subripere*, Ep. I. l. 2. ex mss. *a.* et *b.* et Ep. LXXVIII. p. 281, 7. ex mss. *b.* et *c.* aut *subfusa*, quod Opsopoei membranae in Ep. LXXVII. p. 277, 6. dedere: nec *summovere* aut *summittere* aliaque talia maluerit, quam, quod nos cum msstis dedimus, *submovere*, *submittere*.2 Iam

1 Tamen *attonitus*, *attinet*, et alia nonnulla, absque *d* litera scripsi, consentientibus libris omnibus.

2 Aegrius fortasse aliquis passurus fuisset *substollat*, quod in Ep. 71. pag. 240, 19. dabat ms. *b.* cum ed. Rom. aut *substineat*, quod habet editio Rom. in Epist. 86. p. 324, 21. quae quidem adoptare dubitavi, auctoritatem vetusti codicis *a.* desiderans, qui illa parte Epistolarum caret. Subinde vero etiam, at perraro tamen, invito eodem codice (quippe non satis constante sibi) verbum aliquod ad analogiam reliquae scribendi rationis conatus sum refingere; quo modo *subcrescit* pro *succrescit* scripsi, Epist. 90. p. 8, 17. Sed *succidere*, *succurrere*, item *occurrere*, *opponere*, *opprimere*, et his similia, ut idem cod. *a.* cum aliis dabat, sic tenui; quamvis ex paritate rationis *subcidere*, *subcurrere*, *obcurrere*, *obponere*, *obprimere* scribi debuisset, quemadmodum etiam *obcaecat* (non *occaecat*) cum eodem cod. *a.* editiones quoque omnes inde a principe Romana dedere. Et simillima quidem ratione etiam *subcumbere* scribit codex noster *b.* cum ed. Rom. in Ep. 71. p. 240, 25. ubi tamen vulgatum *succumbere* tenui, quoniam ibidem paucis ante ver-

vero verba ex *cum* composita ita format codex *a.* ut syllabam *con*, quae in istis verbis loco illius praepositionis poni solet, constanter fere ibi etiam teneat, ubi vulgo *n* litera cum sequenti consona colliquescit, aut ubi *m* proprium suum locum occupare solet. Igitur *conlocare* scribit, et *conlaborare*, *conparare*, *conplecti*, *conponere*, et his similia: in qua quidem scribendi ratione itidem sequi codicis huius auctoritatem, cui item alios passim suffragari videbam, 1 non dubitavi. Atque etiam constanter eamdem ubique secuturus eram rationem: sed, quum subinde vacillantem ipsum praecipuum nostrum codicem, ac ne in his quidem satis semper sibi constantem deprehendissem, 2 quumque in maiore parte harum Epistolarum nonnisi iis codicibus uti mihi licuerit, in quibus plerumque ad vulgaris moris normam mutata vetus scriptura est, haud raro ipse incertus haesi: denique vero sic statui, ne opus quidem esse, ut in hoc genere, in quo sane absque magno incommodo idem etiam scriptor a se ipse subinde dissentire potest, summa ubique constantia teneatur. Similis ratio est verborum ex *in* composi-

bis *succidere* scribitur consentientibus libris. Rursus *omittere* tenui cum *cod. a.* et recentioribus editionibus; licet ad analogiam veteris scripturae supersit *obmisso principio* in ed. *A.* et ed. Rom. Epist. 95. p. 57, 24. et *obmissis* (pro *omissis*) in ed. Rom. Ep. 108. p. 139, 8. Denique potueram cum cod. *a. suptilis* scribere, et *optere*, *optinere*, et similia, quo de genere Quintilianus monuit I. 7, 7. et ibi Gesnerus: sed non magis in istis imitari hunc codicem placuit, quam in his quae in eodem subinde posita vidi, *subplicium*, pro *supplicium*, aut *subpremus*, pro *supremus*, aut (quod codex *b.* amat) *subpellex*.

1 Sic, ut alia omittam, scripturam *conlevatur* Epist. 64. p. 196, 6. (quae Epistola in *cod. a.* non continetur) ex vetustiore aliquo codice tenuerunt nostri mss. *b.* et *c.* cum ed. *A.* et ed. Rom. quae scriptura etiam ex ed. Rom. in omnes alias propagata est. Eodem pertinet, quod in nostro ms. *c.* vetus scriptura *conmittenda* servata est in Ep. 88. p. 317. l. 1.

2 Nempe idem codex passim rursus *complecti*, *componere*, *comparare* scribit. Idemque in verbis *colligo*, *corrigo*, *corruo*, constanter *n* literam in eam mutat, a qua simplex incipit verbum.

torum: in quibus cum eodem nostro cod. *a.* (cui rursus in hoc genere frequenter suffragantes alios deprehendi) literam *n*, quae ex vulgata scribendi ratione aut in proxime sequentem consonam aut in *m* mutatur, illibatam plerumque reliqui. Itaque *inbecillus* scripsi, et *inligare*, *inlinere*, *inlaboratus*, *inmensus*, *inmerito*, *inpedire*, *inpetus*, *inponere*, *inpune*, *inrationalis*, *inritare*, *inritus*, et id genus alia: subinde vero etiam, eodem vetere codice praeeunte, aut ubi eius auctoritas prorsus desiderabatur, vulgatam scripturam *impetus*, aut ex eodem genere aliam in aliis verbis,1 tenui. Quo in universo genere, ad verborum recte scribendorum rationem spectante, si qua admisi quae minus placuerint erudito Lectori, aut si quem omnino mea in hoc genere offenderit inconstantia; etiam atque etiam equidem velim, ut in tota hac opera, quam commodi publici studio Senecae navavi, nihil admodum gravius a me peccatum deprehendatur. Scripsi Argentorati, mense Augusto, anno M. DCCC. IX.

1 Sic, ut hoc utar, licet *inpedire*, *inponere*, et similia constanter per *n* scribat codex noster, tamen *imperare* ubique per *m* scripsi, eodem codice praeeunte.

IN SENECAE EPISTOLAS
NOTAE CRITICAE.

Pag. 3. Titulum libri fecimus *L. Annaei Senecae ad Lucilium Epistolae Morales;* adiecto, quod vulgo aberat, postremo vocabulo. Ita enim non solum A. Gellius Noct. Att. XII. 2. citat hasce Epistolas; qui quidem quod ex *libro vicesimo secundo Epistolarum Moralium, quas ad Lucilium Annaeus Seneca composuit*, plura quaedam verba profert, quae in nulla ex eis Epistolis leguntur quae ad nos pervenerunt, ea de re in Praefatione diximus, ubi de vetustissimo codice Argentoratensi disputavimus: verum eiusdem tituli clarissima etiamnunc vestigia quaedam in eodem, quem modo commemoravi, codice msto supersunt; in quo post eam Epistolam quae vulgo XCV. numeratur, haec leguntur: *L. Annaei Senecae ad Lucilium liber XV. Epistolarum moralium explicit:* rursusque post Epist. CIX. *L. Annaei Senecae ad Lucilium Epistolarum moralium liber XVIII. explicit.* Ex eodem titulo, hisce Epistolis olim inscripto, manavit id quod in vetustissima ed. Rom. post spurias illas epistolas, quae Paulo Apostolo et Senecae tribuuntur, his verbis legitur: *In illo sequenti Codice continentur epistolae moralium rerum quas composuit vir eloquentissimus Lucius Anneus Seneca* etc. quae verba eodem tenore in ed. Tarv. repetuntur. Eodemque puto pertinet, quod in eadem ed. Tarv. et in duabus vetustissimis Venetis in fine Epistolarum haec subscripta sunt, *Liber Epistolarum moralissimi Senecae finit foeliciter:* istud enim vocabulum *moralissimi* utique ex *moralium* deflexum videtur.

Lucilium constanter recte nominant mss. *a.* et *b.* cuius nomen partim *Lucillum*, partim *Lucillium* efferunt recentiores mssti, et editiones vetustiores. *Iunioris* cognomen, quod in ed. Matth. adiicitur, in nullo librorum nostrorum reperitur.

Argumenta, quae singulis Epistolis praeposuimus, *Iustum Lipsium* habent auctorem.

EPIST. I.

Seneca Lucilio suo Salutem! Salutationem istam, quam ignorant vulgo editi, constanter Epistolis omnibus inscriptam exhibent nostri mssti *a.* et *b.*

Lin. 1. *Ita fac.* Temere *fac* omisit unus noster *Arg. b.* *Ita fac ergo* habet ed. Rom. et Tarv. Particulam importune intrusam ignorant reliquae editt. cum msstis omnibus, qui ad notitiam nostram pervenerunt. *l.* 2. *subripiebatur* scripsi cum *Arg. a.* et *b.* pro vulgato *surripiebatur.* Sed de universo hoc genere orthographiae, quod in scribendis verbis compositis securi sumus, ex professo in Praefatione diximus.

l. 3. *Persuade tibi hoc.* Sic nostri codd. *a.* et *b.* et *Paris. a. b. d.* cum tribus optimis msstis Gruteri et cod. *Amploniano Erfurdensi*, quo usus est clar. Matthiae: sic item editiones ante Lipsium omnes, excepta vetustissima ed. *A.* quae cum nostro ms. *c.* habet *Persuade sic esse ut tibi scribo.* Pronomen *hoc* ex editis libris primus eiecit *Lipsius*, quum desiderari illud in duobus aliis Gruteri codicibus comperisset. At idem pronomen cum alibi saepius, ubi abesse posse videbatur, inserere Seneca consuevit, tum Epist. VI. l. 2. et initio Epist. XVI. Conf. Gronov. ad Ep. XX. not. 2. et quae a nobis ad Ep. LIII. p. 158, 24. notabuntur.

l. 4. *quaedam tempora.* Ut multa alia passim, sic particulam *enim* hoc loco inculcat codex noster *c.* et, quae cum illo fere facere solet, ed. *A.* *l.* 6. *est iactura. iactura est* ms. *c.* et ed. *A.* *Ibid. negligentiam. neglegentiam* ms. *a.* et *Ampl.* Sic item alibi constanter noster *a. neglegere, neglegens*: similiterque idem paulo post, *intellegat.* Qua de scriptura consuli potest Dausquii Orthogr. p. 209. et p. 167. Mox *l.* 7. *fit* uno consensu dedere nostri codd. *a. b. c.* cum tribus *Paris.* et tribus optimis msstis Gruteri: sic item editt. omnes ante Lipsium, qui *venit* recepit ex duobus aliis mss. Grut. et ex ora Erasmi.

l. 7. *et* 8. *maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus.* Sic editt. Rom. Tarv. Ven. cum nostris mss. *a.* et *b.* et *Par. a. b. d.* et *Ampl.* aliisque Gruteri: quam scripturam, ut haud dubie veram, iam olim ex quatuor Gallicorum codicum consensu commendaverat Op-

sopoeus, quum permutata verborum sede primum *magna pars*, dein *maxima nihil ag.* posuisset Erasmus, ut scribitur in nostro recentissimo cod. *c.* et in ed. *A.* *l.* 9. *tota vita aliud agentibus.* Vocab. *vita*, quod inde ab ed. Ven. 1. omittebatur vulgo, recte adiectum dedere nostri *a.* et *b.* cum *Ampl.* et *Par. a. b. d.* aliisque melioribus libris. In nostro *c.* vox *vita* inter lineas adscripta est. Pro *aliud* temere *aliquid* ponitur in ed. *A.*

l. 11. *aestimet.* *extimat* ms. *c.* sic et alii nonnumquam; unde subinde permutata inter se verba *aestimare* et *existimare*, quemadmodum hoc ipso loco *existimet* habet ed. *A.* *Ibid.* *intelligat.* *intellegat* ms. *a.* ut supra monui. Mox *cotidie* pro *quotidie* et hic et alibi scribunt *a.* et *b.* *cottidie* ms. *c.* *l.* 12. *mortem prospicimus.* Sic recte editur inde ab Erasm. ed. 2. consentiente nostro *Arg. a.* et *Par. a. b. d.* aliisque optimis quibusque libris: superne autem in *Par. a.* et *b.* adscriptum scholion, *quasi procul esse coniicimus.* Perperam noster *b.* cum ed. Rom. habet *mortem non prospicimus*: et in *Par. d.* particulam *non* recentior manus adiecit. Contra noster ms. *c.* et ed. *A.* in contextu ponunt *mortem procul esse coniicimus*; inter lineas vero in *c.* haec adscripta, *prospicimus*; *remotam esse putamus.*

l. 13. *quidquid.* Sic noster *c.* quam scribendi rationem, inde a *Lipsio* vulgatam, constanter tenui; licet *quicquid* scribant *a.* et *b.* cum h. l. tum plerumque alibi. (Sic p. 4, 6. *quicquam* scribunt iidem mss. *a.* et *b.* ubi nos cum *c.* tenuimus *quidquam*, et ipsum ab eodem inde Lipsio vulgatum.) Paulo ante in verbis *pars eius*, et mox in illis *retro est*, nil mutant libri nostri. In *Amplon.* vero scribitur *eius pars*, et *est retro.* *l.* 16. *ex crastino pendeas.* Unus noster cod. *a.* habet *de crast. pend.* *l.* 18. *mi Lucili.* Abest *mi* nostro *b.* et *Ampl.* et *Par. a. b. d.* aliisque apud Grut. et Ops. Ac lubens delevissem hoc loco voculam, paucis ante lineis recte adpositam; nisi eamdem cum editionibus omnibus hic repetiisset noster vetustissimus cod. *a.* cui suffragatur noster *c.* et Coloniensis Gruteri.

Pag. 4. *lin.* 1. *rei unius fugacis.* Sic perspicue tres nostri mssti, cum aliis; non, *nimis fugacis*, quod est in edd. Ven. et Erasm. et quod in uno suorum codicum repererat Gruterus. Vulgatum *unius*, quod iam in ed. Rom. et Tarv. legebatur, restituit Muretus ex Pinciani codicibus. In una ed. *A.* transpositis verbis scribitur *unius rei fugacis.*

l. 2 *sq. ex qua expellit quicumque vult.* Sic noster *Arg. a.* et *Ampl.* et *Par. d.* nec aliter primum scriptum fuerat in nostro *b.* in quo quidem deinde ex *quicumque* factum *quemcumque.* Pronomen *nos*, quod ante *expellit*, inde a Mureto insertum legebatur, ignorant veteres libri nostri omnes; recte, quum modo praecesserit *nos misit.* In ed. Rom. et aliis ante Mur. fuerat *ex qua expellitur quicunque vult.* In ed. *A.* et nostro ms. *c. ex qua nemo expellitur nisi quicunque vult.* In *Par. a.* et in *Par. b.* a sec. manu *ex quo non expellitur quicunque vult.* In ed. *Erasm.* 2. *ex qua expellit quemcunque vult*, quemadmodum in nostro ms. *b.* a sec. manu.

l. 3. *et tanta stultitia.* Sic recte editt. vett. cum nostris msstis *a.* et *b.* et omnibus Opsopoei tribusque Gruteri. *Sed tanta stult.* habet noster ms. *c.* et ed. *A.* quod amplexus est Muretus, et ab aliis vulgo receptum. *l.* 5. *quum impetravere.* De scriptura *quum*, pro eo quod in libris nostris constanter *cum* est, in Praefat. dixi. Obtinuisse tamen in vetustioribus olim codicibus scripturam *quum*, inde fit verisimile, quod in Ep. XXIX. p. 94, 28. pro *cum* vel *quum* perperam *quam* scriptum in vetustis libris reperitur. In *impetravere*, quod recte a Mureto receptum est, cum aliis praestantioribus libris consentiunt nostri mss. *a.* et *b.* quorum in posteriore quidem *impetraverunt* scribitur. Perperam *perire* ed. Rom. et Tarv. tum *periere* ed. Ven. et Erasm. cum nostro ms. *c.* et *Par. a.* et ed. *A.* *l.* 6. *nemo se iudicet.* Sic verba ista, ad praecedentia relata, primum exhibentur in ed. Erasm. 2., eodem vero modo etiam in msstis, cum aliis, tum nostris *a.* et *b.* Sed, praemissa maiore distinctione, *Nemo iudicat se* scribitur in ms. *c.* et in ed. *A.* et *Nemo se iudicat* ed. Rom. Tarv. Ven. et Erasm. 1. quod ipsum in plerisque etiam e suis msstis ita scribi Gruterus ait. *l.* 8. *ne gratus quidem. nec* pro *ne* habet unus noster ms. *c.* cum editis libris ante Muretum. Cuiusmodi scriptura frequenter alibi ex iunioribus msstis in omnes editiones invaserat, ubi probatiores libri omnes *ne quidem*, non *nec quidem*, dabant. *l.* 10. *Fatebor. Fateor* ms. *c.* et *Ampl.* *l.* 11. *inpensae.* Sic noster *a.* non *impensae.* Sed de hoc genere deinceps monere supersedebo, de quo in Praefatione dictum est.

l. 12. *nihil perdere.* Vulgo *me nihil perdere*, quod et in tribus msstis reperit Gruterus. Sed pronomen personale, quod et alibi passim simili in constructione omittere Seneca consuevit, cum editione *A.* ignorant nostri mss. *a. b. c.* cum

Parisiensibus et omnibus Opsopoei, itemque duobus Gruteri. Conf. not. ad p. 8. l. 6.

l. 14. *Sed evenit mihi.* Perperam vulgo *Sic evenit mihi:* ubi merito mireris, non pridem receptam esse unice veram scripturam, ex quatuor msstis Opsopoei et quinque Gruteri commendatam; quibus accedit ed. *A.* et nostri mssti omnes et *Ampl.*

l. 19. *et bono tempore incipies.* Sic percommode mssti nostri *a.* et *b.* cum quatuor codicibus Opsopoei, quorum in numero est optimus ille Puteanus, ab Emmerico nostro denuo excussus, quem notâ *Par. b.* insignimus; quibus item *Par. d.* accedit. (In *Par. a.* quidem evanida hoc loco est scriptura: in *Amploniano* vero omissa est tota pars postrema huius epistolae, inde a verbis *Tu tamen.*) Sententia est: » et, si iam nunc hoc facere incipies, si iam nunc » incipies tua servare, bono adhuc tempore incipies; non » ita sero ut ego, qui aetate multo te maior, iam nimis » multum perdidi. « Ex iunioribus libris, qualis est noster *c.* et quinque codices Gruteri, ducta erat vulgata scriptura, *et bono tempore uti incipias.* Servaverat tamen veterem scripturam unus etiam ex Gruteri codicibus, ut profitetur ipse in Appendice Animadversionum: sed eidem deinde altera scriptura superinducta est. Verbum *uti* iam olim quidem a Mureto erat eiectum, sed revocatum a Lipsio: *incipias* vero, in coniunctivo modo, tenuerant editores omnes.

l. 22. *Vale.* Verbum hoc, quod in nullius Epistolae calce (non magis quam Salutatio in singularum Epistolarum fronte) vulgo comparebat, constanter ubique in tribus nostris msstis adiectum legitur, exceptis duabus aut tribus (in ms. *b.* quidem octo) prioribus Epistolis; in quibus quum casu potius, quam consilio, fuerit praetermissum, nos ut reliquis Epistolis, sic et hisce ipsis, adiiciendum putavimus. Idem verbum et huic primae Epistolae et aliis omnibus constanter adiectum erat in ed. Rom. Tarv. et Ven. In ed. Erasm. nonnisi in primae et in quartae Epistolae fine desideratur, reliquis omnibus adiectum conspicitur, a Mureto demum undique eiectum deletumque.

EPIST. II.

L. 1. *Ex his quae mihi scribis.* Vulgo *Et ex his.* Delevi otiosam particulam, quam nec codicum msstorum ullus, nec

ulla ex vetustis quas vidi editionibus agnoscit, quae minutam Elsevirianam (anno 1649. procusam) praecesserunt. Inculcata h. l. erat illa particula per hominis errorem, qui, quum in Gruteri Animadversionibus monitum legisset: »Scribe *et ex his*: nam ita omnis scripta lectio.« non animadverterat, spectare illud monitum ad verba mox sequentia *et ex his quae audio*, ubi typothetae errore (in ed. Erasm. 2. primum admisso) perperam praetermissa *et* particula erat.

Pag. 5. *l.* 2. *iactatio*. Perperam *iactantia* ms. *c.* et ed. *A.* *Ead. l.* 2. *compositae mentis*. Vocem *bene*, quae in edd. Ven. et Erasm. praeposita erat, recte ignorant libri nostri omnes. *l.* 4. *auctorum multorum*. Sic mss. *a. b.* et *Ampl.* Vulgo *multorum auctorum*. Puto et alios ex vetustiorum msstorum numero cum nostris consentire: sed leviores huiusmodi varietates adnotare supersederunt Pincianus et Opsopoeus, quibus praesto fuerunt codices antiquitate venerandi. Ne Gruterus quidem haec talia admodum curavit, diligentissimus alioquin in adnotandis suorum codicum ab Erasmiano exemplo discrepantiis.

l. 9. *Vitam in peregrinatione exigentibus*. Sic nostri mss. *a.* et *b.* cum *Ampl.* et *Paris.* Vulgo *In peregrinatione vitam agentibus*. In ms. *c.* et ed. *A.* est *Vitam in peregrinatione agentibus*. *l.* 10. *multa hospitia habeant, nullas amicitias*. In ms. *c.* et ed. *A.* est *hospitia multa habeant, amicitias nullas*. *l.* 11. *accidat necesse est*. Nude *accidit* unus noster *c.* cum *Par. b.* Mox vero pro *iis qui*, quod vulgo legebatur, aut *eis qui*, quod ante Erasmum edebatur, communi consensu codices nostri cum *Ampl.* et *Par. a. b. d. his qui* dedere. *l.* 13. *cursim et properantes*. Sic ed. Mur. et aliae ante Ruhk. cum nostro ms. *a.* et *Ampl.* et quatuor Gruteri codicibus. *properanter* praetulit Ruhk. quod dederunt edd. ante Mur. cum mss. *b.* *c.* et uno ex Gruteri codd. *l.* 14. *corpori accedit*. *accedit corpori* ms. *c.* et ed. *A.* Mox, non *sumtus* scribunt codd. nostri et ed. *A.* et *Rom.* sed *sumptus*; et paulo post, *temptantur*, pro *tentantur*: quo de genere in Praefatione dictum est. *l.* 15. *aeque sanitatem*. *eque tum sanitatem* ms. *b.*

l. 17. *in quo medicamenta tentantur*. Sic recte editt. Rom. Tarv. et Ven. rursusque ed. Mur. cum msstis nostris *a. b.* *Ampl.* et *Par. b. d.* quibus et alii codices, ab Opsopoeo excussi, haud dubie adsentiebantur. *in quo crebra med. tent.* edidit Erasmus, quod est in nostro ms. *c.* et in ed. *A.* Dein

crebro medic. tent. ex tribus msstis enotatum a Grutero arripuit Lipsius, et tenuere post illum editores omnes, inficete inculcato ex interpretatione vocabulo, quod minime desiderabatur: nam, ex Senecae mente, *tentare* (sive *temptare*) *medicamenta* idem valet ac id, quod modo dixerat, *crebro mutare remedia.* Aliud interpretamentum, paulo etiam commodius, Senecae verbis infulciunt alii duo codices eiusdem Gruteri, sic habentes, *in quo medicamenta diversa tentantur.*

l. 19. *ut in transitu prosit.* Vulgo *quod in transitu pr.* Secutus sum auctoritatem codicis nostri *a.* cui suffragantur *Ampl.* et tres codices Opsopoei, itemque alii nonnulli, laudati a Ruhkopfio, qui tamen ipse vulgatum *quod* tenendum putavit. *l.* 20. *Distringit librorum multitudo.* Sic *Arg. a.* et *b.* item *Ampl.* et *Par. b. d.* (in *Par. a.* pars folii h. l. vetustate detritum est) denique Opsopoei codices omnes, tresque alii, quibus Gruterus usus est. In ed. Rom. erat *Distrahit librorum multitudo*, quod in uno suorum msstorum Gruterus reperit. Tum vero editio Tarvisina, id dedit, quod inde in alias omnes ad nostra usque tempora manaverat, *Distrahit animum libror. mult.* quod ipsum exhibet ed. *A.* cum nostro ms. *c.* et uno ex Gruterianis, nam in alio scriptura ista a secunda manu erat invecta. Nuper demum Ruhkopfius *Distringit animum* edidit, praeter necessitatem tenens posterius vocabulum, quod respuit optimorum quorumque codicum consensus. *l.* 21. *satis est* scripsi h. l. cum *Arg. a. b. c.* et ed. *A.* quum vulgo *sat est* legeretur. Ex aliis codd. nil notatum. *l.* 22. *inquis.* Perperam *inquam* ms. *b.* *l.* 24. *multa. plura* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 25. *inquinant. coinquinant* ed. Rom. Erasm. tum rursus ed. Ruhk. et Matth. cum quinque codd. Gruteri. Simplex verbum ex Pinciani libris receperat Muret. et tenuere alii editores ante Ruhk. consentientibus Opsopoei libris, nostrisque *a. b. c. Ampl.* et *Paris.* itemque ed. *A.*

l. 26. *diverti.* Sic ed. Rom. Erasm. cum mss. *Arg. a. b. Ampl. Paris. b. d.* aliisque apud Opsop. et Grut. *deverti* dabat unus ex codd. Ops. *divertere* ed. Mur. et seqq. cum uno ex Pinciani codicibus, quem Scholasticum nominare ille consuevit, cum quo et h. l. et plerumque alibi consentit noster *Arg. c.* et ed. *A.* *devertere* edidit Ruhkopfius, nullius veteris libri auctoritatem secutus. *l.* 31. *concoquas.* Sic inde ab ed. Rom. constanter edebatur percommode, con-

sentientibus nostris msstis omnibus, et nihil contra monente vel Pinciano vel Opsopoeo. *excoquas* a Grutero e suis codicibus laudatum probavit arripuitque Ruhk. Habet autem hoc etiam ed. *A.* *Ibid. Hoc ipse. Hoc ipsum* ms. *c.* et ed. *A.*

Pag. 6. *l.* 1. *legi* dedere nostri *a.* et *b.* cum *Ampl.* et *Paris. b. d.* aliisque omnibus Opsopoei codd. et tribus Gruteri, ut docet Grut. in Append. Vulgo *lego*, quod habet etiam ed. *A.* cum nostro ms. *c.* *l.* 5. *inquit.* Constanter *inquid* scribitur in *Arg. b.* quod semel adnotasse sufficiat. Vice versa, in voce *apud* eaedem membr. constanter *t* literam pro *d* ponunt, *aput* scribentes.

l. 6. *si laeta est.* Post haec verba, vulgo inserta legebantur ista: *Cui enim cum paupertate bene convenit, dives est.* quorum propria sedes erat in fine Epistolae IV. ubi eadem verba (una particula *enim* excepta) in msstis omnibus et in editt. vett. quae ante Muretum prodierunt, leguntur. Nempe, quum ob argumenti similitudinem olim a studioso quodam homine fuissent ad oram h. l. adscripta, in ipsum contextum deinde ab aliis illata sunt, et per particulam *enim* cum superioribus connexa, ut in nostro ms. *b.* et in eo exemplo, e quo expressa editio Rom. est; in aliis autem libris, qui caeteroquin idem habent adsumentum, (ut ms. nostr. *c.* *Paris. a. b. d.* et alii apud Opsop. et Grut.) vocula *enim* non comparet: ex eisdem nonnulli cum ed. Rom. pro *cui* habent *Qui*; ms. *c.* vero et ed. *A.* *Quicunque.* Sed totum adsumentum recte h. l. ignorat vetustissimus noster ms. *Arg. a.* cum *Ampl.* et optimo cod. *Nicotiano* Opsopoei. *Ead. lin.* 6. *Non, qui. Non vero qui* habet *Paris. a.* *l.* 7. *pauper est.* Verbum *est* desideratur in nostro ms. *b.* *l.* 8. *arca. archa* scribunt nostri *a. b. c.* Sic et ed. *A.* et ed. Rom. *l.* 9. *aut feneret.* Tenui *aut*, in quod cum ed. Rom. et seqq. consentiunt nostri mss. *a.* et *b.* itemque *Par. a. b. d.* et alii. *et* pro *aut* habet noster *c.* cum ed. *A.* *quantum feneret* ms. *Ampl.* et quatuor Gruteri; quod adoptavit Ruhk. ita quidem ut *foeneret* per *oe* scriberet cum aliis edd. inde ab Erasmo. *feneret* habent mssti omnes, excepto nostro *c.* in quo *fenoret*, quod et in ed. *A.* sed *feneretur* ed. Rom. tum *foeneretur* ed. Tarv. et Ven. *l.* 10. *adquirenda.* Sic nostri *a.* et *b.* (qui et paulo ante, *adquisita.*) *acquirenda* ms. *c.* cum edd. *quaerenda* unus *Par. b.* *l.* 11. *quaeris.* Sic optimus noster ms. *a.* exserte (ut solet) duabus literis *ae* diph-

thongum in priori syllaba efferens. *queris* ms. *c.* cum aliis. *inquiris* unus ms. *b.* *l.* 12. *sat est. satis est* ms. *c.* et ed. *A.*

EPIST. III.

Lin. 2. *admones* ms. *Arg. a.* et *c.* cum aliis. *ammones* noster *b.* *l.* 3 *sq. non soleas ne ipse quidem.* Sic nostri *a.* et *b.* cum *Ampl.* et *Par. a. b. d.* Nec mihi dubium est, eodem modo etiam in aliis vetustis libris scriptum fuisse, quibus vel Pincianus vel Opsopoeus usus est, sed ab his, ut leviusculum, non adnotatum. *non soleas tu ipse quidem* ms. *c.* et ed. *A.* *non soleas nec ipse quidem* ed. Rom. et aliae ante Lipsium. *nec soleas ipse quidem*, commendatum a Grutero, amplexus est Lipsius et tenuere post eum alii omnes. *l.* 4. *id facere* scripsi cum nostris *a. b. c.* et ed. *A.* pro vulgato *hoc facere.* *l.* 8. *bonos viros. viros bonos* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 9. *succurrit. occurrit* ms. *c.* cum ed. *A.*

l. 9. *Hac abierit.* Sic recte nostri mss. *a.* et *b.* cum *Ampl.* et aliis apud Grut. et Opsop. quomodo legendum iam olim Modius viderat, quum *Hoc abierit* edidisset Erasmus, quod habet *Par. a.* et omnes ante nos tenuere editores. Vitiosius *hoc aberit* est in *Arg. c. Par. b. d.* et ed. *A.* Desiderabantur autem duae istae voces in ed. Rom. Tarv. Ven. et Erasm. 1. *Hac*, id est, *hactenus*, *hac via*, *hac ratione.* *l.* 10. *amicum existimas.* Prior vox deest ms. *c.* et ed. *A.* tum *existimes* scribitur in eadem ed. *A.* sed vulgatum recte tenent alii libri omnes. *l.* 12. Ante verba *Tu vero* etc. inserta olim haec vulgo legebantur, *Errat et ille qui amicum in atrio quaerit, --- quibus ipse non est.* Scilicet ut illa, de quibus paulo ante ad Epist. II. p. 6, 6. dictum est, sic et haec aliunde (nempe ex Epist. XIX. p. 60 extr. et seq. quae propria eorumdem sedes est, ubi et libri omnes eadem exhibent) huc invecta erant: quare delenda recte monuerat Muretus, cui quidem nonnisi ex parte obtemperarunt operae, priora quidem verba delentes, posteriora vero relinquentes, *Nullum habet maius malum, -- quibus ipse non est.* Rursus deinde omnia recepta sunt, sed uncis inclusa, in ea editione, quae a Nic. Fabro et Io. Opsopoeo procurata Parisiis anno MDCII. prodiit. Postremo omnia prorsus eiecit Lipsius. Et agnoscunt quidem h. l. omnia ista (leviuscula cum discrepantia, quam hic notare nil attinet) mssti nostri *b*, et *c*, cum *Par. a. b. d.* duobusque aliis

Opsopoei et quinque Gruteri codicibus: sed ignorat illa vetustissimus noster ms. *a.* cum *Ampl.* Unus Nicotianus Opsopoei priora quidem verba habet, *Errat et ille -- probat*: posteriora vero, *Nullum -- ipse non est*, ignorat.

Pag. 7. *l.* 1. *de ipso.* Nil mutant libri veteres; sed in nostro ms. *a.* male sedula manus inter lineas voculam *te* adpinxit, quasi legendum esset *de te ipso.* Pro *de ipso prius*, est *prius de ipso* in ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 2. *ante amicitiam iudicandum.* Sic mssti nostri cum edd. Sed *Par. d.* habet *antea iudicandum.* Amplonianus vero, *antea deliberandum et iudicandum.*

l. 3. *praepostero. praepostere* vulgo edebatur, quod ipsum etiam dabant quatuor ex Gruteri codicibus. *praepostera* enotatum e ms. *Ampl.* Haud cunctanter equidem adoptavi scripturam, quam dedere nostri mss. *a.* et *b.* consentientibus quatuor codicibus Opsopoei, (quorum in numero est *Par. b.*) et uno Gruteri. *praepostero ordine* scribitur in ms. *c.* et ed. *A.* in contextum adscito vocabulo, quod unus ex Opsopoei codicibus pro scholio inter lineas notatum habebat. Ut *praepostero* pro *praepostere* usurpavit Seneca, sic, eâdem terminatione, *directo* pro *directe*, Ep. LXVI. p. 204, 18. et alibi *iniquo* pro *inique.* Post *praepostero ordine* vocem *eque* (id est, *aeque*) interserunt ms. *c.* et ed. *A.* Iidemque libri mox, pro *permiscent*, simplex verbum *miscent* habent. In eisdem *Theofrasti* scribitur, pro *Theophrasti.*

l. 4.-6. *quum amaverunt*, et *quum iudicaverunt*, recte dedere nostri mss. *a.* et *b.* cum *Par. b.* non, ut vulgo, *quum amaverint*, et *quum iudicaverint.* Mox *ibid.* pro *cogita*, quod tenent alii, habent *delibera* tres codd. Grut. *iudica* vero *Par. a.* *l.* 6 *sq. an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit.* Commode ms. *c.* et ed. *A.* *an in amic. aliq. sit tibi recip.* *l.* 7. *placuerit fieri. placuerit tibi fieri* idem ms. *c.* cum ed. *A.* Nude *placuerit tibi* est in *Par. a.* *l.* 8. *audacter.* *a u d a c i t e r* dat noster ms. *a.* (quod nunc demum animadverti) cum *Paris. b. d.* paulo rariore vocabuli forma, sed Senecae haud dubie restituenda.

l. 9. *ut nihil tibi committas.* Voculam *tibi*, quum praeter rationem eiecta esset a Mureto, recte revocavit Ruhk. monente Gronovio. Agnoscunt eam autem cum vetustis impressis mssti nostri *a. b. c.* et *Par. a. b. d.* aliique. *Tibi committas*, id est, tecum cogites. *l.* 10. *inimico tuo possis.* Mediam vocem, et ipsam a Mureto temere eiectam, restitui auctoritate eorumdem, quos modo dicebam, libro-

rum. *l.* 12. *fecit arcana.* *facit* ms. noster *a.* et *Ampl.* tum *archana* mss. *a. b. c. Ampl.* et ed. Rom. Tarv. et Ven. *l.* 13. *Fidelem si. Si fidelem* ms. *Ampl.* *l.* 14. *facies* recte tenent alii omnes. *facias* ms. *c.* et ed. *A.* *Ibid.* *quidam fallere docuerunt.* Sic commode, et ex more Senecae, editi libri ante Erasmum omnes, cum nostris msstis *a. b. c.* et *Par. d.* Vitiose *quidem Par. a.* et *b.* Inde ab Erasmi aetate, pro *quidam*, vulgabatur *multi*, nescio qua auctoritate.

l. 15. *et aliis ius peccandi suspicando fecerunt.* Habet utique quo blandiatur vox *aliis*: sed, diligentius denuo inspecta veterum codicum scriptura, vereor ne invitis omnibus libris invecta huc illa vox sit a Mureto. Nec enim *aliis*, sed *illi*, (scil. *amico*) communi consensu cum impressis ante Muretum exhibent mssti *Arg. a. b. c. Ampl. Par. b.* et quatuor Gruteri codd. Quod autem contra Mureti scripturam nihil monuit Opsopoeus, non inde colligere licet consensisse ipsius codices in eamdem scripturam. In quinto ex Gruterianis codd. vitiose scriptum erat *falli illi ius pecc.* etc. A reliquis omnibus discedit *Par. d.* ita scribens, *et illius peccati occasionem suspicando fecerunt*: ubi quidem satis adparet, postquam duo verba *illi ius* perperam in unum *illius* essent contracta, reliqua deinde consulto ita concinnata esse, ut aliquem sensum efficerent. Simili quadam ratione *illius vim peccandi* scribitur in ed. Rom. et Tarv. pro quo est *illi vim peccandi* in ed. Ven. At *illi usum peccandi* ed. *A.* *illi ius peccandi* primus edidit Erasmus, quod ipsum uno consensu tenent omnes, quos novimus, codd. mssti.

l. 16. *Quid? quare ergo.* Sic noster ms. *a.* Vulgo *Quid est ergo? quare* edd. cum *Par. a.* *Quid est quare ergo* noster *b.* cum aliis. *Quid ergo est quare* noster *c.* et ed. *A.* *Quid est quare ego* codex Nicotianus Opsopoei; nisi forsan compendiosa scriptura, quam *ego* interpretatus est Opsopoeus, non *ego* valebat, sed *ergo*, quemadmodum in nostro ms. *b.* vox *ergo* significatur nuda litera *g* cum vocali *o* superne imposita. *Ibid.* *ulla verba.* Vocem *ulla*, in ed. Erasm. et Mur. temere praetermissam, restituit Lipsius. *illa verba* scribitur in nostro ms. *c.* sed in ora notatur »aliâs *ulla.*« quod ipsum in contextu habet ed. *A.* cum aliis. *l.* 17. *coram amico meo.* Deest *meo* ed. Mur. et Lips. sed agnoscunt vocem cum reliquae editiones omnes, tum mssti nostri *a. b. c.* et Gruteriani aliique. *l.* 18. *non putem solum. so-*

lum non putem ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 22. *ne sibi quidem.* Sic nostri *a.* et *b.* aliique, ut edebatur inde ab Erasmo. *nec quidem sibi* ed. Rom. Tarv. Ven. *nec sibi quidem* ms. *Ampl.* *nec ipsi sibi quidem* ms. *c.* denique *ne ipsi sibi quid credituri* ed. *A.* scilicet in cuius exemplari msto, sicut in nostro ms. *c.* vocabulum *quidem* compendiose fuerat scriptum, ut terminatio *em* nonnisi incurva lineola, literae *d* superne adpicta, indicaretur. *l.* 26. *dixerim vitium.* Sic edd. et mssti nostri, nisi quod *vicium* suo more efferunt *b.* et *c.* *vitium dixerim* ms. *Ampl.* *Ead. l.* 26. *Sic uterque.* In his ipsis verbis desinit vetustissimus noster ms. *Arg. a.* deperdita reliqua omni parte membranarum usque in Epist. XC. vol. II. nostrae edit. p. 7. l. 9.

Pag. 8. *l.* 1. *Pomponium.* Perperam *Pompeium* ms. *Par. a.* Repererat quidem et Lipsius in suo cod. ms. *Pompeium philosophum.* Sed de Pomponio, quem h. l. dixisse Seneca videtur, consule Tac. Ann. V. 8. et eumdem Lipsium ad Tac. Ann. XI. 13. laudatum a Ruhkopfio ad hunc locum. *l.* 2. *animo mandabitur.* Vulgo *animo tuo mandabitur* edebatur inde ab ed. Ven. quod ipsum quidem etiam in quatuor msstis a se repertum testatur Gruterus in Append. Sed pronomen *tuo*, temere ac parum commode interpolatum, cum principibus editionibus *A. Rom. Tarv.* ignorant non modo nostri mssti *b.* et *c.* sed et *Ampl.* et *Par. a. b. d.* aliique omnes Opsopoei codd. et Gruteri *Pal. sec.* qui caeteris bonitate praestat.

l. 6 *sq. et diem fecisse et noctem.* Sic, subintellecto pronomine personali *se*, (quemadmodum *me* subintellectum vidimus Ep. I. p. 4, 12. et *nos*, p. 4. l. 2. et *te* intelligendum Ep. XIX. p. 58, 21. item rursus *se* vel *ipsum* Ep. CXX. p. 204, 3.) scripsi praeeuntibus nostris mss. *b.* et *c.* et ed. *A.* quibus hactenus accedit ms. *Ampl.* quod *se* in contextu ignorans, nonnisi superne inter lineas post *fecisse* adiectum habet. Vulgo inde ab ed. Rom. edebatur *se et diem fecisse et noctem.* Velim scire, quid vetustissimae nostrae membr. *a.* daturae fuerint, si ad nos integrae pervenissent; aut quid in suis h. l. repererit Opsopoeus, qui id nos docere insuper habuit. Ex *Paris. a. b.* et *d.* (quorum quidem e numero ille, quem cum Emmerico nostro nota *Par. b.* insignimus, unus ex eisdem est, quibus olim usus Opsopoeus erat) adfertur huiusmodi scriptura, *se et diem fecisse, se et noctem;* quam eamdem e suorum etiam nonnullis Pincia-

nus citaverat. In aliis libris, partim eodem Pinciano teste, partim Grutero, legebatur *et diem fecisse se et noctem*, quod ipsum mstus *Ampl.* a secunda manu tenet: in alio erat, *et noctem fecisse et diem se*; rursus in alio, *et diem se fecisse et noctem*. Adeo mire variant in adsignanda sede voculae *se*, ut vix dubitari possit, esse eam ex scholio in contextum adscitam. Sed ne pro scholio quidem agnoscit illam voculam noster codex *c.* multa licet alia passim scholia interlinearia habens, veluti h. l. ad vocem *diem* hoc, *pro labore*; tum ad voc. *noctem* istud, *pro quiete*. Cf. Ep. XVIII. p. 56, 25.

EPIST. IV.

Lin. 2. *quo diutius. diutius quo* ms. *c.* et ed. *A. ut diutius* ms. *Ampl.* *l.* 3. *etiam dum. et dum* ms. *c.* et ed. *A.* *Ead. l.* 3. et 4. *emendas, etiam dum componis.* Hunc verborum ordinem, cum editis inde a Lipsio, tenent nostri mssti, aliique propemodum omnes, et ed. *A.* Olim praeeunte ed. Rom. legebatur *componis, etiam dum emendas*, consentiente nonnisi uno de quinque Gruterianis. *l.* 4. *illa voluptas est. est illa voluptas* ms. *Ampl.* *l.* 6. *tenes utique. tenes itaque* ms. *b.* Alii (quod sciam) omnes in vulgatam consentiunt. *l.* 7. *senseris gaudium. gaudium senseris* ms. *c.* sed vulgatum tenet ed. *A.* *l.* 8. *posita. deposita* ms. *c.* et ed. *A.* Moxque iidem, *virilem togam sumpsisti*, pro *sumsisti vir. tog.*

l. 10. *te in viros philosophia transscripserit.* Sic ex vet. libro recte edidit Muretus, et tenuere post eum alii editores, consentiente ms. *Ampl.* et *Par. b.* puto etiam aliis msstis, quibus Opsopoeus usus est. *in viros* tenet etiam noster ms. *b.* in quo dein perperam *philosophiae transscripseris.* Olim *te in virum philosophia transcripserit* ed. *A.* et Rom. Tarv. Ven. Erasm. cum ms. nostro *c.* et quinque Gruterianis, nisi quod in horum nonnullis est *transsumpserit* pro *transscripserit.* In *Par. d.* scribitur *te in virum philosophiae transcripseris.* In *Par. a.* vetustate detrita est prior pars huius epistolae. *in virum* nuper postliminio revocaverat Ruhkopf. sed *in viros* recte repositum in ed. Matth.

l. 11. *non pueritia.* Vulgo *non pueritia in nobis* edd. inde ab ed. Ven. suffragante uno e quatuor Opsopoei codicibus, itemque uno ex Gruterianis. Sed duo postrema verba ignorant nostri mss. *b.* et *c.* cum *Ampl.* et *Par. b. d.* aliisque omnibus Opsopoei et Gruteri msstis, denique editt. *A.*

Rom. et Tarv. *l.* 12. *quod est gravius. quòd gravius est* ms. *Ampl.* *l.* 15. *sed infantium. sed infantum* ms. *c. sed et infantium* solus ms. *Ampl.* contra morem Senecae, qui post *non tantum* nude *sed*, non *sed et*, ponere amat. Cf. not. ad VIII. 19, 10.

PAG. 9. *l.* 1. *Profice.* Sic recte edd. inde a Mureto, et iam olim ed. *A.* cum mss. *b. e. Ampl. Par. b.* aliisque apud Opsop. item optimo Gruteriano *Pal. sec.* Olim *prospice* ed. Rom. et seqq. cum *Par. d.* et quatuor Gruterianis. *Ead. lin. intelliges. et intelliges* edd. inde ab ed. Ven. cum ms. *c.* et ed. *A.* Percommode cum ed. Rom. et Tarv. voculam *et* ignorat noster ms. *b.* et *Ampl.* cum *Par. b. d.* aliisque Opsopoei omnibus et eodem Gruteriano *Pal. sec.* Conf. not. ad p. 10. l. 11. *l.* 2. *adferunt. aüferunt* sola habet Mureti editio, operarum (puto) errore, non consilio editoris.

l. 3. *nullum magnum, quod extremum est.* Sic, consentientibus vetustis impressis et msstis omnibus, recte edidit Ruhk. deleto vocabulo *malum*, quod post *magnum* ex Erasmi coniectura Muretus infulserat. Abesse quidem scriptis vocem illam monuit Lipsius; sed et ipse censuit, sententiae eam deesse. *Nullum magnum* Ruhkopfius interpretatur »Nihil magni momenti est; quod extremum est.« Nempe recte vidit vir doctus, *nullum* hic, ut saepe aliâs apud Senecam, idem valere ac *nihil;* de quo etiam Erasmus monuerat. At mihi ex universa orationis connexione perspicuum videtur, hoc dixisse philosophum nostrum »Nihil, quamvis magnum videatur, *timendum esse*, si extremum est.« *l.* 4. *timenda erat.* Sic recte primus edidit Erasmus, consentiente nostro ms. *b. Ampl. Par. b. d.* aliisque. Perperam *timenda est* ed. Rom. Tarv. Ven. Tolerabilius *timenda esset* ms. *c.* et ed. *A.* quod ex scholastica interpretatione profectum.

l. 5. *transeat.* Vulgo *pertranseat* edd. cum uno ex Gruteri codd. Simplex verbum tenent alii omnes mss. cum ed. *A.* *l.* 6. *contemtionem* scripsi cum nostris *b. c.* et Opsopoei aliisque fere cunctis codd. nisi quod hi in media voce literam *p* inter *m* et *t* inserunt. Vulgo *contemptum* vel *contemtum* edd. excepta ed. *A.* in qua (sic) *contemcionem.* Mox dein rursus *contempnatur*, inserta pro more litera *p*, efferunt nostri mss. *b.* et *c.* cum aliis; ubi vitiose *condemnatur* ed. Rom. quod correctum in ed. Tarv. et seqq. *l.* 9. *e tecto* commode dedere ms. *b. c. Ampl.* et Opsopoei omnes cum editis ante Erasm. Similiter *ex tecto* e suis codd. laudavit Grut.

pro eo, quod inde ab Erasmo edebatur, *a tecto.* *l.* 10. *diutius.* *diucius* nostri *b.* et *c.* suo more. *l.* 11. *e fuga.* *a fuga* ms. *c.* et ed. *A.* Scholion autem in ms. *c.* inter lineas, *de fuga.* *l.* 12. *putas virtutem.* *virtutem putas* ms. *c.* et ed. *A.*

l. 12. *effecit* recte editum erat ab Erasmo aliisque post eum, consentientibus msstis tantum non omnibus. *fecit* ed. Rom. Tarv. Ven. Temere *efficit* ed. Bipont. quod ex ea in ed. Ruhk. et Matth. manavit: habet tamen id ipsum etiam noster ms. *c.* et ed. *A.* Sed tali in re solet Seneca praeterito tempore uti. *effecit*, scil. nonnumquam aut etiam saepe effecit. *l.* 14. *de producenda nimis cogitat.* Sic commode vulgo edd. cum ms. *b.* et aliis. *nimis de producenda cogitavit* ms. *c.* et ed. *A.* Adparet autem intelligi *de producenda vita*: quare, quod in *Par. a.* legitur, *de producenda re*, id ex imperiti hominis interpretatione irrepsit. *l.* 15. *magna bona.* Perperam *multa bona* ed. *A.* cum ms. *c.* et *Ampl.* *l.* 16. *quotidie meditare.* *cotidie cogita, meditare* ms. *Ampl.* Etiam in nostris msstis *cotidie* vel *cottidie* pro *quotidie* scribi, supra monitum est. *l.* 16 et 17. *vitam relinquere.* In ms. *c.* et ed. *A.* est *vitam deducere vel relinquere.*

l. 18. *aqua torrente.* Sic ed. *A.* Rom. Tarv. Ven. cum msstis ad unum omnibus: pro quo praeter rationem *a torrente* posuit Erasm. quod inde in omnes ante nostram editiones propagatum est. Quod mox subiicitur, *spinas et aspera*, (scil. *amplectuntur*,) id recte sic scriptum in nostro ms. *b.* et *Ampl.* aliisque quibus usi sunt Modius et Opsopoeus et Grut. Olim *rapiuntur per spinas et aspera* edebatur, quod ipsum et noster ms. *c.* cum aliis nonnullis praefert, Deinde *in spinas* edidit Erasmus, quod ex nullo vetere codice enotatum usquam reperi. *inter spinas* ex uno suorum citavit Gruterus. Sed praepositionem, praeeuntibus melioribus codicibus, merito eiecit Muretus, quem alii omnes secuti sunt editores.

l. 20. *tormenta. pericula* ms. *Par. d.* nempe interpretamentum in locum veteris scripturae invasit, quam quidem ipsam alia dein manus ibidem adnotavit. Mox pro *fluctuant*, quod e superioribus editionibus in nostram manavit, nititurque auctoritate nostrorum msstorum, exhibent *fluctuantur* praestantes membranae *Ampl.* et *Par. b.* quod restitutum Senecae velim: nam ista verbi forma, minus quidem alioquin usitata, cum alii utuntur auctores nostro fere aequales, tum idem ipse Ep. CXI. pag. 153, 6. Codex

Par. a. rursus h. l. defectus est: in *Par. d.* vero a prima quidem manu *cruciantur* legebatur, sed id ab alia manu in *fluctuantur* mutatum. *l. 21. et mori nesciunt.* Particulam *et* h. l. ignorat noster ms. *Arg. b.* Mox, pro *Fac itaque,* vitiose *Facitque* habet idem ms. *b.* Tum, pro *iucundam* scribunt *iocundam* mss. *b.* et *c.* et sic constanter, cum ed. *A.* et Rom. Porro, mutata verborum serie, *iocundam vitam tibi* ms. *c.* et ed. *A.* *l. 22. sollicitudinem.* Vulgo *solicitud.* Sed constanter per geminam *ll* vocabulum istud et eius coniugata efferunt nostri mssti *a. b. c.* cum ed. *A.* et Rom. quam scripturam ubique secutus sum.

l. 23. adiuvat, pro vulgato *iuvat,* dedere nostri mss. *b. c.* cum ed. *A:* et mss. *Par.* et Opsopoei Gruterique omnibus; quod quum adnotare statim oblitus esset Gruterus, monitus deinde ab Opsopoeo, in Appendice demum (ut multa alia) notavit. Ad voc. *bonum* in nostro ms. *c.* spectat scholion, *temporale.* *l. 25. desiderari.* Perperam *desiderare* ms. *Ampl.* *l. 27. incidere* scripsi cum nostro ms. *b. Par. b. d.* et Opsopoei omnibus, item cum Gruteri *Pal. sec.* Vulgo *accidere* edd. cum ms. *a.* et Gruterianis aliis. *Ead. l. 27. potentissimis* cum impressis recte tenent nostri mss. *a.* et *b.* aliique. Perperam *potentissimus* ms. *Ampl.* et *potentissime* vel *potentissima* nonnulli Gruteriani. *Ibid. adhortare. adortare* ms. *b.* Mox, pro *te,* est *te ipsum* in *Par. d.*

l. 28. pupillus cum editis constanter exhibent nostri mss. *b. c.* cum *Paris.* et Opsopoei Gruterique omnibus. Sed *pusio;* quod malle scriptos libros (scil. Herbipolitanos) omnes ait Modius, in nullo ex aliis omnibus, quorum ad nos notitia pervenit, comparet, nisi in uno Amploniano Erfurdensi. *pusillus* ex alio vet. cod. enotavit Iuretus. Suspiceris propemodum, aliud h. l. vocabulum a Seneca fuisse positum, scil. *pupulus,* (quod Ep. XII. pag. 33, 4. superest,) cuius interpretamenta sint ista, quae hodie leguntur in libris, qui ad aetatem nostram pervenerunt.

l. 30. Caius Caesar. Gaius Cesar ms. *c.* et ed. *A.* Nude *Cesar* ms. *b.* puto quod olim *C. Caesar* scriptum fuerit, et dein temere praetermissa prior *C.* litera. *Ead. l. 30. Dextro.* Sic editt. *A.* Rom. et Tarv. et nuper rursus ed. Ruhk. et Matth. quam scripturam cum nostro ms. *c.* agnoscunt *Ampl. Par. b. d.* et quatuor Gruteri codices, eamdemque ex uno suorum laudaverat Erasmus in Append. p. 268. ed. 2. nec multum abit Gruterianus *Pal. sec.* in quo *Dextio* legi

videbatur Grutero. *Decio* praefert ed. Ven. et Erasm. consentiente nostro ms. *Arg. b. Decimo* dein edidit Muretus, nescio qua auctoritate; idque tenuere alii ante Ruhk. editores. Nec vero ad istam scripturam quidquam monuit Opsopoeus, quamquam unus certe ex illius codicibus (scilicet *Puteanus* ille optimus, qui est idem noster *Par. b.*) *Dextro* exhibuerat. Ut vero Opsopoeus, sic et silet hoc loco Pincianus, qui, licet quindecim usus libris msstis, quos in Hispania excusserat, tamen ita parcus fuit in adnotandis codicum suorum lectionibus, ut ad totam hanc Epistolam quartam nihil prorsus notaverit. Hominis nomen, cuius ministerio usus est Caius ad caedem istam patrandam, non edidit Dio Cassius, rem commemorans lib. LIX. cap. 22.

PAG. 10. *l.* 2. *quantum permiserat.* Sic ed. Rom. Tarv. Ven. ac dein rursus ed. Mureti et posteriores, cum ms. *Arg. b.* et *Par. b.* ac quatuor Gruterianis. *promiserat* ed. *A.* cum nostro ms. *c.* unoque ex Gruterianis. *promiserit* ed. Erasm. in cuius tamen ora notatur, *aliâs permiserat;* quod equidem tenui, intelligens *quantum homo permiserat fortunae.* Sed videndum, ne verum sit *provexerit*, quod habet optimus ms. *Ampl.* aut *pervexerat*, quod est in *Par. d.* quod ipsum tamen verbum ex superiori versu hic repetitum videri potest ab homine, qui vim istorum *quantum permiserat* minus percepisset. *l.* 3. *mare evertitur.* Sic edd. ante Muretum, et nuper rursus ed. Ruhk. et Matth. cum nostro ms. *c. Ampl. Par. b. d.* et Opsopoei Gruterique omnibus. *vertitur* ed. Mur. et seqq. non male, si addicerent libri, ut VIII, 20, 3. In *Arg. b.* quid a prima manu scriptum fuerit, haud satis adparet: in medio verbo erasum est aliquid, superne autem adscripta *h* litera, ut nunc sit *evehitur.* *l.* 4. *eodem die. eadem die* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 5. *posse et latronem.* Mediam voculam, inde a Mureto temere praetermissam, restitui ex veterum librorum omnium consensu. Verbum *posse* post *hostem* ponitur in ms. *Ampl.* *l.* 7. *in te vitae. tue vite* ms. *c.* et ed. *A.* in quibus constanter nuda vocalis *e* pro diphthongo *ae* ponitur. *l.* 8. *Ita. Itaque* scribunt iidem libri. *l.* 9. *Recognosce exemplum eorum. exempla* fortasse malles: sed nil mutant libri.

l. 11. *intelliges.* Vulgo *et intelliges* edd. inde ab Erasmo. Delevi particulam, quam nec alibi adiicere in huiusmodi oratione solet Seneca, (conf. supra, ad p. 9, 1.) et h. l.

eum vetustioribus impressis ignorant mssti *Arg. b. c.* et *Paris. a. b. d.* item Opsopoei et Gruteri codices omnes. Ex ms. *Ampl.* quidem nihil hic habeo adnotatum. *Ead. l.* 11. *ira cecidisse. cecidisse ira* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 12. *Quid ad te itaque. Quid prodest itaque* habet *Par. d.* ex interpretamento parum apto. *l.* 13. *id propter quod. id ipsum quod* unus idem ms. *Par. d.* *l.* 14. *At* commode primus edidit Muretus, commendatum ex probato codice msto ab Erasmo in Append. p. 268. et consentit puto ms. *Ampl.* Ceteri quidem omnes, cum vetustis impressis, *Aut* praeferunt: sed nihil in eisdem libris frequentius est, quam vocularum *aut* et *at* permutatio. *l.* 15. *duci iubebit. iubebit duci* ms. *Ampl.* Perperam *duci iubebat* ms. *c.* et ed. *A.* in quibus etiam paulo ante, pro *hostium*, temere *forcium* (sic) scribitur. *l.* 16. *te ipse. te ipsum* idem ms. *c.* cum ed. *A.* Mox iidem libri, pro *Eo nempe*, dant *Nempe eo.* *l.* 17. *primum, quod olim patiebaris, intelligis. primum intelligis, quod* etc. ms. *Ampl.* *l.* 18. *Ita dico.* Perperam rursus *Itaque dico* ms. *c.* et ed. *A.* cum ms. *Par. a.* *Ead. l.* 18. *Haec. Hec enim* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 19. *versanda in animo sunt. sunt versanda in animo* ms. *Ampl.* *versanda sunt in animo* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 20. *ultimam horam. horam ult.* ms. *c.* et ed. *A.* *Ibid. placidi* tenent edd. et mssti omnes; et sic a prima manu etiam ms. *c.* at ibi dein in *placide* mutatum. Mox, pro *exspectare*, et hic et alibi *expectare* scribunt nostri *b. c.* cum editt. vett. *l.* 22. *finem epistolae.* Sic ed. *A.* et mss. nostri *b. c.* et *Ampl.* puto et alii, e quibus leves huiusmodi discrepantiae non sunt adnotatae. Vulgo *epistolae finem* edd. *l.* 23. *mihi hodierno die.* Isto modo verba ordinavi, praeeuntibus nostris mss. *b. c.* et *Ampl.* et ed. *A.* Vulgo *hodierno die mihi.* In nostris *b. c.* quidem *michi* (sic) scribitur constanter pro *mihi*; similiterque *nichil*, pro *nihil*: qua de scriptura, barbariem olente, consuli potest Dausquii Orthogr. Vol. II. p. 198. et 211. *Ead. l.* 23. *hoc quoque. hoc quod* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 24. *hortulis. ortulis* ms. *c.* quod et in suis repererat Opsopoeus. Inde nata est vitiosa prorsus lectio *articulis* in ed. *A.* *l.* 26. *statuat* scripsi cum ed. *A.* et msstis nostris *b. c.* et *Ampl. Par. a. b. d.* et Opsopoei Gruterique omnibus. Vulgo *statuit*, quod ex ed. *Rom.* in alias omnes manavit. *l.* 30. *humanitatem* recte tenent editt. omnes cum msstis nostris et Gruteri *Pal. sec.* quum alii Gruteriani partim *humilitatem* partim *inhumanitatem* darent. *l.* 31. *tentare.* Con-

stanter *temptare* mss. *b. c.* et editt. vett. *Ead. l.* 31. *castra. astra* ms. *b.* sed prima vocabuli litera erasa videtur.

PAG. 11. *l.* 1. *adpositum. appositum* pro more scribitur in editt. omnibus, et in recentionibus msstis. Tenent autem hoc vocab. veteres libri omnes, recte restitutum a Gronovio, postquam Muretus, Erasmi coniecturam amplexus, *expositum* posuerat. *l.* 3. *aliena. alia* ms. *c.* Mox *littora* scripsi cum nostris *b. c.* et editt. vett. *litora* ed. Bipont. Ruhk. et Matth. *l.* 4. *satis est.* Sic ed. Lips. et seqq. cum ed. *A.* et ms. *c.* ac quinque Gruterianis. Potuerat vero etiam teneri *sat est*, quod habebat editio Rom. et aliae ante Lipsium cum ms. *b.* et *Ampl.* *l.* 4 *et* 5. *Cui cum paupertate bene convenit, dives est.* Hanc esse in msstis omnibus et vetustis impressis propriam istorum verborum sedem, supra ad Ep. II. p. 6, 6. monui: quae verba quum ibi (perperam quidem) essent in contextum inculcata, sua auctoritate Muretus, ne bis eadem legerentur, hoc loco eiecit, quem secuti sunt alii omnes editores. Nos suum Senecae restituimus.

Adhuc discrepantiae propemodum omnes, in hisque etiam leviores fere quaeque, quas offerebant veteres libri, quibus usi sumus, ac praesertim tres nostri mssti Argentoratenses, et vetustissimae quae nobis ad manus sunt Editiones, lectiones item omnes codicis Amploniani Erfurdensis, quas ex quatuor prioribus Senecae Epistolis excerptas benevolentia viri clar. Matthiae nobiscum communicavit, copiose admodum enucleateque a nobis expositae sunt, et cum eis lectionibus collatae, quas vel alii codices mssti vel notabiliores operum Senecae editiones exhibebant. Nempe haec exstare tamquam specimina volui, e quibus partim de ratione, quam in seligendis eis lectionibus iniimus, quae nobis probatissimae et ab auctoris maxime manu profectae visae erant, rectius iudicare homines eruditi, quorum id interest, possent; partim e quibus etiam alii quicumque vel harum Epistolarum Senecae vel alterius cuiusvis prisci auctoris lectores intelligerent aliquatenus, per quos gradus, quasve per ambages, quo studio, quo labore eorum qui in hoc genere operam suam posuerunt, denique quo casu subinde factum sit, ut in editionibus, quibus vulgo hodie uti-

mur, eae lectiones, quas illae exhibent, pro genuina veteris scriptoris manu, sive vere aut saltem probabiliter, sive falso atque temere, nobis venditentur. Sed quamvis ad id, quod agimus, minime infructuosum esset futurum, si eodem tenore Notas hasce, quas quidem in commentariolis nostris paratas habemus, per omnes Epistolas persequi vellemus: tamen, ut per se prolixum opus, sic nec huius loci foret, ubi intra paucarum plagularum spatium sumus conclusi; nec huius temporis, quo uberrimam etiam nunc copiam lectionum ex magno codicum numero, partim nobis adhuc incognitorum, partim ex ipsis nostris Argentoratensibus, a Ruhkopfio promendarum, exspectamus. Quae postquam copiae in publicum fuerint a Viro docto productae, si quid deinde nostra in penu supererit, quod vel ad iudicandam vindicandamque vel ad illustrandam locorum nonnullorum genuinam scripturam videbitur pertinere, non recusabimus symbolam nostram in commune conferre, si modo vitam nobis viresque et liberale otium divini Numinis indulgentia concesserit. Interim istis speciminibus contenti, omissis plerisque quae levioris momenti videri possint librorum discrepantiis, dehinc nonnisi ea fere loca attingemus, quae aut dubitationis et difficultatis aliquid, ad nativam auctoris scripturam quod spectat, habere videbuntur, aut in quibus ab eis lectionibus discessimus, quae inde a Lipsio aut a Gronovio, qui Lipsianum fere exemplum secutus est, erant vulgatae. Illud quidem conceptis verbis profiteor atque spondeo, nullum me ex eis locis (quorum utique non magnus est numerus) silentio praeteriturum, in quibus nostra de coniectura, damnatis librorum omnium nobis cognitorum lectionibus, restituendam veterem scripturam putavi. Igitur ubicumque, sive in ipsis verbis, sive in ordinanda verborum structura, discedentem editionem nostram ab aliis deprehenderit diligens observator, ibi, (nisi diserte de novatione locis istis adlata monitum fuerit in Notis nostris) persuasum habeat, non nostro ingenio nos indulsisse, nec vel nostram vel alienam coniecturam in contextum admisisse, sed veterum librorum secutos esse auctoritatem. Similiter, ubi vulgatam ante nos scripturam tacite tenuimus, quamvis aliud quidpiam, quod et ipsum probabile aut etiam probabilius poterat videri, dederint aut vetustiores editiones, aut codices nonnulli

modi; etiam huiusmodi in locis, sciat Lector, non tam Editoris eius, a quo primum recepta illa lectio est, auctoritatem nos esse secutos, quam rationum momenta aut msstorum codicum fidem, eamdem lectionem firmantium.

EPIST. V.

Lin. 14. *frons nostra populo conveniat.* Sic ms. *c.* cum edd. *frons populo conveniat nostra* ms. *b.* Utrobique forsan vox *nostra* e scholio adscita. *l.* 16. *in quod.* Vide ne verum sit *in quo*, quod cum editt. vett. agnoscunt mss. *Arg. b. c.* et *Par. a. b. d.* Similiter sane dicimus *caelare in auro.*

PAG. 12. *l.* 7. *a qua professione dissimilitudo nos separabit.* Sic vetustiores impressi cum msstis: quam scripturam, varie ab aliis mutatam, recte restituit Ruhk. *l.* 17. *dementiae. est* adiiciebant edd. cum ms. *c.* Ac saepe quidem aliâs ita repetitum hoc verbum apud Senecam reperitur: sed h. l. commode illud ignorat ms. *Arg. b.* cum *Par. a. b. d.* *l.* 21. *sed et agnoscant.* Ex scholio irrepsisse videtur *et* particula; quae, pro Senecae more loquendi, non admodum desiderabatur, et abest a ms. *b.* et *Par. b. d.* Iamque olim eiecta erat ab Erasmo, sed revocata a Mureto.

PAG. 13. *l.* 1. *Hecatonem* recte edd. inde a Mureto, cum ms. *b.* et aliis. Olim *Catonem.* Hecatonem Stoicum passim et alibi laudat Seneca, et mox rursus Ep. VI. p. 15, 14. *l.* 6 *sq.* *custodiam* recte tenet idem noster *Arg. b.* Qui *custodem* dederunt, ab his scholion in contextum illatum est. *l.* 10. *sollicitum* dedit idem ms. *b.* cum *Par. b.* et editt. vett. Et hoc ipsum, a Gron. etiam ex alio ms. commendatum, nuper restituit Ruhk. pro *soliciti*, quod inde ab Erasm. ed. 2. vulgatum erat. *sollicitatur* praefert noster ms. *c.* cum ed. *A.* *l.* 15. *versa. conversa* ed. *A.* cum ms. *c.* et *Par. a.*

EPIST. VI.

Lin. 4. *colligi.* Non dubitare debui quin reciperem hoc verbum, quod cum msstis Herbipolitanis, e quibus iam olim a Modio commendatum erat, agnoscit et princeps editio Rom. et mssti nostri *b. c.* et *Par. b. d.* et Opsopoei codices omnes, Gruterique optimus *Pal. sec.* Valet autem h. l. *colligi* idem ac *componi*, *in ordinem cogi*, et *stabiliri*; quemadmodum *collecta* (vel *conlecta*) *mens*, Ep. CI. p. 102, 2. idem valet ac *stabilita*, ibid. *l.* 8. et *composita*, Ep. II. p.

5, 2. opponiturque *ei quae volutatur, vagat, instabili.* Istud verbum quum mendosum visum esset his qui eius vim non perceperant, mutatum est in *corrigi*, quod iam inde ab ed. Tarv. alias omnes editiones invasit: habetque hoc etiam ed. *A*. et ora nostri ms. *c*. cum quatuor Gruterianis.

PAG. 14. *l.* 4. *ipsi aegros se esse senserunt.* Placuit hoc, quod cum ms. *Arg. c.* et ed. *A.* praeferunt Gruteri plerique codices et unus praestantissimus Nicotianus Opsopoei. *ipsos aegros se* ms. *b.* et *Par. a. b. se ipsos aegros* ed. Rom. et aliae, cum *Par. d. se ipsi aegros* ed. Lips. et seqq. *l.* 10. *pro qua.* Particulam *et*, quae his verbis praeposita erat, delevi praeeuntibus msstis *Arg. b.* et *Par. a. b.* Ignorabantque eamdem editiones vett. ante Lipsium. *l.* 10. *et* 11. *non qui.* Sic noster ms. *b*. recte; intellige *non dico, qui* etc. Vulgo *qui non.* *l.* 22. *sciturus sum.* Commode *sciturus sim* ed. Lips. et seqq. Sed indicativum modum cum editt. vett. tenent mssti omnes, nec abhorret ea structura a Senecae stilo. *l.* 23. *ut illam inclusam teneam.* Omittunt *illam* ms. *Par. b. d.* nec id male. *l.* 28. *ad ipsa* ms. *Arg. b. d.* cum *Par. a. b. d.* et ed. Rom. Vulgo *ad ea ipsa.*

PAG. 15. *l.* 4. *si eum tantummodo aud.* Sic quidem noster *c*. cum edd. sed deletum malim pronomen personale *eum*, auctoritate nostri ms. *b*. et *Par. a. b. d.* Conf. not. ad Ep. III. p. 8, 6 sq. *l.* 6. *Platon* ms. *b*. quod et ex suo vet. cod. adnotavit Iuretus; et sic alibi constanter vetustissimae nostrae membr. *a*. Mox pro *Aristoteles* utique cum viro docto (in Novis liter. Halensibus) *Antisthenes* malebam; sed vulgatum constanter tenent libri omnes. *l.* 9. *Hermarchum* recte noster *b*. quomodo scribendum huius viri nomen iam pridem Villoisonus monuerat; cui h. l. paruit Matthiae, quum *Hermachum* esset vulgatum. Propius tamen ad verum iam olim *Hermacum* dederat ed. Rom. Vitiose prorsus *Helymacum* ms. *c*. *Helimacum* ed. *A*. Conf. Ep. XXXIII. p. 106, 23. *l.* 16. *Amicus esse mihi.* Verbum *coepi*, quod istis vulgo adiiciebatur, ex glossemate natum esse iam olim Opsopoeus monuerat suorum codicum auctoritate, quibus accedunt nostri *b. c.* et *Par. a. b. d.* et ed. Rom. Miratus sum quidem repertum esse id verbum in Gruteri *Pal. sec.* satis probato alioquin codice: sed nimirum caeteris Gruterianis plerumque praestat ille codex, aliis vero vetustioribus, ut nostro *a*. et *b*. et *Par. b.* aliisque quibus Opsopoeus usus erat, longe est inferior. Mox

profecit recte noster *b.* cum edd. non *proficit*, ut *Par. a. b.* Vocem *qui* vero, quam ante *numquam* interserunt nonnulli, ignorant Parisienses cum eodem *Arg. b.* *l.* 17. *Scito hunc* etc. Vulgo, *Qui sibi amicus est, scito hunc* etc. ubi percommode adiecta videri poterant priora ista verba; sed, deberi illa merae coniecturae Mureti, liquido intelligitur ex msstorum omnium, cum nostrorum et Parisiensium *a. b. d.* tum quotquot vel ab Opsopoeo vel a Grutero excussi sunt, constante cum impressis ante Muretum consensu. Eademque verba si in uno suorum codicum reperisset Pincianus, haud dubie moniturus fuerat deesse illa editioni Erasmi, cuius ad exemplum ille codices suos exegit.

EPIST. VII.

Lin. 1. *existimes*, id est, existimare debeas. Sic commode ed. *A.* et Rom. consentientibus msstis *Arg.* et *Par.* aliisque Opsopoei, et melioribus Gruteri: nec opus erat ut in *existimem* mutaretur, quod nuper in ed. Matth. factum, cui quidem praeivere ed. Tarv. et aliae ante Muretum, cum msstis nonnullis Gruterianis. *l.* 2. *Nondum illi tuto committeris.* Sic rursus ed. Rom. cum nostro ms. *b.* et optimis quibusque aliis: nec dissentit noster ms. *c.* aut ed. *A.* nisi quod in his *tute*, pro *tuto* scribitur. Vulgo, *Nondum enim tuto illi te commiseris.* Mox *confitebor*, non *confiteor*, dedere iidem mss. *Arg.* et *Par. a. b. d.* cum aliis. *l.* 6. *redit.* Nescio an verum sit *rediit*, quod habet ed. Rom. et aliae ante Muretum, cum ms. *Arg. b.* et *Par. a.* Illud scio, saepius pro *ii*, cum aliâs, tum praesertim in tertia persona praeteritorum, simplicem *i* vocalem poni in nostris msstis.

Pag. 16. *l.* 1. *nusquam* ms. *Arg. b.* et *Par. b. d.* cum aliis a Modio, Opsopoeo et Grutero laudatis. Vulgo *nunquam.* *l.* 6. *adlinit* vel *allinit* cum impressis tenent vetustiores mssti; *illinit* vel *inlinit* iuniores. *l.* 7. *miscemur* ms. *b.* et *Par. a.* Vulgo *commiscemur*, quod non minus ex glossemate natum nobis visum erat, quam *conversamur*, quod est in ms. *c.* et ed. *A.* *Ead. l.* 7. *tam damnosum.* Vulgo, *est tam damn.* Delevi verbum cum mss. *b. c. Par. b. d.* et aliis. *l.* 11. Post *luxuriosior* poterat interrogationis signum poni, quo intelligeretur, »An tu hoc solum me dicere existimas? Immo vero etc.« *l.* 14. *lusus exspectans.* Nudum *spectans* cum ed. Erasm. tenet quidem noster ms. *b.* et *Par.*

a. b. d. aliique. Sed *exspectans*, a Modio e suis mss. laudatum, commode reposuit Muretus, consentientibus etiam editt. vett. inde a Rom. in quibus *expectans* scribitur. Editio *A.* quidem cum ms. *c. aspectans* praefert. *l.* 23. *quo artes?* Sic mss. *b. c.* et *Par. a. b. d.* cum aliis; non *quo gladii artes*, quod ex nonnullis Gruteri codd. inde a Lipsio vulgatum erat. Mediam vocem ignorant etiam editt. vett. sed *quo arces* dabat ed. Rom. et seqq. *artes* restituit Erasm. quod iam dederat ed. *A.* *l.* 25 *sq.* *Interfectores interfecturis iubentur obiici.* *iubent* scriptum oportebat cum editis ante Erasm. et msstis *Arg.* et *Par.* aliisque apud Opsop. et Grut. quod equidem nunc demum, cuncta denuo circumspiciens, animadverti. Recte vero *interfecturis* editur inde a Lipsio, quam quidem scripturam non nisi recentissimi mssti, noster *Arg. c.* et qui eiusdem familiae erat codex scholasticus Pinciani, servarunt cum ed. *A.* Ceteri mssti cum editt. vett. *interfectis* dabant; quod suo ex ingenio Muretus in *inter se* mutavit. Commode tamen etiam Gron. in membranis, quibus usus est, *Interfecturis interfectores* reperit. *l.* 29. *quid ergo? meruit, ut suspendatur.* Sic distincta sunt verba in ed. Ruhk. et Matth. Commodior vero fuerit vetus distinctio, *Quid ergo meruit? ut susp.* Caeterum ipsa illa verba commode quidem ex ed. Rom. in alias omnes propagata sunt; sed ignorant ea nostri mssti *b. c.* et *Par. a. b. d.* cum ed. *A.* *l.* 30. *Occidit hominem! qui occidit.* In nostro ms. *b.* sic ista distinguuntur: *Occidit: hominem qui occidit.* In *Par. a. b. d.* pro *qui* scribitur *quia*, et hoc ipsum, compendiose quidem scriptum, habent et nostri *b.* et *c.*

Pag. 17. *l.* 4. *agitur.* Sic edd. ante Erasm. cum *Arg. b. c. Par. b. d.* et aliis. Vulgo *aguntur.* *l.* 4. et 5. *ut -- excipiant.* Sic noster ms. *b.* Vulgo *et -- excipiunt*, inde ab ed. Rom. Et indicativum *excipiunt* habet etiam ms. *c.* cum *Par.* et aliis nonnullis: sed *excipiant* cum nostro *b.* recte tuentur duo mssti Opsopoei. At vero prima vocula *ut* vel *et* abest plerisque msstis, ac delenda utique videtur, ut tota illa ῥῆσις, *Plagis -- excipiant*, intelligatur esse continuata oratio mimica spectatorum, qui hoc genere spectaculorum delectantur; scilicet: *quare parum libenter moritur?* (quare) *plagis agitur in vulnera?* (sive, *Plagis agatur in vulnera!*) *Mutuos ictus nudis et obviis pectoribus excipiant! Intermissum est* etc. *l.* 6. *iugulentur* recte edd. vett. cum ms.

b. non, ut vulgo, *iugulantur.* *l.* 13 *sq. excutere morem suum.* Commodissime editum videri poterat *excuti mentem suam.* At *mortem*, non *mentem*, dabant mssti; sic quidem noster *b.* et *Par. a. b. d.* quam scripturam, utpote manifeste vitiosam, adnotare neglexerunt viri docti, qui alios veteres codices excusserunt. Veram scripturam, *morem suum*, servavit noster (levioris alioquin auctoritatis) ms. *c.* cum ed. *A.* Eodem vero spectat id, quod deinde *l.* 22. consentientibus libris legitur, *quid tu accidere his moribus credis.* *l.* 17. *exemplum luxuriae.* Interpositam vulgo particulam *aut* delevi ex veterum codicum praescripto. Mox, pro *facit*, commode *fecit* praefert ms. *c.* cum ed. *A.* Vide not. ad Epist. IV. p. 9, 12. et conf. ibid. l. 9.-11. *l.* 19. *mollit* ed. Rom. et mss. *b. c.* et *Par. b.* Vulgo *emollit.* *l.* 25. *ne vel. neve* ms. *b.* et *Par. a. b. d.* Mox *te ipse* recte *Arg. b.* et *Par. a.* non *te ipsum.* Vitiose alii *te ipso.* *l.* 30. *Non est ergo.* Deletam velim postremam vocem, quam cum edd. vett. ignorant *Arg. b. Par. b. d.* et alii apud Opsop.

PAG. 18. *l.* 3. *mercem Arg. b.* et *Par. b. d.* cum aliis. Perperam vulgo *mentem;* olim vero *mercedem* edebatur, quod habet noster ms. *c.* *l.* 6. *Cui ergo.* Vulgo *inquis* adiiciebant, invitis msstis *Arg. Par.* aliisque. Mox *l.* 7. edebatur *si tibi didicisti:* at coniunctivam particulam meliores omnes mssti ignorant. *l.* 22. *in animum* commode edd. inde ab Erasm. et sic ms. *b.* cum aliis. Olim *in animo*, quod est in ms. *c.* *l.* 24. *Et quid.* Sic mss. *b. c.* et *Par. a. d.* (nescio an et *Par. b.*) cum edd. vett. Vulgo *Ecquid*, inde ab Erasm. *l.* 25. *intelligant multi* edd. vett. cum mss. *Arg.* et *Par.* Vulgo *multi intelligunt.* *Ead. l.* 25. *bona tua.* Abest *tua* ms. *Arg. b.* et *Par. a.*.

EPIST. VIII.

PAG. 19. *l.* 4. *Quid? ego tibi videor interim sedere?* Inepte olim: *Quod ego tibi videor interim suadere.* Gronovii coniecturam, *Quid? ego tibi videor inertiam suadere?* adoptavit Ruhk. Equidem unice probavi Mureti coniecturam. Tenent quidem *suadere* mssti, quos novimus, omnes: sed et *interim* tenent. Istud *suadere* haud dubie ab homine erat invectum, qui non meminisset, verbum *sedere* percommode a Seneca hîc poni potuisse pro *residere, otiosum sedere.* Quo facto, *Quid* a nonnullis in *Quod* mutatum est:

ex Epicuro quae tradit. Cum quo convenit quod ipse Seneca Ep. IV. p. 10. l. 24. ait, *ex alienis hortulis sumtum;* et Ep. XIV. sub fin. *propositum est aliena laudare.* Placuit tamen *replicamus*, (id est, evolvimus, legimus,) quod primus Lipsius recepit e suo libro, consentientibus aliis Pinciani et Gruteri mssris. Nempe adhuc in Epicuri lectione versabatur Seneca; et ex his, quae quolibet die legerat, communicare aliquid cum Lucilio suo voluit.

PAG. 21. *l.* 3. *Quam multa poëtae dicunt.* Sic primus Muretus, nescio ex libris, an ex ingenio. Mssti quidem nostri et *Par. a. b. d.* cum ed. *A.* et Rom. *Quam multi* praeferunt, quod et ipsum ferri poterat. Mox, quae *a philosophis* edd. Nos praepositionem, in ms. *b.* nonnisi a sec. manu adsutam, abiecimus cum mss. *Par. b. d.* et aliis apud Ops. *l.* 4. *aut togatas.* Commodius *nec tog.* ms. *b. Par. a. b. d.* et alii apud Ops. et Grut. quod repositum malim. *l.* 5. *hae quoque*, scil. togatae. Sic commode edd. inde ab Erasm. et sic *Par. d.* *haec quoque* noster *b.* et *Par. a. b.* cum ed. Rom. Pronomen omnino nescit noster *c.* cum ed. *A.* in quibus paulo ante scribitur *togatos nostros*, quod est item in ed. Rom. sed *togatas nostras* tenet ms. *b.* cum aliis. Mox *severitatis* bene edd. nec aliud ex mss. Paris. aut ex Pinciani, Opsopoei aut Gruteri codd. notatum reperio: sed *serenitatis* habet ms. *c.* cum ed. *A.* *securitatis* ms. *b.* quod et e suo vet. cod. adnotavit Iuretus, *serietatis* scriptum oportuisse suspicatus. *l.* 6. *et tragoedias. ac trag.* ms. *c.* commode, quum paulo ante praecesserit *et;* nam variare istas particulas amat auctor noster. *l.* 12. *in nostris.* A Mureto hoc est, ac vereor ne invitis omnibus vetustis libris. Sane *in nostro* (id est, in eo quod nostrum est) dant communi consensu mss. nostri *b. c. Par. a. b. d.* et Gruteri *Pal. sec.* et *Col.* cum ed. *A.* et ed. *Rom.* Ad eamdemque scripturam referebatur scholion, *in proprio*, quod in *Pal.* 1. 3. 4. contextum occupavit. *l.* 13. *optando venit.* Non deterius est *evenit*, quod cum ed. *A.* agnoscunt nostri mss. *b. c.* et *Par. a. b. d. Pal.* 1. 4. et *Col.* *l.* 14. *non paulo melius et adstrictius.* Istud *et* a Mureto est. Superiores edd. et mssti libri (quod sciam) omnes *sed* praeferunt. Quae si vera scriptura est, (quod facile equidem mihi persuaserim,) fuerit elliptica locutio, quales amavit Noster, idem valens ac si dixisset, *non modo paulo melius, sed et adstrictius.* Similiter verbi causa, Epist. XVIII. extrema ait: *ira*

vitanda est, non moderationis causa, sed sanitatis: id est, *non modo moderationis causa, sed et sanitatis.*

EPIST. IX.

Pag. 22. *l.* 3. *Stilponi. Stilboni* mss. *b. c.* et editt. *A.* et Rom. *l.* 4. *visum est. visus est* ms. *c.* sed vulgatum tenet ed. *A.* *l.* 5. *impatiens.* Ex ratione a nobis recepta, (de qua in Praef. dixi) *inpatiens* scribere debueram cum nostro ms. *b.* et dein *l.* 7. *inpatientiam*, ubi quidem perperam idem Arg. *b.* *impatiam* scribit. *l.* 6. *ἀπάθειαν. aphatian* ms. *b.* Alii cum ed. *A.* et Rom. *affatim* aut *affatiam*. *Ead. l.* *cito* (i. e. statim, quod protinus succurrat) cum vetustis impressis dederunt mssti omnes, recteque restituit Ruhk. Parum aptum huic loco erat *scite*, quod ex Pinciani coniectura adoptaverat *Mur.* *l.* 9. *Nos eum.* Vulgo *Nos enim eum* invitis msstis *b. c.* et *Par. a. b. d.* aliisque. *l.* 16. *nobis et illis* mss. *b. c.* et *Par. b. d.* cum ed. *A.* et *R.* (Hoc scripturae compendio ed. *R.* insignire dehinc licuerit priscam *Romanam editionem.*) *l.* 21. *exciderit* mss. *b. c.* et *Par. b. d.* Vulgo *inciderit.* *Ead. lin.* *c a s u excusserit.* Sic quidem ed. *R.* et aliae ante *Mur.* idque, a Ruhk. temere instauratum, in nostram irrepsit. Repone *c a s u s excusserit*, quod ex Pinciani msstis iam pridem Muretus receperat, tenentque *Arg. b. c.* et ed. *A.* cum msstis Paris. et tribus Gruteri. Sed et distinctionem orationis h. l. paululum mutatam velim, in hunc modum: *aliquando sui parte contentus est. Si illi manum aut morbus aut hostis exciderit, si quis oculum casus excusserit*, etc. *l.* 22. *imminuto* (i. e. *imminuto*, ut vulgo scribitur) *corpore -- quam integro.* Primum vocab. in duo divisum exhibent *b.* et *c.* *in minuto*, et ad eamdem rationem dein *in integro* scribunt. *l.* 24 sq. *Sed, quae sibi desunt, non desiderat; non deesse mavult.* Sic ms. *b.* et alii apud Ops. et Grut. cum ed. *R.* Traiectionem verborum, quam ex Pinciani coniect. adoptavit Mur. et alii, nullus codex mstus agnoscit. Erasmianam scripturam, *num desiderat?* quam Ruhk. revocavit, ex uno *Par. a.* enotatam reperi. In nostram lectionem consentiunt *Par. b. d.* et *Arg. c.* nisi quod isti vitiose *sunt* pro *desunt* habent; hic autem *nec deesse*, pro *non deesse.* *l.* 29. *reparet. reperiet* ms. *c.* et ed. *A.*

Pag. 23. *l.* 5. *Hecaton* recte ms. *b.* cum edd. inde ab ed. Tarv. *Hechaton* ed. *R.* *Catho* ms. *c.* *l.* 7.-10. *Habet autem*

non tantum amicitiae usus, veteris et certae, magnam voluptatem, sed etiam initium et comparatio novae. Sic felicissime a Mureto curatus hic locus est, olim in msstis et editt. vett. in hunc modum corruptus: *Habes autem non tantum usu* (*in usum* ms. *c.* et ed. *A.*) *amicitiae ----- comparationem novae.* (Taceo, vocem *autem* deesse ed. *R.*) Cuius corruptelae origo inde derivanda videtur, quod vetus aliquis scriba ob praecedentia verba, *Si vis amari, ama,* etiam proxime sequens verbum in secunda persona efferendum putaverit. Sin tenendum illud *Habes* statuerit aliquis, accipienda tota ista ῥῆσις fuerit pro continuata *Hecatonis* oratione, et loco scripturae *usu*, vel *in usum*, quam habent libri, nude *usum* legendum. Quidquid sit; ex veteris scripturae vestigiis leviter mutatum contextum nostrum velim. Scilicet, traiectis duobus verbis, et deletis duabus virgulis quibus vulgo distinguebatur oratio, sic scriptum oportebat: *Habet autem non tantum usus amicitiae veteris et certae magnam volupt.* etc. *l.* 24. *si ob nihil aliud.* Ignorat *ob* ms. *b.* non male. Cf. Ep. XXXVI. p. 110, 7 sq. Mox vero *l.* 25. nollem *ob hoc* ex aliis editionibus in nostram irrepsisset. Repone *ad hoc quod Epic.* sic volentibus msstis omnibus. *l.* 29. *quem ipsum.* Sic ed. Mur. et seqq. Rectius vero *quem ipse* edd. vett. cum mss. *b. c. Par. a. b. d.* et aliis: quod restitutum velim. Mox dein, ab istis verbis *Qui se spectat* novam Epistolam incipiunt mss. *Par. a. b. d.* et *Arg. c.* non *Arg. b.*

Pag. 24. *l.* 4. *Qui causa utilitatis adsumtus est.* Commodius, traiectis verbis, *utilitatis causa* scribunt *Arg. b. c.* et alii apud Ops. *Qui*, et *assumptus est*, cum ed. Rom. et sqq. tenet noster *b.* et *Par. d.* *Quae -- adsumta est* habent *Par. a. b.* et *Arg. c.* *l.* 6. *circumsedit* recepi ex *Arg. b.* *circumsedet* edd. cum *Arg. c.* et *Par. b.* *circumsidet Par. a. d.* *l.* 7. *solitudo est.* Vulgo *ingens solit.* Otiosum epitheton ignorant mss. nostri *b. c.* et *Par. a. b. d.* cum aliis. *l.* 10. *Necesse est initia. ut initia* ms. *b.* cum ed. *R.* *l.* 12. *placebit ei.* Pronomen personale ignorant mss. *Arg. b. c.* et *Par. a. b. d.* Ac fortasse ex interpretamento adiectum est. *l.* 13. *si ullum in illa placet praeter ipsam.* Vocab. *pretium*, quod post *placet* interserebant vulgo, ignorant mssti; nempe interpolatum ab homine, qui non animadvertisset, *ullum* apud Senecam idem valere ac *quidquam, res ulla;* quemadmodum frequenter *nullum* dicit, pro *nihil.* *l.* 13 sq. *In quid*

amicum paro. In *Arg. b.* ex correct. sic legitur, *Inquis amicum paro*, quod habent plerique Gruteri; sed idem *Arg. b.* olim habuerat, *In quid amicum paras?* quod etiam nunc est in *Par. b.* et ex alio item optimo codice (Nicotiano) laudatur ab Ops. *Inquit amicum paro* ed. *R.* et mss. *Par. a. d.* sed in *Par. a.* primum fuerat *paras.* In ed. Ven. est, *Inquies igitur amicum paro.* In *Arg. c.* et ed. *A. In quo amicum paras.* Quibus omnibus et inter se et cum sequente oratione collatis, vide ne sic fortasse Seneca scripserit: *In quid, inquis, amicum paras? l.* 20. *illam esse ins. amic. illum* ed. Ruhk. quod primum in ed. Lipsiensi 1702. reperi. Superiores omnes cum msstis *illam* tenent. *l.* 26. - 28. *Non agitur, inquis, nunc hoc, an amicitia propter se, an propter aliud sit expetenda; nam si propter se ipsam* etc. Sic edd. omnes, inde ab ed. *R.* nisi quod inter duo verba *nunc hoc* particulam *de* interponunt, quam mssti etiam omnes agnoscunt, et primus delevit Muretus, Tulliani stili aemulus. Minime vero expeditus locus; cui nescio satis-ne medeatur optimi alioquin codicis Nicotiani lectio ab Ops. commendata: *Non agitur, inquis, nunc de hoc, an amicitia propter se ipsam appetenda sit. Immo vero nihil magis probandum est. Nam si propter se ipsam expet.* Variant autem alii codices. Et *Par. b.* quidem, si recte percepi, ita habet, *Non agitur, inquis, nunc de hoc an amicitia propter se ipsam expetenda est* etc. omissis mediis, quae ab eisdem verbis *propter se* incipiebant. Noster *Arg. b.* vero, *Non ag. inq. nunc de ac* (i. e. *de hac*) *amicitia. Nam si* etc. Rursus *Par. d. Non ag. inq. nunc de hoc, an amicitia propter aliud sit expetenda. Nam si* etc. Sic et *Par. a.* nisi quod post *expetenda* verbum *dic* adiiciat. Denique *Arg. c.* et ed. *A. Non ag. inq. nunc de hoc an amicitia vera expeti per se debeat. Nam si* etc.

PAG. 25. *l.* 10. *et erecto. et recto* ms. *b. l.* 12. *nulla re indigere.* Sic ms. *Arg. b.* et tres Gruteri cum edd. Poteram quidem *egere* corrigere, ut Ops. voluerat, ex aliorum omnium codd. praescripto; sed non erat necesse. Nec enim, ut Chrysippus pro sua subtilitate inter verbum δεῖσθαι et ἐνδεῖσθαι distinxerat, sic Seneca inter *egere* et *indigere.* Quod Chrysippo ἐνδεῖσθαι erat, id Senecae perinde et *indigere* et *egere* est: (cf. Ep. XIV. p. 44 extr. et p. 45, 4.) quod δεῖσθαι Chrysippo, id Senecae h. l. est *opus habere*, et *scire uti. l.* 16. *eget nulla re.* Vulgo *sed eget*, invitis msstis, qui non magis particulam *autem* agnoscunt,

quae *lin. seq.* vulgo inserta erat. *l.* 23. *subiectus.* Sic mss. omnes et edd. ante Erasmum, qui primus *subiectum* vulgavit.

PAG. 26. *l.* 3. *et* 4. Utrobique vulgo post *se contentus* repetitur verbum *est*, quod delevi cum ms. *Arg. b.* *l.* 7 et seqq. *Quomodo solitudo in odium est, et adpetitio societatis* etc. Ex msstis nostris restitui locum, corruptum vulgo et imperite interpolatum. Ad vocab. *natura l.* 9. spectat scholion in ms. *c. naturâliter;* quo indicabatur, in âblat. casu accipiendam esse vocem. *l.* 24. *prudentia.* Vocab. *temperantia,* quod ante istud vulgo legebatur, ignorant nostri mssti cum Opsop.

PAG. 27. *l.* 1. *ipse* ms. *b.* non *ipso.* *l.* 2. *ne exist. nec existimes* unus ms. *c.* *l.* 12. *apud Comicum.* Vulgo *apud poëtam comicum.* Mediam vocem ignorat noster *b.*

EPIST. X.

PAG. 28. *l.* 3. *quod iudicium meum habeas.* id est, quid de te ego iudicem, vel *quid de te sperem,* ut haud multo post ait. Vulgo *quo -- abeat,* ex ed. Ven. Restitui scripturam ed. Rom. cui adsentitur ed. *A.* et ms. *c.* et *Par. d.* Etiamque noster *b.* et *Par. b.* tenent *quod,* sed vitiose *habeo* scribunt, quod paulo ante recte suo loco stabat, (*non habeo cum quo te* etc. Cf. *l.* 22.) sed ibi in nostro *b.* perperam in *habes* mutatum est, quum h. l. mutari debuisset. Quod post ista Gronovius in suo cod. inserta duo verba reperit, *mitti haereas,* quae ille ex *tibi haereas* corrupta censuerat; suspicor scribere voluisse librarium *mûlti* (scil. *multi codices* praeferunt) *habeas,* quod erat scholion ad vitiosam scripturam *habet* spectans, quam idem codex h. l. praeferebat. Caeterum et alibi in mstis confundi verba *habere* et *haerere* notavimus ad Ep. VIII. p. 19, 25. *l.* 9. *adtende, ne* (sic) scribi debuerat; non *adtende: ne.* *l.* 11. *imprudentibus. inprud.* scriptum malim cum cod. *b.* At idem tamen mox *improbas* per *m* tenet. *l.* 16. *exponit* merito ex msstis restituit Ruhk. pro *expromit,* quod quidem non (ut ait ille) Erasmus ex coniectura posuerat, sed ex Erasmi coniectura temere in contextu posuerat Muretus. Eodem vero h. l. idem Ruhk. non minus temere aliam coniecturam Gronovii recepit, proxime praecedentia verba sic scribens, *mâlus celabat animus.* Vocem istam *manus,* quam ex

malus corruptam Gronovius censuerat, meliores libri (nostri quidem et Parisienses omnes) ignorant: nec *manus* scribere debuerat is, cuius ex calamo istud primum manavit, sed *animus*; scil. ex scholio, quo indicabatur, ad verbum *celabat* subintelligi idem vocab. *animus*, quod deinde verbo *exponit* adiectum est. Ex simili scholio factum videtur, ut in ed. Rom. (et inde in aliis ante Lipsium) vocab. *animus* ante *celabat* poneretur. *l.* 24. *quam roboris plena.* Sic ms. *b.* quod praetuli vulgato *quanti rob. pl.*

EPIST. XI.

Lin. 4. *Dedit nobis.* Intersertam vulgo particulam *enim* ignorant mssti. *l.* 6. *Ubi se colligebat, verecundiam* etc. Sic ex vet. cod. corrigendum monuit Erasmus in Append. pro eo, quod in editt. vett. legebatur, *Ibi se colligebat verecundia*, quod ipsum et mssti *Arg.* et *Par.* aliique tenent. Muretus, reliquam adoptans Erasmi emendationem, insuper (nescio qua auctoritate) *collegit* edidit, pro *colligebat.*

PAG. 30. *l.* 12. *et illo vitio sui etiam robustissimos admonet. et illos vitii sui* ed. Erasm. et seqq. invitis msstis, in quibus (quemadmodum et in ed. *R.*) est *et illos vitio sui*, quod revocavit Ruhkopf. intelligens naturam isto vitio admonere etiam sapientissimos, esse ipsos homines. Equidem *sui* ad *naturam* referendum puto, quae *etiam sapientissimos admonet sui*, i. e. admonet quanta sit ipsius vis. Tum vero pronomen *illos* prorsus otiosum, immo alienum ab hoc loco, mihi visum erat; itaque in *illo* mutare de mea coniectura ausus sum. In ms. *c.* quidem est *et illos etiam vicio suo*: in ed. *A.* *et etiam illos vicio suo.* *l.* 14. *adfunditur.* Sic *Par. b.* et *affund.* Arg. *b. c.* et *Par. d.* Vulgo *offunditur*, ab Erasmo. *effunditur* ed. *R.* *l.* 18. *quum erubuerint. erubuerunt* malebam. Cf. Not. ad p. 7. l. 4.

PAG. 31. *l.* 3. *haerebunt. habebunt* ms. *c.* et ed. *A.* Quo de errore monui ad VIII. 19, 25. *l.* 4. *vetari* ms. *b.* et *c.* cum aliis. Vulgo *vitari.* *Ead. l. arcessi.* Tenui et h. l. et alibi istam scripturam, quam vulgatam reperi. *accersiri* ed. *A.* et *R.* cum ms. *c.* et *Par. a.* *accersi* ed. Erasm. cum ms. *Arg. b.* et aliis. *l.* 8. *deiiciunt vultum. deiiciunt enim vultum* edd. vett. cum msstis *b. c.* et *Par. a. b. d.* non male, more Graeco. *l.* 14. *equidem utilem*, id est, sane, utique utilem. Sic mssti cum edd. vett. Vulgo *et quidem*, ab Eras-

mo. In *Par. d.* scholion in contextu positum, *utique utilem.* *l.* 20. *immerito.* Potueram *inmerito* scribere cum ms. *b.* *l.* 21. *peccatori testis adsistit.* Vulgo *peccaturis testis assistat*, invitis msstis nostris et Paris. *l.* 24. *non praesens tantum.* Vulgo *non adspectus tantum*, a Mureto, contra codicum fidem: nempe sic ille corrigere voluerat mendosum *actus*, quod pro *praesens* habebat ed. Erasm. In ed. *R.* fuerat *non praesens tantum factum*, sed postremum verbum recte ignorant mssti. *l.* 31. *et ipse animum ante se ferens vultus.* Sic recte *Arg. b.* cum *Par. a. b. d.* Inepte vulgo, *et ipsius animum ante te ferens et vultum.*

EPIST. XII.

Lin. 1. *verti* ms. *Arg. b. Par. a. b. d.* et alii. *verto* ms. *c.* cum edd. *l.* 3. *ait villicus mihi.* Postremam vocem, quae aberat vulgo, dedere nostri mssti et alii optimi quique cum ed. *A.* et *R.* *l.* 8. *adripio. arripio* ms. *b.* cum aliis. Mendose *accipio* ms. *c.* et ed. *A.* *arripui Par. a. b. d.* et *Col.* apud Grut. *l.* 15. *Quod inter nos sit.* Neutiquam hoc sperno: sed vide ne verum sit *intra nos*, quod habent *Arg. b.* et *Par. b. d.*

Pag. 33. *l.* 3. *Philositi.* Sic edd. inde a Mureto. Alii aliter. *Phylosici* ed. *R.* *Philosici* ed. *A.* cum ms. *c.* *Philosia* ms. *b.* Forsan *Philosyci* debuerant. Ex Paris. nil adnotatum. *l.* 4. *Profecto* ex ora Erasmi primus recepit Mur. et probavi equidem, licet *Perfecte* dent mssti Arg. et Par. cum editt. vett. Mox *pupulus* ex emend. Mureti et Lipsii est: olim *vetulus* edd. sed *populus* mss. et ed. *A.* Praetermitto nonnulla, quae ex msstis a nobis correcta sunt; ut *delicium meum*, pro *deliciolum meum*; et paulo post, *potio extr.* pro *potatio extrema.* *l.* 14. *omnis voluptas* ex Gruteri coni. merito adoptavit Lipsius. Olim *hominis vol.* edd. et mssti omnes. Similiter alibi permutantur ista vocabula; ut Ep. XLIV. l. 4. et LXIII. 193, 6. *l.* 21 et sq. *Primum ista tam seni* etc. Abest *ista* ms. *b.* non male; et videtur ex scholio irrepsisse. Restituimus autem verba in eum ordinem, quem ex Senecae usu loquendi servant mssti omnes cum editis ante Muretum: de quo conf. Opsop. et Grut. *l.* 29. *excludit.* Exspectaveram *includit;* sed nil mutant libri. Intelligendum igitur, *e maiore orbe excludit.* *l.* 31. *deinde ipse annus.* Hoc a Pinciano laudatum primus recepit

Mur. et habet ms. *c.* cum ed. *A.* Sed *deinde per se annus* ms. *b.* et Gruteri omnes, cum ed. Rom.

Pag. 34. *l.* 6. *Hoc alius aliter accepit. excepit* mss. *b.* et ed. *A.* non male. Sic pro *accipe*, eâdem notione, complures libri *excipe* praeferunt in Ep. LXXXII. p. 305, 9. quemadmodum ἐκδέχεσθαι Graeci dicunt. *l.* 13 sqq. *et in alternas mundi vices plura facit ista, non alia, alias contractior* etc. Emendationem Gronovii, qua locus, mire vulgo corruptus, ex msstis restitutus est, merito recepit Ruhk. Cum msstis consentit ed. Rom. nisi quod, pro *non alias contractior*, quod est in his, illa *non alia contractior* habet: nempe utrique simul voci, *alia*, et *aliâs*, suus hic locus erat. *l.* 18. *funereis. funebribus* ms. *c.* *Par. a. d. funeribus Arg. b.* et *Par. b.* *l.* 30. *epistolam includere* ed. *A.* et *R.* cum msstis omnibus. Cf. CXIV. 165, 22. Vulgo *eludere.*

Pag. 35. *l.* 1. *secum. feret.* Corrige *fert* ex msstorum consensu cum ed. *A.* et *R.* *l.* 11. *iurant. iurarant* ms. *b.* et *Par. d. iurarent Par. b.* Debuerunt puto *iurarunt*, quod ex uno suorum laudavit Opsop.

EPIST. XIII.

Pag. 36. *l.* 20. *nondum venerint.* Satis erat *non ven.* quod est in ms. *b.* et *Par. b. d.* Alii *nec ven.* alii *numquam ven.*

Pag. 38. *l.* 5. *numquam comparuerunt.* Repone *nusquam*, cum msstis omnibus, et editis ante Lipsium. *l.* 10. *ut prope admotum* ms. *b.* cum *Par. a. b. d.* et ed. *R.* Nempe *ut*, pro *quamvis*, de quo monuerat etiam Ops. Vulgo *vel prope adm.* *l.* 16. *interim non est.* Vulgo *interim dum non est*, ex scholio, invitis msstis et ed. Rom. *l.* 22. *quam iratus* ms. *b.* et *Par. b. d.* Vulgo *quantum iratus.* *l.* 23 sq. *esset, --si timeretur.* Vulgo, non male, *est--si timetur.* Sed *timeretur* dedere *Arg. b.* et *Par. a. b. d.* cum aliis apud Ops. Itaque pro *est* scripsi *esset* cum ms. *Amb.* apud Ops.

Pag. 39. *l.* 6. *coepit* mss. Vulgo *coeperit.* *l.* 8. *vanus auctor est, vanus est.* Sic *Arg. b. c.* et *Par. a. b.* cum al. Postremum verbum aberat vulgo; quare alterum *vanus* cum sqq. iunxit Matth. *vanus aut finxit* etc. In ed. *R.* desunt duo verba repetita, *vanus est.* *l.* 9. *Damus nos referentibus. referendos* ed. *A.* cum mss. *b. c.* et *Par. a. b. d.* de quo cogitet eruditus lector. *l.* 12. *ibi sic tecum loqui. ibi*, id est, in istis quae modo scripsi. Abest vulgo ea vox, quam exhibent

msstı. *Arg. b.* et *Par. a. b. d.* cum al. apud Opsop. et Grut. *l.* 15. *uter vincat* mss. Vulgo *utrum veniet.* Mox vero, ubi *pro me veniet* (ut vulgatum erat) tenui, ibi repone *pro me venit* ex ed. *A.* et *R.* et msstis omnibus; quod in nostro quidem *Arg. b.* non adparebat, ubi decurtatum verbum in fine lineae. *l.* 26. *habet stultitia.* Vocab. *proprium*, vulgo adiectum, ignorant edd. ante Lipsium, cum melioribus quibusque msstis.

EPIST. XIV.

Lin. 19. *in ignes* Arg. *b. c.* Par. *b. d.* et ed. *A.* (cf. p. 41. l. 9. et 14.) Vulgo *in ignem.* *l.* 14. *incommoda quoque.* Sic edd. inde a Mur. cum ms. *c.* et ed. *A.* Sed vide ne verum sit *incomm. quaeque*, quod habet ed. Rom. cum ms. Arg. *b.* et Par. *a. b. d.*

PAG. 41. *l.* 12. *emergeret* edd. vett. cum msstis. Vulgo *emergat.* *l.* 15. *textam.* Vulgo *intextam*, invitis msstis. *l.* 20 sq. *patientiae*, (i. e. doloris sensui) quod Gron. primus edidit, firmant mss. Arg. *b.* et Par. *b.* *l.* 25. *praecordiorum suspirationes* edd. vett. cum Arg. *b. c.* Par. *a. d.* et mss. Grut. Vulgo *suppurationes* ab Erasmo, cui suffragantem unum *Par. b.* cognovi. Praetuli autem istud, utpote minus quidem alioquin in promtu, conveniens autem cum Ep. LIV. 161, 3. *Ead. l.* 25. *febres -- torrentes* ms. *c.* et ed. *A.* Vulgo *febrem -- torrentem.*

PAG. 42. *l.* 20 sq. *nihil idem concupiscamus: rixa est* etc. Sic optimi quique mssti cum edd. ante Mur. et sic rursus ed. Gronov. Vitiosam vero et interpolatam scripturam, *nihil inde conc. unde rixa est*, tenuit Ruhk. *l.* 28. *praeceptione. praecepto* repone ex msstis cunctis et edd. ante Lips.

PAG. 43. *l.* 2. *dum calcare nolumus.* Unice vera mihi visa est haec scriptura, a Modio pridem commendata, et a Gronov. recepta, quam eamdem exhibet noster Arg. *b.* Ruhkopfius *calcari* tenuit, nulla ne nota quidem adiecta. *l.* 9 sq. *movet, adversarios habet.* Sic mssti et editiones vett. Vulgo *movent, adversarium habent.* *l.* 17. *videtur.* Perperam vulgo *videbitur.*

PAG. 44. *l.* 6. *ad hos te Stoicos voco.* Sic quidem editt. vett. consentientibus msstis: at recte videtur Muretus vocem *Stoicos* abiecisse, ut e scholio adscitam. *l.* 16. *in medio mari* ed. *R.* cum ms. Arg. *b.* et al. Inficete vulgo, *in medio maris.*

l. 15. *afferet.* Vulgo *affert.* Futurum commode dedere mss. Arg. et Par. cum ed. *A.* *Ead. lin. non dominatur latro, quum occidit.* Vulgo omnes mssti editique, *non damnatur* etc. haud dubie corruptâ scripturâ: ubi me advertit, quod, quum *dampnare* insertâ *p* literâ constanter aliâs scribant codices nostri et editiones veteres, h. l. illa *p* litera in nullo libro compareat: itaque *non dominatur* corrigendum putavi, atque ita scripsisse Senecam mihi persuasi, sententiâ huiusmodi: *Occidere latro* etiam sapientem *potest: sed non ideo est (aut fit) dominus* eiusdem: sapiens enim, solus liber, nullum dominum agnoscit. Pro *dominatur* veteres librarii *domnatur* scribere potuerunt, aut dñtur, ut *domnus* aut dñus pro *dominus.*

EPIST. XV.

PAG. 46. *l.* 7. *subtilitas.* Vocab. *animi*, ab Erasmo adiectum, ignorant meliores libri. *l.* 11. *potionis altius in ieiunio iturae.* Sic percommode ms. *Arg. b.* et *Par. a.* (*in ieiunio*, id est, *dum ieiuni sunt.* Cf. Ep. CXXII. p. 214. l. 2. et 11 sqq. et LXXXVIII. 356 extr.) *in ieiuno iturae* Par. *b. d.* Vulgo *ieiuno gutture.* *l.* 14. *sine mora laxent.* Sic edd. omnes inde ab ed. Rom. et ferri hoc utcumque possit; sed haud dubie praeferendum *lassent*, quod cum ed. *A.* agnoscunt mssti nostri *b. c.* et alii tantum non omnes. Nempe *lassatur* corpus exercitatione; *laxatur* balneo. Conf. XCV. p. 62, 27. *l.* 18. *saliaris* recte edd. ab Erasmo. *salutaris* edd. vett. et mss. *l.* 20. *usu fit facile.* Sic vulgo edd. cum ms. Par. *d.* et Col. et Pal. sec. Sed *usum rude facile* Arg. *b.* et Par. *b.* *usum rudem facilem* ed. *A.* cum ms. Arg. *c.* et Par. *a.* Conf. Pincian. et Ops. ac vide ne proverbium aliquod olim in usu fuerit huiusmodi, *usu rude facile*, vel *usu rudis facilis.* *l.* 26. *dandum est.* Vulgo *dandum et*, invitis msstis.

PAG. 47. *l.* 2 sqq. *Quod si velis* etc. Cum ed. *R.* et mss. Arg. *b.* Par. *b.* et Grut. forsan scribendum, *Quid si velis -- discere?* quae verba cum superioribus ita cohaerent, ut sententia sit: »Ad exercendam vocem (cuius intentio etiam ad totius corporis exercitationem valet) nihilo magis opus est musicos adhibere modos, quam ad ambulandum (ad corpus ambulatione exercitandum) opus est, ut a magistro didiceris quemadmodum ex artis legibus ambules.« Sed et in eamdem fere sententiam teneri *Quod*

si poterit. Tum ironica et mimica (ut solet) oratione pergit: *Admitte istos* etc. id est: Id ni ita esset, dicerem tibi, *admitte istos* etc. Nam *admitte*, non (ut vulgo) *admittes* dedere mss. Arg. *b*. Par. *b*. *d*. et alii apud Ops. et Grut. *l*. 5. *buccas et dentes* ex Gruteri coniect. scripsi: pro quo si quis vulgatum *buccas edentis* (in quod consentiunt mssti) repositum voluerit, per me sit licitum. Illud moneo, pro terminatione *es* nominum pluralium tertiae declinationis, frequenter in libris nostris priscam terminationem *is* superesse. *l*. 6. *procedat* mssti. Vulgo *procedet*. *l*. 9. *Usque eo* ed. *R*. cum ms. Arg. *b*. et Par. *a*. *b*. *d*. Vulgo *usque adeo*. *l*. 14. *fac in vices convicium*. Vulgo *fac vitiis conv*. Nempe in codd. quibusdam emendatioribus hoc reperisse se ait Pincianus, unde recepit Mur. At haec scriptura in nullo ex eis codd. quos vel Opsop. vel Grut. vel alius quisquam vidit, reperitur: nec agitur hîc de reprehendendis vitiis, sed de exercitatione corporis, quae fit declamando et vocem intendendo. Nostri codd. et Paris. et omnes Opsopoei et Gruteri *vicinis* dabant; non id quidem melius, sed non dubito eamdem scripturam exhibuisse Pinciani codices illos, quos ille *viciis* vel *vitiis* dare debuisse existimaverat. Plerique eiusdem Pinciani codd. *in cives* dabant, quod et ed. Rom. et aliae ante Mur. tenuerunt: qua in scriptura equidem mihi persuasi latere istam, *in vices*, (i. e. alternis vicibus) quam unice veram iudicavi. Nullum librariorum sphalma frequentius, quam literarum quarumdam aut syllabarum in eadem voce transpositio. *Fac convicium* h. l. idem valet ac *declama*, nil amplius. *l*. 15. *te hortabitur et latus. Modesta* etc. Certius nihil habens, vulgatum tenui, quod ex Erasmi coniect. receperat Mur. Mssti nostri cum aliis, *te hortabitur in id latus modesta*. In uno tamen *Par*. *d*. scribitur *modeste*; quod non spernam. *l*. 17. *moderatoris sui temperamentum habeat*. Vulgatam istam scripturam cum ed. *R*. nonnisi iuniores fere codices (Gruteri Palat. 1. 2. et 3.) agnoscunt. *mediatoris sui temperamentum habeat* Arg. *c*. et Par. *a*. *moderationis sui temp. hab*. ed. *A*. et ms. *Col*. *mediatoris sui habeat* Arg. *b*. Palat. sec. et Par. *b*. aliique apud Ops. *mediatoris vim hab*. Par. *d*. *medietatem oris sui hab*. cod. Ambian. Ops. *l*. 19. *agimus* ed. *R*. cum Arg. *b*. Par. *a*. *b*. *d*. aliisque. *agamus* ms. *c*. et ed. *A*. Vulgo *agitur*. *l*. 21. *unus gradus*. Ex nostra hoc coniectura est. Vulgo *munus gratum*, invitis

msstis. *unus Graecus* ms. Arg. *b.* et Par. *a. unum graecus* Par. *b. d. unus gratus* ms. *c.* et ed. *A.* Conf. Ops. et Grut. Frequens in libris nostris literarum *d* et *t* permutatio. *l.* 22. *Stulti.* Corrige *Stulta vita*, sic iubentibus msstis.

l. 25. *Isionis.* Vulgo *Ixionis.*

Pag. 48. *l.* 10. *Mutantur speciosi adp.* Vulgo, *concitant, et invitant spec. appar.* ex Erasmi coniect. quum vitiose *imitantur* olim, pro *mutantur*, editum fuisset.

EPIST. XVI.

Pag. 49. *l.* 2. *pluribus verbis haud adfirmandum.* Locum, vulgo ex Erasmi coniect. interpolatum, levi mutatione correxi. Mssti, *aut* (sed Arg. *c.* et ed. *A. haut*) *affirmatis. l.* 13. *cum aliqua oblect.* Deerat *cum* edd. *l.* 30. *disposuit* Arg. *b.* Vulgo *disponit.*

Pag. 50. *l.* 9. *impetum animi tui.* Sic mssti: vulgo nude, *animum tuum*, a Lipsio. Leviora multa praetermitto, e msstis a nobis correcta. *l.* 17. *Sic quoque.* Commode *sicut quoque* mss. Arg. *b.* et Par. *b.* *l.* 19. *ad opinionem. ad opiniones* ed. *R.* cum Arg. *b.* et Par. *a. b. d.* *l.* 30. *Via eunti. Viam eunti* ed. *A.* cum ms. Arg. *c.* et Pal. sec.

Pag. 51. *l.* 2. *petis. petes* recipi poterat, quod habet ed. *A.* cum mss. Arg. *b. c.* et Par. *a. b. d.*

EPIST. XVII.

Pag. 52. *l.* 1. *quum aliqua conclamatio est. quum aliqua conclamata est* ms. Arg. *b.* Par. *a. b. d. aliquo conclamatum* ed. *A.* cum ms. *c.* quod verum videtur. *l.* 30. *Equidem* ed. *A.* et *R.* cum ms. *c.* id est, sane, profecto, ut Epist. XI. p. 31, 14. Alii mssti, *Et quid?* Vulgo *Et quidem* edd. ab Erasmo.

Pag. 53. *l.* 29. *id est omni seculo.* Vulgo *inest omn. sec.* a Mureto, invitis msstis.

Pag. 54. *l.* 4. *Nec hoc.* Sic mssti et ed. *R.* Vulgo, *Non hoc.* *l.* 6. Post *paupertatem* ex veterum librorum omnium consensu adiici debuerat pronomen *nobis*, inde a Mureto temere omissum. *l.* 14. *transferet* scripsi cum Arg. *b. c.* Vulgo *transfert.*

EPIST. XVIII.

Pag. 55. *l.* 11. *temperatius. temperantius* ed. *A.* et mss. *b. c.* *l.* 12. *insignire* ed. *A.* et *R.* cum mss. *b. c.* et *Par. a. b. d.*

Vulgo *insigniri.* *l.* 25. *exerceas* iidem libri. *exerce* vulgo, a Muret. *l.* 29 sq. *dicere Timoneas coenas.* Recepi scripturam, iam pridem ex Turnebi coniect. et ex suis msstis ab Opsopoeo commendatam. Levi mendo *temoneas* ms. Arg. *b.* et Par. *b.* cum aliis apud Ops. Vulgo *ducere te ad modicas coenas.*

PAG. 56. *l.* 5. *ad securitatem.* Sic ed. *A.* cum msstis Arg. *b. c.* et Par. *a. b. d.* aliisque plurimis: quam scripturam contra vulgatam, *ad saturitatem*, bene defenderunt Modius, Opsop. et Grut. *l.* 7. *debet* [*etiam*] *irata.* Vox *etiam*, quamvis ad sententiam opportuna, abest ed. *A.* et *R.* et msstis omnibus; vulgata est autem inde ab ed. Ven. In ed. *A.* est *det irata.* Suspicor scripsisse Senecam *dat et irata.* *l.* 11. *quod tam facile.* Aberat vulgo *quod.* *l.* 23. *asse pasci.* Vulgo *asse se pasci:* sed nec desiderabatur pronomen, et abest ed. *A.* et *R.* et msstis Arg. *b. c.* et Par. *a. b. d.* Conf. Not. ad III. 8, 6. *l.* 30. *deduxisse* dedere mssti, non *reduxisse*: et *l.* 31. *Liberiora;* non *Liberaliora*, ut vulgo ex Mureti ingenio.

PAG. 57. *l.* 4. *decretis* ed. *R.* cum mss. Arg. *b.* Par. *a. b. d.* et aliis. *detractis* ed. *A.* et ms. *c.* *redactis* vulgo, ex eiusdem Mureti ingenio. *l.* 13. *possessionem tibi non interdico.* Sic ed. *A.* et *R.* consentientibus msstis: et recepit hoc Ruhkopf, a Gronovio et Grutero defensum, quum *possessione* vulgatum esset inde ab ed. Ven. 1. quod ipsum rursus in ed. Matth. revocatum est. *l.* 20. *Delegabo te ad Epicurum.* Vulgo *Delegabo tibi Epicurum* a Mureto, invitis msstis.

PAG. 58. *l.* 1. *non moderationis causa, sed sanitatis.* Nil mutant libri. Vide Not. ad VIII. 21, 14. Suspicari quidem aliquis posset, intercidisse olim vocem *modo* ante *moderationis.*

EPIST. XIX.

L. 16. *prima consilia.* *propria consilia* edit. Erasm. Mur. Lips. et Bipont. praeter rationem et invitis mss. *l.* 19. *iam notitia te invasit.* Sic recte cod. Nicot. Opsopoei. *tam notit.* ms. Arg. *b.* cum al. Vulgo *tanta not.* *l.* 21. *priora monstrabunt.* Pronomen *te*, vulgo intersertum, ignorant editiones principes cum msstis omnibus. Conf. not. ad I. 4, 12.

PAG. 59. *l.* 19. *talem et cupiditatum.* Sic edd. inde a Lipsio. *talem esse cupid.* ed. *A.* et *R.* consentientibus msstis. Commode *talem dicimus esse cupid.* ed. Ven. Erasm. et Mur.

Pag. 60. *l.* 9. *accedet ad metum.* Repone *ad metus* cum ed. *A.* et *R.* et ms. Arg. *b.* Par. *a. b. d.* aliisque. *l.* 11. *elocuti* scripsi cum cod. Nicot. *docuit* vulgo. *edocuit* ed. *R.* et ms. Arg. *b.* Par. *a. b. d.* aliique. *l.* 23 sq. [*nisi*] *in aspero et probo.* Vocem *nisi* (ex Erasmi, Turnebi et Lipsii coniectura a Gronovio adiectam) abiecit Ruhk. ego uncis inclusi, ut peraptam quidem, sed tamen fortasse, ad eumdem efficiendum sensum quem iidem voluerant docti viri, non admodum necessariam: scilicet, *nec tu voles*, ait Seneca, *hanc Maecenatis sententiam in aspero et probo*, (id est, *pro aspero et probo*, vel, *tamquam asperum et probum*) *quod ego tibi debeo, accipere.*

Pag. 61. *l.* 4. *ad conciliandos amicos.* Vide ne verum sit *ad concil. animos*, quod habet ms. Arg. *b.* Par. *a. b. d.* cum aliis plerisque. Postremum vocab. abest ms. *c.* et ed. *A.* ne id quidem male. *l.* 8. *conlocata* (s. *collocata*) recte edd. vett. cum mss. omnibus. Perperam vulgo *collata*, a Mureto.

EPIST. XX.

L. 11. *varia ac volubili.* Placuit hoc, quod dedit ms. *c.* et ed. *A.* Vulgo *varia aut volub.*

Pag. 62. *l.* 3. *ut ipsa inter se vita unius* etc. Sententia satis perspicua, verba non satis expedita. Variant libri, sed ita ut nihil certi extricare liceat. Forsan: *ut ipsa inter se vita una sit, unius sine actionum dissensione coloris*; sive, *unus omnium actionum color.* *l.* 6. *ut ipse.* Perperam vulgo *ut et ipse.* *l.* 13. *regulam prende.* *praetende* ed. *A.* cum ms. *c.* et Par. *d.* speciose: sed scholion inter lineas ms. *c.* *apprehende* ad eamdem scripturam *prende* refertur, quam h. l. edd. cum aliis msstis tenent, pro eo quod aliâs est *prehende*. Conf. Praef. p. 257. *l.* 29. *Non potest enim.* Particulam *enim*, quae aberat vulgo, dedere h. l. mss. *b. c.* Par. *a. b. d.* et alii optimi quique.

Pag. 63. *l.* 7. *turbae familiarium. turbae familiari*, a Gron. commendatum recepit Ruhk. Vulgatum tenuit Matth. Nil ad h. l. notarunt alii: mire vero nostri mssti, *turbae familiarium sive rei familiarium* Arg. *b.* Par. *a. b.* *turbae familiaris sive rei familiaris* ms. *c.* et ed. *A.* *turbae familiari sive rei familiari* Par. *d.* Conf. Gruteri Append. *l.* 8. *ipsa se pascet.* Sic edd. inde ab Erasmo. Sed verum videtur quod habent editiones principes cum mss. *b. c. Par. a. b. d. Pal. sec.* et *Col. ipsa te pascet:* quo dein refertur, *aut quod tu* etc. id est, *aut* (si illi gratiam tibi non retulerint) *tu pau-*

pertatis beneficio scies, quinam fuerint veri amici. l. 18. *felicitas propior.* Sic meliores libri. *felic. proprior* ed. *A.* et *R.* cum uno ms. *c.* Perperam vulgo *felic. Deo propior,* ex ing. Mur. *l.* 27. *in stramentis* edd. vett. cum mss. Sua auctoritate *in* abiecit Mur. *Ibid. non praeceptor* etc. Duo verba, *tunc enim,* a Ruhk. recte abiecta, non revocari debuerant in ed. Matth. Temere adsuta olim a Curione erant invitis libris.

Pag. 64. *l.* 5. Ista, *sed securior, qui caret divitiis*, ex ed. Rom. propagata, ignorant omnes mssti, quos novimus, uno Colon. excepto. *l.* 7. *Nec scio ego, Epicuri an aemulus iste pauper* etc. Isto fere modo corrigendum fuisse locum, misere vulgo deformatum, nullus dubito. Vulgo, inde a Mureto, *Nec ego Epicuri angelus scio an pauper iste* etc. quod ita se probavit Ruhkopfio, ut nullo pacto ereptum sibi istum *Epicuri angelum* vellet. Et *angelus* quidem vulgatum erat inde ab ed. Ven. 1. suffragante ed. *A.* et ms. *c.* aliisque nonnullis apud Grut. sed *angulus* dabat ed. *R.* cum mss. Arg. *b.* Par. *a. b. d.* et aliis plerisque: nonnulli vero (Erasmo teste, et Opsopoeo) *aemulus* praeferebant, quod miror non amplexos esse editores. Mihi quidem non est dubium, istud *angulus* ex *an aemulus* esse prognatum: nempe *Epicuri aemulum* dicit Seneca Metrodorum, aut quisquis fuit, ad quem verba ista, paulo ante laudata, scripserat Epicurus. Postquam ita *an* evanuerat, librarii deinde, intelligentes desiderari aliquam talem particulam, suo more *si* pro *an* posuere, *si pauper iste;* pro quo *an pauper iste* Muretus ex coni. edidit. Iam quod initio posui, *Nec scio ego,* id ita in ed. *R.* et nonnullis codd. scriptum, commode quidem: sed abesse etiam et subintelligi verbum *scio* poterat, quod cum ed. Erasm. ignorat ed. *A.* et mss. Arg. *b. c.* et Par. *a. d.* aliique. Tota vero ῥῆσις, *Nec scio ego -- inciderit* abest *Par. b.* *l.* 15. *tamquam ad meliora.* Rectius delebitur h. l. vocula *ad,* quae abest ed. *R.* et *A.* et msstis nostris. Deinde, pro *praeparare,* omnino *praeparari* corrigendum ex veterum librorum omnium consensu. Istud non ex Erasmi editione (ut Gruterus putabat) propagatum est, sed post eum a Curione aut a Prallo temere invectum.

EPIST. XXI.

Pag. 66. *l.* 11. *idem quandoque silentium obitura.* Vulgo *in idem -- abitura,* ex ingenio Mur. *l.* 14. *Habebo apud*

posteros gratiam. Sic ed. *A.* et ms. *c.* Par. *d.* et alii apud Ops. et Grut. Ferri autem potuerat vulgatum *Habeo*, (id est, collocatam habeo) quod cum ed. *R.* agnoscit ms. Arg. *b.* et alii. De re conf. Ep. VIII. p. 19. l. 11 sqq.

PAG. 67. *l.* 19 sq. *sequor* [*pro eo quod probo.*] *Eo libentius* etc. Quae verba uncis inclusi, absunt vulgo: sed exstitisse ea olim h. l. suspicatus eram ex vestigiis, quae in vetustis libris supersunt. Scilicet, *pro eo libentius* habet ed. *A.* et edd. ante Mur. inde ab ed. Ven. 1. cum mss. Arg. *b.* *c.* et Par. *a.* *d.* *probo libentius* ed. *R.* cum ms. Par. *b.* *l.* 21. *et* 23. *ut istis - - - probem.* Commode sic editum, sed ex Mureti ingenio. Nostri quidem mssti Arg. et Par. et Gruteriani cum editt. vett. tenent *ut isti - - - probent:* quod nescio an teneri debuerit. *l.* 22. *ipsos* edd. vett. cum Arg. *b.* et Par. *b.* *d.* *se ipsos* vulgo, a Mureto. *ipsa* mss. Grut. *ipsa se* ed. *A.* et ms. Par. *a.* *ipsos ipsa se* ms. Arg. *c.* Rectius (puto) abiicientur omnia ista pronomina. *l.* 24. *adierint* edd. inde ab Erasm. cum ms. Par. *a.* Mire autem variant alii, *adieritis*, *audieritis*, *audierit:* et nonnulli iungunt *adieritis adierit*, vel *audieritis audierit:* unde Erasmus deinde adiecit, *et audierint inscriptum hortulis.* Equidem suspicor verum esse *Quum adieris.* *l.* 25. *istos hortulos* ex coniect. scripsi. Vulgo *hos hortulos* ab Erasm. quod teneri poterat: sed *his hortulos* ms. Arg. *b.* Par. *b.* *d.* *istic hortulos* ed. *R.* et Par. *a.* Alii (ut noster ms. *c.* cum ed. *A.*) nude *ortulos* (i. e. *hortulos*) habent absque pronomine; quod fortasse verissimum. *l.* 31. *inquit. inquam* edd. a Mur. invitis msstis.

PAG. 68. *l.* 5. *Nam de illis.* Sic mss. Arg. *b.* *c.* cum edd. ad quam scripturam nihil adnotavit Opsop. aut Grut. At *non de illis* mss. Par. *a.* *b.* *d.* ne id quidem male.

EPIST. XXII.

L. 1. *Iam intelligis.* Vitiosum *intelligas* ex una editionum Lipsianarum (non ex prima ab ipso Lipsio curata) in ed. Gron. et Bipont. aliasque irrepserat. *l.* 11. *etiam posteris.* Vulgo *sed etiam.* Delevi priorem vocem, auctoritate nostri ms. *b.*

PAG. 69. *l.* 9. *confer.* Hoc verbum, pro vulgato *censeo*, dedit idem noster ms. Arg. *b.* Scil. *confer* haec duo inter se, *aut..aut.* *l.* 22. *est aliquid, etiam si* etc. Commodius

sic distingues: *est aliquid etiam, si* etc. *l.* 25. *equidem prudentiores.* Sic ms. *b.* cum nonnullis Pinciani. Conf. XI. 31, 14. et ibi not. Vulgo *et quidem.* *l.* 26. *deferre.* Sic libri nostri omnes. Vulgo *referre*, a Mureto, cui unus suffragatur Pal. tert. *l.* 28. *lege.* Sic ed. *A.* cum ms. *b. c.* Par. *a. b. d.* aliique apud Ops. omnes. Vulgo *legi.*

Pag. 70. *l.* 1. *potuerit* ms. *b.* Vulgo *poterit.* *l.* 11. *nisi crescit. verum ibi crescit* edd. inde a Lipsio: antea *verum ubi cr.* Nude *crescit* ed. Ruhk.. cum uno ms. Col. apud Grut. Sed *nisi crescit* dedere mss. Arg. *b.* Par. *b. d.* aliique apud Modium et Ops. Nam quod in Opsopoei Collectaneis *ibi* citatur, id temere factum: haud dubie, *nisi*, non *ibi*, scripserat aut scribere voluerat Ops. *l.* 19. *brevia, in quibus volutatur.* Sic edd. a Mureto; commode, si ex vet. cod. ductum; sed vereor ne ex hominis ingenio. Mireris tamen quo pacto in hoc potissimum inciderit vir ingeniosus, quum haud incommode *gravia* dederint superiores editt. consentientibus msstis Arg. Par. et Grut. *l.* 20. *referet pedem.* Temere *repetet ped.* edd. inde ab eodem Mur. invitis msstis. *l.* 25. *magnas spes.* Vulgo *longas spes*, a Lipsio, invitis msstis, et contra auctoris mentem.

Pag. 71. *l.* 4. *ipsos. se ipsos* ed. *A.* cum ms. *c.* Placeret nudum *se:* sed utrumque pronomen e scholio interpolatum videtur. Conf. not. ad III. 8, 6. *l.* 11. [*et vera*] *suadebunt.* Duo priora verba, ex ed. Rom. propagata, ignorat ed. *A.* cum msstis nostris. In Arg. *b.* vero et in Par. *a. b. d.* scribitur *sua suadebunt;* sub quo quid lateat nescio. An *et tuta* debuerant? *l.* 26. *alienas sarcinas adorno* edd. inde ab Erasmo. *adoro* editt. princ. cum msstis.

Pag. 72. *l.* 14 sq. *vitae desiderio laboramus.* Sic ed. Rom. *vitae desideriis laboramus* Palat. quart. et Col. Nude *vitae laboramus* ed. *A.* cum mss. Arg. *b. c.* Par. *a. b. d.* et Pal. 1. 2. 3. fortasse ne sic quidem male, i. q. de vita laboramus, de ipsa vita solliciti sumus. Gruteri coniecturam recepit Ruhk. *quod inanes omnium bonorum summis vitae desideriis laboramus.* Ante illum, inde ab ed. Curionis, (rursusque post Ruhk. in ed. Matth.) legebatur, *quod inanes omn. bon. sumus, quorum in fine vitae desiderio laboramus.* ex coniectura Pinciani, qui in nescio quo libro scriptum repererat *cum in fine vitae desiderio lab.* *l.* 16. *et effluxit.* Abest *et* mss. Par. *a. b. d.* nullo incommodo.

EPIST. XXIII.

Pag. 73. *l.* 5. *Ad summum* dedit ed. *A.* et ms. *c.* Cf. xx. 63, 5. Perperam *ad summam* Arg. *b.* et Par. *d.* Alii vulgo *ad summa,* nec id male. Cf. xcii. 23, 14. *l.* 23. *hilari oculo.* Verum fuerit *hilariculo,* quod praefert ms. Arg. *b.* cum Par. *b. d.* aliisque apud Opsop.

Pag. 74. *l.* 2. *invectitium gaudium.* Sic ex vet. cod. quem Erasmus in Append. laudaverat, primus edidit Muretus; cui nescio an adsentiantur mss. Par. *a.* et *b. inventitium* editt. vett. cum Arg. *b. c.* Par. *d.* et aliis apud Grut. *l.* 8. *ab alio.* Adiiciunt *vel ex alio* ed. *A.* et *R.* cum mss. Arg. *b. c.* Par. *a. b. d.* et aliis: quae verba absunt vulgo, abiecta inde ab ed. Ven. et merito quidem, me iudice, ut ex scholio olim invecta. *l.* 16. *est voluptas.* Ignorant *est* edd. vett. cum msstis Arg. Par. et aliis: quod si placet, delendum *comma* post *voluptas.* Mox, pro *teneat,* est *tenuerit* in ed. *A.* et mss. *b. c.*

Pag. 75. *l.* 1. *proximae ripae deposuit.* Sic editt. vett. cum msstis, quod praeter rationem Muretus in *proxime ripam* mutavit. *l.* 18. *desierunt.* Temere *defecerunt* ed. Lipsii et sqq.

EPIST. XXIV.

Pag. 77. *l.* 8 sq. *quam illi ab hoste subducta est.* Sic scripsi cum Arg. *b.* cui adsentitur Par. *a.* Sed rectius revocabitur vulgatum, *quam ignis illi ab hoste subductus est,* quod cum ed. *R.* et *A.* praefert ms. *c.* puto et alii. (Conf. Ep. lxvi. p. 216 extr.) Par. *b.* quidem et Par. *d. quam illi ab hoste subductus est:* omisso vocab. *ignis.* *l.* 16. *Etiam mihi.* Sic equidem interpretatus eram scripturam, quam h. l. in ms. Arg. *b.* inveni: nunc video *Tam* ibi legendum, male id quidem. Tñ habet ms. *c. Tamen* ed. *A. Tu mihi* ed. *R.* Par. *a.* Pal. 2. et Col. quae non meliora. Verum erat *Tum mihi,* quod exhibent Par. *b. d. Iam mihi* edd. inde ab Erasm. ex ipsius coniect.

Pag. 78. *l.* 23. *se bene habet.* Alii, *bene se habet.* Rectius fortasse abiicietur pronomen.

Pag. 78 *extr.* et 79. *l.* 1. *ut beneficio eius nihil timendum sit. nihil anteferendum sit* edd. ab Erasm. et Mur. *nihil anteferendum timendumve sit* ed. Ruhk. cum ed. *A.* et *R.* et mss. Par. *a. b. d.* aliisque. Sed Arg. *b. nihil anteferendum timendum sit,* absque coniunctione. Delevi equidem prius verbum, ut

imperite olim intrusum ab homine qui vocab. *beneficio* in tertio casu acceperat, quum intelligendum esset in sexto casu positum. *l.* 12. *sed et rebus.* Dele *et:* satis erat *sed rebus*, quod habent edd. vett. cum msstis. Vide not. ad IV. 8, 15. et ad VIII. 19, 10.

PAG. 80. *l.* 5. *In haec natus es. In hoc* edd. vett. cum ms. *c.* et Par. *a. d.* Vitiose *In hac* Arg. *b.* et Par. *b.* *l.* 12 sq. *ex potentioris viribus.* Sic primus emendavit Lips. commode. Cf. LXXVI. 274, 6. Ante eum edd. cum msstis, *ex potentioribus virib.* *l.* 13. *ipsae. sed ipsae* edd. ante Ruhk. rursusque ed. Matth. invitis editt. vett. et msstis. Mox, *in tormenta voluptates* scripsi cum ed. *A.* et ms. *c.* Vulgo *volupt. in torm.* *l.* 30. *aut emittit.* Sic edd. ante Ruhk. inde a Mur. (rursusque nuper ed. Matth.) cum ed. *A.* et ms. *c.* ac nonnullis Pinciani codd. Et bene quidem hoc convenit cum eo quod continuo sequitur, *emissis*, et cum aliis Senecae locis, ubi idem verbum in eodem argumento ponitur: sed exquisitius est, et repositum cum ed. Ruhk. malim, *aut exuit*, quod cum ed. *R.* praeferunt mss. Arg. *b.* Par. *a. b. d.* aliique apud Pinc. et Grut. Nempe *exuit* nos, id est animum nostrum velamento, quod illum dum vivimus circumdat: cum quo convenit, quod mox ait, *onere detracto.* Conf. Ep. XCII. p. 26.

PAG. 81. *l.* 23. *Mors non una venit; sed, quae rapit, ultima mors est.* Vulgo quidem omnes edd. et mssti, (excepta una ed. Mur.) *Mors non ultima venit;* quod ipsum revocans Lipsius, particulam *sed* abiecit, quam quidem veteres libri ad unum omnes agnoscunt. Reposui equidem id quod verissime a Mureto positum erat, quod et orationis structura, et sententia non minus perspicua quam acuta, et ipsius Senecae interpretatio, denique metrica etiam ratio postulabat: metrica, inquam, ratio; nam verbum *venit*, quo prima syllaba producatur, h. l. in *praeterito* tempore velle accipere, haud multum ab ineptia abesse mihi videtur.

PAG. 82. *l.* 11 sq. *Ad utrumque enim movendi. In utrumque monendi* edd. a Mureto: ante illum, *At in utrumque emonendi*, ex ed. *R.* in qua duo verba *enim monendi* perperam in unum *emonendi* contracta erant. Tenent autem *enim* mssti omnes. Tum *monendi* ms. *c.* Par. *a. b. d.* aliique apud *Grut.* sed *movendi* alii apud eumdem, cum ed. *A.* quod adoptavi, licet non displicuerit Dion. Gothofredi coniectura, *muniendi.* Sed ecce in alia omnia discedens noster Arg. *b.*

induendi praefert: quod vide an tenendum ipsum fuerit, an in *imbuendi* mutandum, ut legeretur *In utrumque enim imbuendi*. Priora quidem verba nusquam sic scripta reperi, *In utrumque*. *Ad utrumque* dedere tres Palatini, non optimae quidem alioquin notae. *At in utrumque* Arg. *b. c.* Par. *a. b. d.* Pal. sec. et Col. cum ed. *A.* et *R.* ubi *At* vitiose (puto) pro *Ad* scriptum, et duae lectiones altera alteri iunctae, e quibus seligenda fuerit ea, quae cum sequente verbo maxime conveniat. *l.* 27. *satiabor* abest ed. *A.* et mss. Arg. *b. c.* et Par. *a. b. d.*

Pag. 83. *l.* 1. *sic transeunt.* Deerat vulgo *sic*, invitis msstis et edd. vett. *l.* 2. *facio -- novi.* Sic mss. *b. c.* cum ed. *A.* et *R.* Transposita vulgo erant ista verba. *l.* 3. *nausea.* Poterat *nausia* scribi, cum ms. Arg. *b.* et aliis apud Ops. *l.* 4. *supervacuum* edd. vett. cum mss. Arg. *b. c.* Par. *a. b. d.* Pal. sec. et Col. *superfluum* edd. a Lipsio, ex tribus iunioribus msstis Gruteri.

EPIST. XXV.

Pag. 84. *l.* 25 sq. *aut cuius.* Nil mutant libri: intellige, *aut* quisquis sit, *cuius* etc. *l.* 27. *cum quo* edd. vett. cum msstis; non (ut vulgo) *coram quo.* *l.* 29 sq. *incipiam tibi permittere; quod idem* etc. Dele distinctionem post *permittere*, et intellige *permittere id quod* etc. Sic non opus fuerit corrigere *te tibi permittere.*

Pag. 85. *l.* 2. *Dum tibi tutum sit ad te recedere.* Sic ex coniect. scripsi; id est, donec tibi tutum fuerit. Vulgo, *dum tibi tutum non est a te recedere*, inde a Mureto: sed *sit*, non *est*, habent veteres libri omnes: tum *ad te*, pro *a te*, e suis codd. laudavit Ops. Denique *non*, ante *sit*, mea de coniect. ausus sum delere, ut ex scholio adiectum: nam *dum -- sit* idem fere valet ac *dum -- non est.*

EPIST. XXVI.

Pag. 85 *extr. et Pag.* 86. *l.* 1 sq. *excutere, quae non possim facere; quae nolim, posse habiturus. Atqui si nolim quidquid non possum, non posse me gaudeo.* Vulgo ex Mureti ingenio: *excutere --- quae nolim: possim ne aliquid quod nolim. Nam si quid non possum, non posse me gaudeo.* Equidem perfacili coniectura, et levissima mutatione, sanum praestitisse mihi videor locum, qui conclamatus habeba-

tur, et variis atque variis modis a viris doctis erat tentatus. Ubi *posse habiturus* posui, (i. e. *si hoc haberem ut possem*, sive uno verbo, *si possem*; coll. XLII. 125, 25.) ibi mssti omnes cum ed. *A*. et *R*. vitiose dabant *prodesse habiturus*. Tum in *Atqui si nolim* consentiunt mss. *b*. *c*. cum ed. *A*. nisi quod in ed. *A*. prima vox ita decurtata est, ut *Atque* valere possit, quod ne ipsum quidem displicet. Denique in ms. *b*. sic scribitur, *quicquid non possum me gaudeo*: in ms. *c*. vero et in ed. *A*. *quidquid non posse me gaudeo*: ubi manifestum est, in ms. *b*. temere omissa esse duo verba *non posse*; in ms. *c*. vero ista, *non possum*. De sententia conf. Ep. LXVII. p. 218, 1-3. *l*. 4. *quod debet*. *quid debeat* ms. *b*. *quicquid debeat* ms. *c*. ed. *A*. *quicquid debet* ed. *R*. *l*. 10. *citus*. Vulgo omnes, *ictus*, quod non invidebo si cui placet; ego corrigere non dubitavi, et iam nunc animadverto, diserte hoc laudari ab Ops. ex cod. Nicot. *l*. 25 sq. *tota vita tractata*. *tota vita tracta* ed. *R*. et mss. *Arg*. et Par. *b*. *d*. Vulgo *totam vitam tractata*.

Pag. 87. *l*. 3. *Iuvenior* ms. *Arg*. cum aliis apud Mod. et Ops. Vulgo *Iunior*. Amat autem Seneca priscas verborum formas. *l*. 6. *Desinere*. *Finire*. vulgo, ab Erasm. invitis msstis et ed. *A*. et *R*. *l*. 12 sq. *Meditare mortem*, *vel si commodius sit transire ad nos*, *vel nos ad eam*. Repraesentavi scripturam nostri ms. *c*. et ed. *A*. quam quidem, fateor, nec satis expedio, nec veram praestabo. Consentiunt autem in eamdem etiam ms. *b*. et Par. *a*. *b*. *d*. nisi quod postrema verba, *vel nos ad eam*, omittant. Donec certius aliquid fuerit repertum, restitutam malim scripturam inde ab ed. Rom. vulgatam: *Meditare utrum commodius sit*, *vel mortem transire ad nos*, *vel nos ad eam*.

EPIST. XXVII.

Pag. 88. *l*. 13. *magno luendas*. Perperam *levandas* editt. vett. cum msstis, quod ex Pinciani coniect. merito correxit Mur. nec revocare debuerat Ruhk. Conf. XLVII. 135 extr. *l*. 26. *sed festinatur*. Sic edd. vett. consentientibus msstis. *sed non festinatur* ed. Mur. *sed festinetur* ed. Ruhk. ex Gronovii coniect. Neutra emendatione opus erat: festinationem dicit vitium cessationi oppositum, ut bene docuit Gruterus; licet non constanter vis ista verbo huic insit, ut ex XXXV. 110, 8. intelligitur.

Pag. 89. *l*. 8. In istis, *quos tam bene noverat* etc. nil mu-

tant libri nostri, nisi quod postremum verbum *novimus* abest ms. Par. *d.* Prius istud *noverat* abesse malles cum Gron. et equidem vel deletum velim, vel saltem, ut suspectum, uncis inclusum. *l.* 11. *tam perperam tribus.* Hoc iam olim a Pinciano et Ops. ex probatissimis codd. commendatum, et a Lipsio pridem receptum, firmant nostri mss. Arg. *b.* et Par. *b. d.* Itaque recte revocatum est in ed. Matth. postquam vitiosum *properanter* e iunioribus libris temere adoptaverat Ruhk. *l.* 21. *in medio verbo.* Recte hoc a Ruhk. receptum ex msstis, quibus accedunt Arg. *b. c.* et Par. *a. b. d.* Olim *in med. versu* edd. quod in ed. Matth. ex ed. Bipont. propagatum, invito (puto) editore.

EPIST. XXVIII.

Pag. 91. *l.* 28. *Nunc non peregrinaris.* Nude *non peregr.* edd. *Nunc peregr.* ms. Arg. *b.* Utramque iunxi scripturam.

EPIST. XXIX.

Pag. 93. *l.* 6. *obvios. obvios quosque* edd. a Mur. *quosque obvios* ed. Erasm. Ignorant *quosque* ed. *A.* et *R.* cum msstis. *l.* 23. *nondum.* Perperam *dudum* ms. *b.*

Pag. 94. *l.* 11. *Aristonem. Aristionem* ms. *b. Arisonem* ms. *c. Arissonem* ed. *A.* *l.* 12. *exceperat.* Olim *acceperat* edd. et mssti. Tenui Gronovii emendationem, a Ruhk. iam adoptatam.

Pag. 96. *l.* 4. *clamor et plausus pantomimica ornamenta obstrepuerint.* Sic edd. vett. cum msstis. Perperam vulgo, *clamor, plausus et pant.* ab Erasmo. Sed pro *obstrep.* vide ne *adstrepuerint* scriptum oportuerit.

EPIST. XXX.

Lin. 5. *exsucci.* Sic ed. Erasm. et Mur. recte; nec enim obscure hoc latebat in vetustiorum librorum scriptura. *exucti* ed. *R.* cum ms. Arg. *b.* (quod quidem in eodem ms. dein in *exustum* mutatum.) *exsucti* Par. *b. d.* *exsuccisi* Par. *a.* *exsicci* ed. *A.* Ex scholio adscitum erat *exhausti* in ed. Ven. quod ex Gruteri codd. rursus accepit Lipsius et tenuere post eum alii. In Arg. *c.* sic scribitur *exsicci al. exhausti.* *l.* 16 sq. *in conspectu mortis* etc. Ita disposui verba, ut praeivit noster ms. *b.* cum Opsopoei codd.

Pag. 97. *l.* 3. *si exarmatur.* Sic ms. Arg. *c.* et Par. *a.*

cum nonnullis Gruteri. *exarmaverit* ed. *R.* *e x a r m a v i t* ed. *A.* rursusque ed. Erasm. et reliquae omnes cum ms. Arg. *b.* Par. *b. d.* quod nescio an (ut nauticum verbum) teneri debuerit. *l.* 16 sq. *videbatur* mss. et edd. vett., non *videtur*, ut vulgo. *l.* 18. *desiderium* recte ed. Ruhk. cum edd. vett. et msstis. Vitiose *desidium* Par. *b.* et *decidium* ed. Erasm. unde *discidium* fecerat Mur.

Pag. 98. *l.* 3 sq. *Dicam etiam quid sentiam: puto fortiorem* etc. Sic ed. *R.* cum msstis. *Dicam enim* etc. ed. *A.* quod recepit Erasm. et dein *puto etiam fort.* posuit: quam scripturam alii omnes tenuere editores. *l.* 30. *prima autem* ed. *R.* cum melioribus msstis. *prima enim* ed. Erasm. et seqq. cum ms. *c.* et ed. *A.*

Pag. 99. *l.* 3 sq. *c o n p o n i t iterum. c o m p o s u i t iterum* ed. *A*, et *R.* cum mss. *b. c.* et Par. *a. b. d.* quemadmodum saepe praeterito tempore utitur Seneca de eo quod fieri solet. *l.* 6. *nonne. nae* edd.

Pag. 100. *l.* 13. *A quo enim prope non est.* Vocab. *prope*, praeter rationem a Lipsio praetermissum, recte restituit Ruhk.

EPIST. XXXI.

Pag. 101. *l.* 30. *vinci ac strigare.* Priscam hanc et unice veram scripturam, primum ab Erasmo in ed. priori positam, deinde vero in altera edit. ab eodem desertam, merito revocavit Mur. et tenuere Lips. et Gron. Exhibent autem eamdem nostri codd. Arg. *b.* et Par. *b.* nec multum abit Par. *d.* in quo est *vinci ac restrigare.* Istius scripturae vim qui non perceperant, aliam finxere, *vicia consurgere*, quam cum ed. *A.* et *R.* exhibent mss. Arg. *c.* Par. *a.* et plerique Gruteriani; eamdemque alteri praetulit Ruhk.

Pag. 102. *l.* 2. *inspira* recte ed. Ruhk. cum ed. *A.* et *R.* et msstis omnibus. *respira*, quod ante vulgatum erat, ex ed. Bip. in ed. Matth. transiit. *l.* 29. *Huic* edd. vett. cum msstis. Vulgo *Huc*, a Mureto.

Pag. 103. *l.* 5. *Peninum. Penium* ms. Arg. *b.* *P o e n i n u m* Par. *b.* *l.* 17. *Deûm ille maximus.* Sic mss. Arg. *b.* et Par. *b.* cum aliis. Vulgo *Deus ille max.* *l.* 20. *nihil horum patitur vetustatem.* Sic recte mss. Arg. *b. c.* Par. *a. b. d.* et Opsopoei omnes: cuius scripturae veritatem iam olim ex Ep. XXXVI. p. 111 extr. et ex aliorum scriptorum usu probarunt Ops. et Grut. Interpolatam tamen scripturam, quae

vulgo ferebatur, *nihil horum non patitur vet.* tenuit Ruhk. *l.* 20. *Quaerendum est.* Ex scholio adiecta vulgo erat partic. *ergo*, invitis msstis. *l.* 21. *in dies deterius.* Postrema vox coniecturae debetur Erasmi. Vitiose *eius* dabant veteres libri edd. et mssti, in quo latere videtur *peius*, quod facile probes. Mox, quod pro *cui* scribitur *quo* in ed. *A.* et mss. Arg. *b. c.* et Par. *b.*, id ex prisca scriptura *quoi* decurtatum esse, commode monuit Opsop.

EPIST. XXXII.

PAG. 104. *l.* 1. *Inquiro in te.* Sic commode ed. Mur. ex vet. cod. apud Erasm. in Append. Perperam *a te* edd. vett. cum mss. Arg. *b. c.* et Par. *a. b. d.* Commodum vero etiam erat *de*, quod inter lineas habebat unus e Gruteri codd. *l.* 10. *detorqueri* ex cod. Nicot. recepi, pro vulgato *torqueri.* *l.* 13. *mutent* edd. vett. et mss. nostri omnes, non *immutent.*

PAG. 105. *l.* 4. *inniti sibi.* Olim edd. cum msstis omnibus, *nihil sibi;* quae verba a Mureto abiecta revocavit Ruhk. Equidem unice probavi Gronovii coniecturam, *inniti sibi.* Sic Ep. XXXIII. 107, 23. *sibi iam innitatur.* XCII. 23, 15. *ne ulli quidem nisi sibi est innixus.* quo spectat et id quod mox hac eadem Epist. ait, *nemo sibi contigit.* *l.* 8. *et in summa tui sat.* Dele *et*, sic iubentibus msstis Arg. *b.* et Par. *a. b. d.* cum ed. *R.* *l.* 10. *Nemo sibi contigit.* Sic edd. ab Erasm. cum mss. Arg. *b.* Pal. sec. et aliis. Alii *contingit*, cum ed. *A.* et *R.* *l.* 11. *utique.* Tenui hoc, a Grutero (ex uno quidem Pal. sec.) commendatum, et a Lipsio primum receptum. Olim edd. *itaque*, consentientibus msstis: sed istud multo commodius, et frequenter aliâs etiam permutari in libris nostris duas istas voces memini.

EPIST. XXXIII.

Inde ab hac Epist. usque ad Ep. LX. *destituit nos* (ut iam in Praefat. diximus) *collatio codicum Parisiensium.* Pauca quidem etiam nunc ad initium huius Epistolae XXXIII. adnotata sunt, sed illa nonnisi ex uno ms. *Par. d.* ducta.

PAG. 106. *l.* 6. *illi.* Sic ed. *R.* et *A.* cum ms. *c.* et Pal. tert. quod in iunioribus istis libris ex prisca scriptura superesse mihi visum erat: nempe *illi*, antiquâ formâ (quales amat Seneca) pro *illic*, quod ipsum interpretamentum in Pal. tert. adiectum. *illo* Arg. *b.* Pal. sec. et Col. puto et alii: et

hoc quidem verum videtur; scil. *illo magis* idem valet ac *eo magis*, ut *illo fortius*, pro *eo fortius*, XCIII. 35. 25. *in illo* edd. ab Erasm. ex ipsius puto coni. Mox vocem *interim* ex vett. libris adieci; et *inexspectatae* scripsi, ubi libri nostri *inspectatae*, editi vero inde ab Erasm. *insperatae*. *l.* 13. *repetita*. *repertita* Par. *d.* (ac fortasse item alii,) quod vide ne verum sit, idem valens ac *dispertita*. In idem verbum ex coniect. inciderat Lipsius. *l.* 15. *oculiferia*. Hanc scripturam (sive brevius *ocliferia* malueris) ex vetustioribus codicibus, quibus etiam Amplonianus (teste Ruhk.) accedit, certatim iam olim stabiliverunt doctissimi viri. Vulgatum tamen *odorifera*, quod quidem et nostri mss. *b. c.* tenent, mordicus defendit Ruhk. *l.* 18. *exemplaria*. Sic mssti et edd. ante Muretum, a quo vulgatum est *exemplar*. *l.* 23. *Hermarchus* recte ms. *b.* non *Hermachus*. Conf. not. ad VI. 15, 9. *l.* 27 sq. *educere aliquid -- multitudine*. Sic ms. *b.* cum ed. *R.* Conf. Grut. *l.* 30. *occurret* edd. vett. et mss. *b. c.* non *occurrit*.

Pag. 107. *l.* 4. *sua*, non *sui*, edd. vett. et mss. *b. c.* cum aliis. *l.* 12. *colligenda*. *eligenda* malles; sed nil mutant libri. *l.* 14. *connexa* edd. ab Erasmo (ut multa alia) cum ed. *A.* et ms. *c.* Exquisitius erat, et verum, *contexta*, quod habet ed. *R.* cum ms. *b.* Amplon. et Grut. idque repositum velim. *l.* 20. *qui plus*. Temere *quia plus* edd. inde a Mur. *l.* 30. *existimo*, non *puto*, ed. *R.* cum ms. *b.* et Opsop. et Grut.

Pag. 108. *l.* 2. *autem* adscivi ex codd. Opsop. et Grut. *enim* erat in ed. *R.* Abiecerat particulam Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.* ne sic quidem male. *l.* 4 sq. *ab exemplari pendere*. *ad exemplar pend.* ms. *b.* *l.* 17. *qui alium sequitur*. Sic recte Muretus: perperam *qui aliud seq.* edd. vett. cum msstis. Sed temere idem Muret. duo verba adiecerat, *nihil sequitur, nihil inv.* *l.* 19. *propiorem*. Sic ed. Mur. Lips. et Gron. ex P. Fabri coniect. quam firmat unus ex Opsopoei codd. Alii omnes cum edd. vett. *priorem* tenent, quod revocavit Ruhk. idem valere existimans ac *potiorem*.

EPIST. XXXIV.

Pag. 109. *l.* 14. *Nam sic*. Perperam *Non sic* vulgo omnes: ubi *Nam sic* coniectaveram scriptum oportuisse, quum hoc ipsum ex optimo cod. Nicot. laudatum vidi ab Opsop.

L. 23. *huiusmodi animus.* Corrige *huius animus*, ut habent ante Lipsium edd. omnes et mssti. Istud nescio quo casu in Lipsianam editionem irrepserit, ex qua me invito in hanc nostram propagatum est.

EPIST. XXXV.

Lin. 1. *tam valde.* Tenent *valde* ed. *A.* et *R*, cum msstis *b. c.* et Ops. et Grut. et iuniores quidem *tam* omittunt, quod tuentur alii. *tam obnixe* edidit Erasmus, speciose utique; sed vereor ne vel ex mera coniect. vel ex scholio quod spectabat ad vetustiorem scripturam *tam valide*, ex codd. Amplon. et Erlang. a Ruhkopfio prolatam, quam hic quidem sprevit, Erasmianum tenens, ego vero restitutam Senecae velim.

PAG. 110. *l.* 7. *Si nihil aliud.* Conf. not. ad IX. 23, 24. *L.* 25. *nutare* scripsi cum duobus Ops. codd. Alii vulgo *natare:* sed *l.* 30. omnes in *nutat* consentiunt.

EPIST. XXXVI.

PAG. 111. *l.* 6. *ostentet.* Sic mss. *b. c. ostendet* vulgo. *ostendit* ed. *A.* *l.* 18. *Significare* recte ms. *b.* et alii apud Opsop. cum ed. *R.* Vulgo *signare* ab Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.*

PAG. 112. *l.* 8. *ridicula. ridiculosa* ms. *b.* *l.* 24. *cedunt.* Sic meliores libri omnes: vulgo *cadunt.* Alias praetermitto librorum varietates.

PAG. 113. *l.* 6. *ut animos.* Perperam vulgo *ut et animos.* *L.* 18. *esse enim debet aliquis.* Sic recte ms. *b.* et codd. Ops. Inepte vulgo *aliquid.* *l.* 31. *surgere* ms. *b.* et alii, rectius quam (ut vulgo) *resurgere.*

PAG. 114. *l.* 1. *alter illam annus adducit.* Sic ms. *b.* cum ed. *R.* Vulgo *alter annus illam add.* ab Erasm. Sed poenitet neglectam a nobis esse certissimam Gronovii emendationem, *alter illam Martius adducet.* Nempe sic ille in vet. cod. repererat, *alter illam artius add.* quod suspicor etiam in aliis vetustioribus libris (si diligentius inspiciantur) iri repertum: sed haec talia plerumque, magno priscarum literarum detrimento, negliguntur ab his, quibus veterum librorum excutiendorum potestas contigit. *l.* 3. *stellarum iste decursus.* Placuit hoc, quod a Grutero commendatum recepit Lips. tenuitque Gronov. *discursus* quidem

dant mss. *b. c.* et Pal. sec. et Col. cum ed. *A.* et *R.* idque reposuit Ruhk. sed *decursus* tenuit Matthiae. *l.* 4. *praeterit.* *praeteriit* scriptum volueram, praeeuntibus edd. *A.* et *R.* et mss. *b. c.* et Ops. sed non paruere operae. Perperam vulgo *praeterierit.*

EPIST. XXXVII.

Pag. 115. *l.* 14. *non consilio adductus ullo. illo* scribendum videtur cum ed. *R.* et ms. *b.* et Col. id est, *illuc*, ad id quod coepit velle. Conf. XLV. 131, 23. et LXXXIV. 321. 2.

EPIST. XXXVIII.

Lin. 3. *inrepit* mss. Ops. *irrepit* ms. *b.* cum ed. *R.* Vulgo *irrepserit.* *l.* 6. *clare dat.* Sic edd. vett. consentientibus msstis; quod merito revocavit Ruhk. Praeter rationem *clamore dat* ed. Mur. et sqq. *Clare* i. q. alta voce. Conf. p. 116, 2. et Ep. LXXVIII. 281, 18.

Pag. 116. *l.* 3. *et haerent*, et *l.* 8. *ratio*, recte restituit Ruhk. Sic enim edd. vett. cum msstis; non *sed et haer.* nec *oratio.* *l.* 13. *rapiat. capiat* ed. *A.* cum ms. *c.* quod neminem movere debet.

EPIST. XXXIX.

Lin. 3. *ratio ordinaria.* Sic recte ed. *R.* cum mss. *b.* Ops. Iuret. Pal. sec. et Col. non (ut vulgo) *oratio ord.*

Pag. 117. *l.* 1. *ergo* mss. *b. c.* cum ed. *R.* et *A.* Vulgo *ego*, a Mur. *l.* 20. *eo quod superfluunt.* Sic commode edd. inde a Mur. et iam ante Erasmum, cum mss. Pal. 2. 3. 4. et Col. Sed rectius fuerit *eo quo superfluunt*, quod habet ed. Erasm. cum ms. *c.* et codd. Ops. Conf. XLV. 132, 3. Perperam *ea quae sup.* ed. *A.* et ms. *b.* Idem vero ms. *b.* et ed. *A.* pro *at haec*, (*l.* 19.) *ad haec* scribunt: quomodo et frequenter aliâs literae *t* et *d* in libris nostris permutantur. *l.* 25. *vertuntur.* Sic quidem ed. *R.* sed in eadem ed. (*l. praec.*) pro *qua*, *quia* scribitur, ubi *qua* recte tenent alii omnes libri. *qua - - vertuntur* ed. Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.* ac nonnullis Gruteri: quod revocatum a Ruhk. in nostrum etiam exemplum me imprudente irrepsit. Repone *utuntur*, quod ex ora Erasmi recte receperat Mur. firmantque mss. *b.* Pal. sec. et alii. *l.* 30. *necesse est in immen-*

sum. Sic ed. Matth. cum aliis inde a Mureto. Adiici post *necesse est* debuerat particula *enim*, quam a Grutero commendatam reposuit Ruhk. agnoscuntque edd. vett. cum mss. *b. c.* Idem Arg. *b.* etiam una vocula auctius, *necesse est enim ut in immens.* *L.* 31 extr. et *Pag.* 118. *l.* 1. *Illa enim habet suum finem.* Corrige *Ille enim* (scil. *naturalis modus*) praeeuntibus edd. vett. et mss. *b. c.* Vitiosa scriptura, inde ab ed. Mur. in alias omnes, nemine animadvertente, propagata erat. *l.* 6. *pervenerunt.* Temere *perveniunt* ed. Mur. quod ipsum rursus vitium ex illa ed. in alias ante nostram omnes migraverat.

EPIST. XL.

Lin. 3. *ut non. quin* unus noster ms. *b.* commode, sed ex scholio. Et alibi istam formulam, *ut non*, pro *quin*, amat Seneca: velut Ep. XCIV. p. 46, 8. ubi tenet *ut non* vetus noster cod. *a.* cum ed. *R.* sed ms. *c.* cum ed. *A.* *nisi* habet, ex scholio. *l.* 13. *verba convolvere.* Sic edd. inde ab Erasmo, ex ipsius quidem (puto) ingenio, sed recte: cf. LII. 155, 12. nam, quod ed. *R.* et *A.* cum msstis dabant, *verba convellere*, id prorsus ab hoc loco alienum videtur; nec huc facit id quod dein in eadem hac Epist. p. 121. l. 4. de alio homine memoratur, *singula verba vellente.* *Ead. l.* 13. *quae non effundit, immo premit.* Variant libri. *quae non effundit una vox sed premit* ed. *R.* idque a Pinc. et Grut. commendatum recepit Ruhk. *quae non effundit una voce sed premit* ed. *A.* et ms. *c.* *quae non effundit una, sed premit* ms. *b.* et ed. Erasm. aliaeque ante Ruhk. Nobis istud placuit, quod in vetustioribus Pinciani libris legebatur.

Pag. 119. *l.* 8.-10. *istam vim --- aptiorem esse circulanti.* Sic recte ed. Lips. et Gron. ut suaserat Ops. *ut istam ... circulanti iudices* ed. Er. et Mur. quod revocavit Ruhk. In ed. Matth. omissa quidem est *ut* particula, sed servatum verbum *iudices*. Iam *ut* tenent quidem edd. vett. et plerique mssti, nempe temere interpolatam particulam, quae praecedenti *sic* responderet: sed verbum *iudices* abest ms. *b.* et tribus Ops. et, esse hoc verbum ex scribae alicuius ingenio adsutum, satis adparet ex librorum dissensu, e quibus unus Opsopoei *scias* habebat, *credas* vero ed. *R.* *cognoscas* ed. *A.* *cognoscis* ms. *c.* denique alii ante *aptiores* ponunt id verbum, alii post *circulanti.* *l.* 17. *praecepta. praeparata* ms. *b.* quod vulgato nemo facile praetulerit.

Pag. 120. *l.* 8. *inmissa* vel *immissa* ex msstis et edd. vett. restituit Ruhk. pro *admissa*, quod ex Erasmi coniect. posuerat Mur. *l.* 23. *adfectus impetus sui.* Perperam *effectus* ms. *b.* *impetus sui* bene revocavit Ruhk. quum *impotens sui* editum esset ex Mureti coniect. *l.* 28 sq. *et ipse malueris, si necesse est vel P. Vinicium dicere.* Post *malueris* delevi vocem *aliquando*, ab Erasmo sive ex mera coniectura sive ex scholio quodam adiectam: tum sequentia verba repraesentavi qualia scribuntur in ms. *b.* et codd. Opsi. cum quibus consentiunt nonnulli ex Gruterianis. Nec aliud debuit ed. *R.* in qua quidem perperam *Vicinium* et *discere* scribitur. Diserte vero etiam ed. *A. si necesse est Publium Vinicium dicere.* Quae quum corrupta iudicassent viri docti, olim ex Erasmi coniect. edebatur, *vel iuxta P. Vinicium dicere;* pro quo Lipsii coniecturam, *velut P. Vinicius dicere*, recepit Ruhk. Suspicatus autem erat Erasmus, fortasse etiam sic dixisse Senecam *Vinicium dicere*, pro *dicere ut Vinicius*, quomodo Virgilius Aen. I. 332. dixit, *nec vox hominem sonat.* Equidem in loco difficili nihil definire ausim: existimavi tamen, satis recte fortasse omnia se habere, si, servata veterum librorum scriptura, statueremus, ab his verbis — *si necesse est vel P. Vinicium dicere*, (i. e. si necesse est ut vel P. Vinicium tibi nominem, quem potius sequaris) usque ad ista, *non potest iungere.* — consulto interruptam quodammodo esse orationem, quae deinde post istam parenthesin commode sic resumatur et cum superioribus connectatur, *Quidni malis tu sic dicere quomodo Vinicius?* Iam ista, *Quî itaque? Quum quaereretur quomodo P. Vinicius diceret*, etc. totidem verbis leguntur in ed. *R.* et *A.* et msstis; nihil a nobis vel adiectum vel mutatum, nisi quod *interrogationis signum* post *itaque* posuimus: sed primum Erasmus vocab. *itaque* abiecit, dein Muretus et ista *P. Vinicius* delevit, atque ita prorsus obliterata vulgo erat vetus scriptura. Pro superioribus istis, *vel P. Vinicium dicere*, Gronovius ait in suo libro se reperisse *vel vinicium publium dicere;* unde illi vera scriptura visa erat, *velut Vinicius Publius dicere.* Ac satis quidem novimus, postponi subinde solita illo aevo praenomina: sed in eo codice, e quo istam scripturam retulit Gronovius, aliam suspicor fuisse permutationis illius rationem. Nempe, ut in nostro ms. *b.*, sic in illo, pro nuda litera *p.* quam contextus habebat, in ora exserte scriptum erat nomen *publium*: il-

lud autem nomen scriba illius codicis in contextum adsciturus, alieno loco posuit. Ita unius codicis msti usura doctissimos etiam viros in errorem saepe induxit; quem errorem non nisi plurium inter se codicum collatio, diligenter et per otium instituta, eximere potest. Alio modo erarunt illi scribae, qui (ut est in nostro ms. *c.* et in duobus Palatinis) *per Publium Vinicium* scripsere: nam hi literam *p*, quae in contextu erat, pro compendiosa scriptura praepositionis *per* acceperant, cui deinde nomen *Publium*, ex ora libri adscitum, iunxerunt.

Pag. 121. *l.* 13. *exsilivit. exilivit* ms. *c.* et ed. *A.* *exiliit* ms. *b.* *exiluit* ed. *R.*

EPIST. XLI.

Pag. 122. *l.* 5. *aurem* edd. vett. et mss. *b.* *c.* non *aures.* *l.* 15. *habitat Deus.* Vocem *Deus* h. l. delevit Ruhk. et abest ea ed. *A.* et ms. *c.* nonnullisque Gruterianis: sed utrobique agnoscit eamdem ms. *b.* et ed. *R.* cum Virgilio, ex cuius Aeneid. VIII. 352. desumtus ille versus; non ex Ovidii Metam. ut tradiderat Lips. cum Mur.

Pag. 123. *l.* 6. *subita ex abdito.* Copulam *et*, a nonnullis vulgo insertam, ignorat ed. *A.* cum mss. *b.* *c.* et Col. *l.* 11. *tempestatibus* bene edd. cum ms. *c.* *temptationibus* ms. *b.* *l.* 28. *qui nullo bono nisi suo nititur.* Olim *nitet* edd. et mssti omnes, exceptis Pal. 1. et 3. qui (non optimae quidem alioqui notae) verum h. l. dederunt, *nititur*, quod recte receptum a Lipsio. Conf. not. ad XXXII. 105, 4. Huius scripturae quidem testem etiam *editionem veterem* (quae nostra ed. *A.* est) advocavit Ruhk. at eodem vitio illa cum aliis laborat, paulo quidem superius *nititur* recte tenens, sed h. l. *nitet*: cui verbo in ms. *c.* superscriptum etiam scholion *splendet.* *l.* 30. *Quid enim est stultius.* Sic mssti et edd. omnes ante Bipont. in qua quum temere omissa esset *enim* particula, desideratur eadem in ed. Ruhk. et Matth.

Pag. 124. *l.* 3. *mittitur.* (scil. ad spectaculum; coll. LXX. 232, 11.) Sic ms. *b.* cum codd. Ops. et Mod. et Pal. 2. nec aliud debuerat Col. in quo vitiose *nititur.* *demittitur* ed. *R.* rursusque ed. Lips. et seqq. *dimittitur* ed. *A.* cum ms. *c.* *nitet* ed. Erasm. et Mur. *Ead. l. contractatur* bene ms. *b.* cum edd. (Cf. De Const. Sap. c. 13.) *contrectatur* ed. *A.* *contrabitur* ms. *c.* *l.* 11. *Nam quis* ms. *b.* Alii vulgo *Num quis.*

EPIST. XLII.

Pag. 125. *l.* 4. *huius secundae notae.* *hunc* malebam, cui mox opponitur *ille alter:* sed nil mutant libri. *l.* 17. *inbecillia.* Verum erat *inbecilla*, quomodo a pr. man. scribitur in ms. *b.* et in nonnullis apud Grut. Nam et aliâs constanter vocabulo isto in secunda declinatione utitur Seneca. *l.* 21. *dum riget* edd. *R. A.* mss. *b. c.* Vulgo *cum rig.* *l.* 24. *deficitur* bene edd. *decipitur* ms. *b.* *desunt* ed. *A.* cum ms. *c.* *l.* 25. *velle eos.* Poterat abesse *eos*, et abest ed. *R.* et ms. *b.*

Pag. 126. *l.* 12. *haec non providemus.* Quod hic Ruhk. ait: »antea *praevidemus.*« id non nisi ad Mureti editionem refertur. *providemus* edebatur iam inde a Lipsio, et sic iam olim ed. *R.* et *A.* cum ms. *c.* Sed, *haec non pervidemus* ed. Erasm. *hoc non pervidemus* ms. *b.* quod fortasse verissimum. *l.* 19. *paratissimi.* Quod idem Ruhk. ait: »antea *parati.*« id rursus referendum ad editiones, quae Lipsianam praecesserunt, nempe ad ed. Er. et Mur. quibus praeiverant ed. *A.* et ms. *c.* Sed *paratissimi* iam dederat ed. *R.* cum ms. *b.*

EPIST. XLIII.

Pag. 127. *l.* 8 sq. *magnitudo habet modum certum.* Sic recte ed. *A.* et *R.* cum mss. *b. c.* Ops. et Grut. nisi quod nonnulli *certum modum* dant, permutata duorum verborum sede. Perspicua sententia: quidquid *magnum* dicimus, id certo quodam modo, certa quadam relatione, ita dicimus: uno verbo, omnis *magnitudo* relativa est, ut in scholis loquuntur. Iam pergit auctor: *comparatio illam aut tollit* etc. Ex uno (nescio quo) codice laudavit Erasmus in Append. *magn. non habet* etc. quod praeter rationem recepit Muretus, et tenuere reliqui editores. Id postquam factum erat, denique Gronovius, quo saltem sibi constaret oratio, pronomen *illam* (quod, ad *magnitudinem* relatum, recte tenuerant edd. et mssti) in *illum* (scil. *modum*) mutavit: et sic prorsus evanuere veteris scripturae vestigia.

Pag. 128. *l.* 7. *ex qua mores existimes nostros.* Sic ed. *A.* et *R.* et mss. *b. c.* *aestimes* vulgo, ab Erasmo. Saepe quidem a librariis permutata ista verba vidimus: sed et promiscue fere utrumque usurpasse Seneca videtur. *l.* 11. *Quid autem prodest.* Sic recte edd. et mss. Temere vero *po-*

test irrepserat in edit. Bipont. idque propagatum in ed. Ruhk. et Matth.

EPIST. XLIV.

Lin. 4. *omnium maximam.* Sic edd. a Mur. *hominum max.* edd. vett. cum mss. *b. c.* et Gruterianis: quod defendi possit, ni et alibi ista vocabula permutare consuessent librarii. Conf. not. ad XII. 33, 14. et ad XLVIII. 141, 1.

Pag. 129. *l.* 2. *recipiant* ms. *b.* cum ed. *R.* Vulgo *recipiunt.* *l.* 6. *hortulo* vulgo ab Erasm. Teneri poterat *horto,* quod praeiverant libri nostri, qui quidem absque adspiratione *orto* scribunt, ut ms. *b.* et ed. *R.* *ortos* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 17. *Quis est generosus?* ms. *b.* et ed. *R.* Vulgo *quis ergo gen.* *l.* 19. *ad vetera* mss. *b. c.* *ad vera* ed. *A.* et *R.* *l.* 22. *Non facit nobilem.* Hic est locus ubi nos deserit probus noster cod. Arg. *b.* non ante Epist. LII. p. 156, 2. suppetias nobis rursus laturus, ut in Praefat. p. 240 sq. praediximus.

Pag. 130. *l.* 9. *effectu.* Vitiosum *affectu,* quod temere in ed. Bipont. primum irrepserat, propagavit Ruhk. Veram script. restituit Matth. *l.* 11. *inpenderunt* adscivi ex ed. *R.* et ex Opsopoei codd. Vulgo *impendunt.*

EPIST. XLV.

Lin. 6. *magis libros mihi quam consilium dares.* Non ex mera Pinciani coniect. est ista scriptura. Nam praeter ms. Pal. tert. similiter editio Rom. habet, *magis mihi libros quam consilium dares.*

Pag. 131. *l.* 2. *potuissent* ed. *R.* et mss. Grut. Vulgo *potuisset.* *l.* 13. *emancipavi* commode restituit Ruhk. consentientibus (praeter Gruteri codd.) etiam ed. *R.* et *A.* et ms. *c.* *l.* 17 sq. *supervacua* ed. *R.* et mss. Ops. recte. Hoc enim vocab. constanter et alibi meliores libri tuentur, ubi iuniores (ut hic) *superflua* ponunt. *l.* 21. *inligamus.* Sic mss. Ops. et *illigamus* ed. *R.* cum msstis Grut. quod multo disertius, quam vulgatum *alligamus.* Mox, *ac deinde* commode iidem mss. Ops. et ed. *R.* cum ms. *c.*

Pag. 132. *l.* 8. *erramus.* Non sperno *erratur,* inde ab Erasmo vulgatum: sed reposui id quod dedere ed. *R.* et *A.* cum ms. *c.* *l.* 12. *ut nesciat,* (scil. an habeat cornua) *si tu illi subt.* Sic ed. *R.* cum mss. Pal. 2. et Col. Mendose *ut nesciat an illi subt.* ed. *A.* cum ms. *c.* Vulgo, *ut non ha-*

bere se nesciat, quod tu illi etc. ab Erasmo; ex ingenio puto, non ex vet. libro. *l.* 16. *perdidi usum. perdidisti usum* malebam. *l.* 29. *convertit* ed. *R.* Pal. 3. et Col. Alii vulgo *vertit* cum ed. *A.* et ms. *c.* quod reduci facile patiar. *l.* 31. et *PAG.* 133. *l.* 1. *quum quod habuit telum.* Vulgo *quum in eum quod hab. tel.* Delevi duo verba *in eum*, quae ignorant codd. Ops. et Grut cum Arg. *c.* et ed. *A.* Deleta iam a Ruhk. denuo comparebant in ed. Matth.

PAG. 133. *l.* 14. *aut proiicimus bonum. Ac proiic.* ed. *R.* rursusque ed. Lips. et seqq. *At proiic.* ed. Er. et Mur. cum ms. *c.* et ed. *A.* Unice verum erat *aut*, quod ex Senecae usu servarunt mssti Gruteri. Sic saepe Noster; ut XX. 63, & XLVIII. 140, 10. XCIV. 42, 16. *l.* 17 sq. *quod necessarium est, non utique bonum est.* Vulgo languide et invitis msstis, *quod autem necess. est, non statim bonum est.* Mox *ibid.* mssti et editt. vett. sic dederunt, *quoniam quidem necessaria sunt quaedam*, ubi vulgo *quoniam quaedam necessaria sunt.* *l.* 23. *ostendas omnibus, magno temp.* etc. Rectius sic distingues, *ut ostendas, omnibus magno* etc.

EPIST. XLVI.

PAG. 134. *l.* 5. *brevis* edd. inde ab Erasmo: nescio an consentientibus msstis Opsopoei et Pinciani. Noster Arg. *c.* quidem et Gruteri omnes cum ed. *R.* et *A. levis* exhibent; quod teneri fortasse debuerat. *l.* 6. *corporis*, pro eo quod inde ab Erasmo invitis vett. libris vulgatum erat *temporis*, recte recepit Ruhk.

PAG. 135. *l.* 5. *iam* ante *etiam* adieci cum ed. *R.* et mss. *c.* Ops. et Grut. Ex eorumdemque librorum praescripto delevi particulam *et*, post *mentimur* temere vulgo adiectam.

EPIST. XLVII.

Lin. 17. *Sternutamenta.* Vulgo *sternutamentum*, a Mureto. Pluralem dedit ms. *c.* cum edd. vett. *sternuamenta* scribitur in ed. *R.* Forsan *sternumenta* debuerat; quae forma nominis (Plinio etiam frequentata) apud Nostrum in vetusto cod. *a.* occurrit Epist. CII. p. 102 med. *l.* 18. *interpellatum* tenent edd. vett. cum ms. *c.* non *interpolatum*, quod dabant codd. nonnulli Mod. et Opsop.

PAG. 136. *l.* 15. *et, per pectus et clunes* etc. Sic percommode ed. *R.* cui adsentiuntur ms. *c.* et ed. *A.* nisi quod *et* omit-

tant. Vulgo duae voces *et* et *per* desiderantur. *l.* 22. *retrahitur*, scil. in pueritiam. Olim *sed retrahitur:* coniunctionem recte delevit Ruhk. monitus a Gronov. ad Ep. XXIV. not. 16. Ignorat autem eamdem ed. *R.* *l.* 23. *retritis pilis.* Probavi hoc, quod dedit ed. *R.* cum ms. Pal. sec. et aliis. *restrictis* ms. *A.* et ed. Erasm. *restrictis vel retitis* (sic) ms. *c.* *destrictis* vulgo ex Mureti ingenio. *l.* 26. *in convivio* ed. *R.* cum ms. *c.* Vulgo *et in conv.* *l.* 28. *et intemperantia.* Sic recte edd. vett. et ms. *c.* Aberat *et* vulgo.

PAG. 137. *l.* 6. *quot* ed. *R.* cum ms. *c.* Perperam vulgo *quod*, inde ab ed. Ven. cum ed. *A.* *l.* 7. *Callisti.* *Calixti* ed. *R.* et *A.* et sic deinde *Calixtum* et *Calixtus.* *l.* 8. *ridicula*, quod iam adoptavit Ruhk., tuentur ed. *R.* et *A.* cum ms. *c.* *l.* 19. *Variana* cum Ruhk. in contextu posui, licet omnes quos novimus libri mendosum *Mariana* teneant, quod ferri non posse Lipsius evicit. Mox vero *quam*, ante *multos* vulgatum, delevi ex communi librorum nostrorum et codd. Ops. et Grut. praescripto.

PAG. 138. *l.* 5. *comitem quoque et in sermonem illum admitte.* Sic recte edd. vett. et ms. *c.* cum codd. Opsopoei et Grut. *l.* 9. *deprendam* ed. *R.* ex Senecae more. *l.* 15. *non quo solo* recte et ex mente Senecae ed. *A.* et mss. *c.* Col. et Ops. *non quo solum* ed. *R.* Vulgo *quo non solum.* *l.* 31. *et experire.* Fors. *et experieris*, vel *et experiere.*

PAG. 139. *l.* 12. *fastidiosi i s t i* ex coniectura correxi. Omissum vulgo erat pronomen. *ipsi* dabant edd. vett. cum ms. *c.* Frequenter autem in libris nostris permutantur *ipse* et *iste.* *l.* 18 sq. *ita, inquam.* Sic recte ed. *R.* cum codd. Pinc. et Grut. *ita inquit* ms. *c.* et ed. *A.* Perperam vulgo, *itane inquit.* *l.* 21. *parum non esse* edd. vett. et ms. *c.* Abest vulgo *non.* *l.* 25. *muta* scripsi ex Ops. et Lips. coniect. quod iam a Gronovio erat receptum. Vulgatum tamen *multa* cum ed. Bipont. tenuit Ruhk. *l.* 28. *evocet* recte ed. Ruhk. Sic sane edd. vett. cum ms. *c.* non *provocet.* Familiare Senecae istud verbum.

PAG. 140. *l.* 7. *permanent.* Vulgo, *et permanent*, contra quam ed. *R.* et codd. Pinc. Ops. et Grut.

EPIST. XLVIII.

Lin. 11. *quidquid agitur ad te pertinens, meum est.* Nil mutant libri nostri, nisi quod in ms. *c.* pro *ad te* scribitur *a*

te; in quo suspicari possis superesse vestigium veteris scripturae, quam ex optimo cod. Nicot. laudavit Opsop. scil. *quidquid agitur a te, protinus meum est.* Nec tamen veram equidem iudico hanc scripturam: suspicor potius sic olim scriptum fuisse, *quidq. agitur ad te pertinens, protinus meum est.*

PAG. 141. *l.* 1. *observata* recte ed. *R.* Vulgo cum ed. *A.* et ms. *c.* scribunt *observanda est*, et dein *l.* 3. post *humani* interpungunt, ut a verbo *Plurimum* nova periodus inciplat. *Ead. l.* 1. *omnes omnibus.* Sic commode primus edidit Mur. et ad hanc scripturam nil monitum est ab Ops. aut Grut. Habet autem ed. *R. homines hominibus;* ed. Erasmi vero cum ed. *A.* et ms. *c. omnes hominibus.* Saepius a scribis nostris permutari *homines* et *omnes*, iam supra monuimus. Ad rem facit quod alibi ait Noster: *Ego sic vivam, quasi sciam aliis me natum: et naturae rerum hoc nomine gratias agam. Quo enim melius genere negotium meum agere potuit? unum me donavit omnibus, uni mihi omnes.* De Vita Beat. c. 20. *l.* 13. *huic amicus est pro homine.* Probavi scripturam codicis Nicot. ab Opsop. relatam: alii vulgo *huic amic. non est pro hom.* Sententia est: *Illi* (sapientiae et sapienti) *homo pro amico est*, sapiens omnibus hominibus est amicus: *huic* (stultitiae et stulto) *amicus est pro homine*, stultus amicum non aliter aestimat atque alium quemlibet hominem; scilicet amat eum quatenus ipsi utilis est, adspernatur et deserit simulatque ex illo nullum amplius fructum capere potest. Cf. Ep. IX. p. 24 init. Iam vero, in his quae continuo subiiciuntur, invertit auctor ordinem ac vim pronominum *ille* et *hic*, ut *ille* ad id quod proximum est referatur, *hic* ad remotius: (cuius inversionis, non minus Latinis auctoribus quam Graecis usitatae, plura exempla collegit Gronovius noster Observ. III. 16. Cf. Sanctii Minerv. et ibi Perizon. p. m. 236 sq.) *ille* (stultus) *amicum sibi parat*, scil. *ut habeat qui sibi aegro adsideat* etc. *hic se* (*parat*) *amico*, scil. *ut habeat cui ipse aegro adsideat, quem ipse circumventum hostili custodia liberet;* ut ait idem Noster Epist. IX. pag. 23 sub fin. *l.* 15. *Scilicet.* Commode sic ed. Erasm. et seqq. *Sed* dabant edd. vett. cum ms. *c.* Utraque vox in vett. codd. frequenter per compendium scribitur, unde facile altera pro altera accipi potuit; quod et alibi passim factum observavi. *l.* 19. *Mus syllaba est* etc. Ab his verbis nova Epistola incipitur in ed. *R.* et *A.* et

in ms. *c.* quae in ed. *R.* insignitur numero *XLVIIII.* in ms. *c.* num. *L.* Error inde natus, quod in vetustiore aliquo exemplari temere factum erat, ut argumentum posterioris partis huius Epistolae, quod in ora libri adnotari debuerat, intra contextum h. l. poneretur. Argumentum illud huiusmodi est: *Notat eos qui in tanta egestate temporis puerilibus sophismatibus indulgent.* *l.* 21. *ex ista inscientia. ex ista scientia* ed. *A.* et *R.* et ms. *c.* Vulgo *ex ista sententia*, quod ex ingenio Erasmi natum videtur. Nos, nostra de coniectura, *inscientia* correximus.

Pag. 142. *l.* 5. *conponis. componis* ed. *R.* et *A.* cum ms. *c.* non *proponis*, quod ab Erasmo invectum est. *l.* 10 sq. *Succurre, quidquid loquenti, respondent in poenis omnes.* Locum, non modo in editis vulgo, sed et in optimis alioquin msstis misere corruptum, et variis atque variis modis deformatum, persanavimus ex scriptura nostri cod. *c.* cum ed. *A.* collata. In ms. *c.* sic legitur, *Succurre quidqd loquenti respondeat in penis. Omnes undique* etc. Ed. *A.* ita habet: *Succurre quid quod loquenti respondent in penis omnes. Undique* etc. In ed. *R.* erat, *timet succurrere. quid quod*, et cetera eadem. Ex Erasmi coniectura vulgo legebatur: *Succurre, quisquis eloquentior es, pereuntium poenis. Omnes undique* etc. pro quibus haec posuit Ruhk. *Succurre! quid quod laqueati despondent: in poenis omnes* etc. Caeterum *poenas*, pro cruciatibus et quibusvis malis, cum Nostro dixere etiam Plinius et Quintilianus. *l.* 19. *illam* (sc. naturam) *sequentibus* recte ms. *c.* et ed. *A.* non *illas*, ut vulgo. *l.* 21 sq. *si prius docueris, quae partem malorum levatura sunt, quid istorum cupiditates demat, quid temperet.* Ista, temere a Mur. et seqq. editoribus omissa, restituit Ruhk. in hunc modum: *si prius doc. quae partem eorum levatura sunt, quid ist. cup. demit, quid temperat.* At *demat*, et *temperet* dedit ed. *R.* Tum eadem quidem ed. *R.* cum ed. *A.* *quae partem eorum levatura sint*, ubi ferri fortasse poterat coniunctivus *sint*; praetuli tamen *sunt*, quod dedit ms. *c.* quemadmodum Ruhkopfio placuerat. Denique *eorum*, quod ab hoc loco alienum videbatur, mea de coniectura in *malorum* mutavi. Ex mss. suis protulit Grut. *quam partem eorum*, quod poteras sic accipere, ut significaret Seneca, *ad animum*, non *ad corpus*, pertinere philosophiae praecepta; sed reliqua oratio cum ista scriptura parum congruit. *l.* 28. *illos* ms. *c.* cum ed. *A.* et *R.* non *illum*.

Pag. 143. *l.* 15. *bonitatem. veritatem* in suo cod. repererat Gron. quod satis placet, immo unice verum videtur: (conf. XLIX. 147, 2.) quamquam nil mutant libri nostri, nec ex aliis quidquam ad h. l. adnotatum.

EPIST. XLIX.

Pag. 144. *l.* 2. *admissio* recte ed. *R. amissio* ed. *A.* et ms. *c.* *l.* 7. *lacrimas conbibentem.* Sic percommode edd. inde ab Erasmo, non dubito quin ex vet. cod. Noster quidem ms. *c.* cum ed. *A.* et *R. cohibentem* tenet. *l.* 9. *non satis resist.* recte ed. Mur. et seqq. ex Pinciani codd. Olim *exeuntibus nobis, satis resist.* quod tenet ms. *c.* cum edd. vett.

Pag. 145. *l.* 1. *admoveri lineas. lineae* malebam, scil. *extremae.* *l.* 9. *eodem loco dialecticos.* Vulgo *eodem modo.* Istud commode dedit ed. *A.* cum ms. *c.* et aliis apud Mod. et Grut. Malebam tamen *eodem loco habeo* vel *pono.* *l.* 19. *movere se.* Sic edd. vett. et mssti. Praeter rationem omissum erat pronomen inde ab ed. Lips.

Pag. 146. *l.* 6 sq. *Tunc tamen* bene habet: nec equidem *Tunc tantum* requiram cum Ruhk. *l.* 12 sq. *effice ut ego mortem non fugiam.* Sic recte ed. *R.* et ms. *c.* de quo iam perspecte Grut. monuerat. Vulgo *effice ne ego mortem fugiam,* inepte, si spectes id quod adiicitur, *vita me non effugiat.* *l.* 13 sq. *de aequanimitate.* Nil mutant libri, quos suspicor debuisse *da aequanimitatem.*

EPIST. L.

Pag. 147. *l.* 13. *aversissimus ab istis prodigiis sum.* Unice hoc verum erat, quod ex Agricolae emendatione receperat Muretus. Mireris Lipsiensem editorem, vitiosum *avarissimus* reducentem: qui quum deinde scribat, *ab istis prodigiis non sum,* rursus mireris quo pacto et sibi persuaserit et lectoribus conatus sit persuadere, istam scripturam e cod. Col. laudatam esse a Grutero. *l.* 18. *nigram et tenebrosam.* Priora duo verba, omissa vulgo, commode adiecta dedit ed. *R.* cum duobus msstis Grut.

Pag. 148. *l.* 13. *tantasve aegritudines* commode edd. inde ab Erasmo. *tantasve res* ed. *R.* et *A.* cum ms. *c.* et Gruterianis omnibus. *l.* 19 sq. *si turpe est.* Tenui voculam *si,* opportune a Ruhk. ex ms. Col. adiectam, quae quidem de-

est aliis quos novimus libris. *l.* 24. *inceperimus* recepi ex eodem ms. Col. et Pal. sec. pro vulgato *incepimus.* *l.* 26. *induratam* (scil. pravitatem) ed. *A.* et ms. *c.* Vulgo *indurata* inde ab ed. *R.* *l.* 29. *natae. nata* malebam in neutr. gen.

Pag. 149. *l.* 9. *Virtutes discere est vitia dediscere.* Tenui verbum *est*, ex Gronovii coniect. a Ruhk. receptum. Deerat vulgo id verbum, sed et duo verba *vitia dediscere* desunt ed. *A.* et ms. *c.* *l.* 13. *expelli* edd. inde ab Erasmo, non incommode, sed invitis libris. Repone *depelli*, quod communi consensu exhibent edd. vett. et ms. *c.* cum codd. Ops. et Grut. *l.* 17. *virtutes receptae.* Ex Agricolae emendatione apud Erasm. commode primus recepit hoc Muretus. *rectae* ed. *R.* et codd. Grut. *retentae* ed. Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.*

EPIST. LI.

Pag. 150. *l.* 2. *Messala* edd. vett. et ms. *c.* Vulgo *Messalla.* *l.* 29. *strepentes.* Non sperno vulgatum *perstrepentes*, quod agnoscit ed. *A.* sed praeferre debui simplex verbum, in quod consentiunt ed. *R.* ms. *c.* et quinque Gruteriani.

Pag. 152. *l.* 3. *illa me intellexero plus posse.* Sic ex Lipsii coni. merito correxit Matth. Inepte vulgo *illam intell.* *l.* 19. *non est tam molliter* etc. Exspectabam *erat*, loco τοῦ *est*: sed videtur lectorem velut in rem praesentem adducere velle Seneca. *l.* 21. *C. Marius. Gaius Marius* ed. *R.* et similiter *G. Marius* ed. *A.* cum ms. *c.* quod teneri potuerat. Sic mox *Gneus Pompeius* ed. *A.* et ms. *c.* at ibi *Cneus* ed. *R.* *l.* 27. *scies* recte ed. *R.* Vulgo *scias.* *l.* 28. *Habitaturum -- fuisse in micca Catonem.* Vitiosum *in Utica* tenent edd. *A.* et *R.* cum tribus Grut. quod quoniam Lipsiensi satis placuit editori, relinquamus illi. *in urtica* ms. *c.* in alio Pal. erat *in numma*, in alio *in villa.* Modius et Ops. in suis codd. *in unica* aut *inimica*: quo probabilior mihi visa est Lipsii coniectura *in Mica* corrigentis, nec vero illam Domitiani *Micam* intelligentis, cuius Martialis II. 59. meminit, sed domum quamdam Baiis isto nomine insignitam. Mihi vero ex veteris scripturae vestigiis *micca* geminata *c.* litera scribendum videbatur, quod etiam cum graeco μικκὰ (i. e. μικρὰ οἰκία) aptius convenit; idque pro communi nomine accepi, quo in ista Italiae ora quamlibet *exiguam et elegantem domunculam* adpellari solitam su-

spicor. *l.* 29. *praeternavigantes.* Sic vulgo, ab Erasmo: sed verum erat *praenavigantes*, quod habet ed. *R.* cum ms. Amplon. et alio quem laudaverat Gronov. ad Liv. XXIX, 32. Cf. Senec. Epist. LXX. p. 226. l. 4. Emendationem occupavit Matthiae in Programm. saepius a nobis in Praef. laudato, p. 4. Vitiose *postnavigantes* ed. *A.* et ms. *c.* *l.* 30. *et tot adspiceret genera* etc. Sic ed. *R.* ex qua una propagatum est verbum *adspiceret*; quod licet alii codices (quotquot novimus) omnes cum ed. *A.* et ms. *c.* ignorent, tenendum tamen putavi, quum praesertim verbum *dinumeraret* non nisi perincommode ad id, quod subiicitur, *fluitantem toto lacu rosam*, posset referri. Non unus hic locus est, in quo veterem veramque scripturam, in vetustissimis qui supersunt codd. obliteratam, unus aliquis aut alter iunior liber servavit.

PAG. 153. *l.* 1. *convicia* recte vulgo ex ed. *R.* i. e. *clamores.* Conf. Grut. et quae nos ad XV. 47, 14. notavimus. *l.* 2 sq. *quam unam noctem inter talia duxisse.* Haec est planissima et commodissima editionis Rom. scriptura, merito a Mureto instaurata; quam servarunt etiam duo codd. Grut. nisi quod in his perperam *duxisset* scribitur. Ab illa discedens Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.* et Pal. sec. sic ediderat, *quam ibi unam noctem anxius ipse duxisset.* Tum Lips. et Gron. cum codd. Pinc. et Ops. *quod in unam noctem manu sua duxisset;* sic et Ruhk. nisi quod huic placuit *in una nocte*, quod habent duo alii codd. Grut. *l.* 12. *philetas* a Mur. vulgatum, ex ipsius emendatione: quo de vocabulo confer Lipsium et lexicographos Graecos. *phylistas* dabat ed. *R.* *philistas* ed. Ven. et Er. cum codd. Grut. *sophistas* ed. *A.* et ms. *c.*

EPIST. LII.

PAG. 154. *l.* 1. *Quosdam --- sine ullius adiutorio (ex his se) fecisse sibi ipsos viam.* Tenueram hoc, a Ruhk. ex Gronovii coniectura editum. Nunc, postquam animadverti, scripturam codicis Amplon. ab eodem Ruhk. citatam convenire cum ea, quae iam a Lipsio partim ex uno optimo Pinciani codice, partim ex ipsius coniectura, vulgata erat, certum habeo, sic scriptum oportuisse hunc locum: *Quosdam -- sine ullius adiutorio contendere: ex his se;* [scil. *esse;*] *fecisse sibi ipsum viam.* *l.* 22. *alterum, puta, area accepit.* Erasmianam *puram aream accepit*, quod ipsum fere

ed. *A.* et *R.* cum ms. *c.* tenent, revocavit Ruhk. postquam alii cum Mureto *dura area accepit* ex Pinciani coniect. dederant. Nobis placuit *area* in primo casu: nec enim domus aream, sed area domum accipit. *puta* autem opportune dedit ed. Ven. haud dubie ex vetere quodam libro. Nec vero adiecto vocabulo *pura*, nec *dura*, opus erat. *Area*, si veteres Grammaticos audias, est *locus purus*, id est, non aedificatus: est item *locus siccus et aridus*, adeoque *durus*; cui mox apud Nostrum opponitur *mollis ac fluida humus*. Iam quod continuo subiicitur, *alterum fundamenta laxa* (i. e. ampla, coll. LV. 164, 15. et LVI. 167, 27.) *habet*, id ex tribus codd. Palat. (quibuscum facit eadem ed. Ven.) merito recepit Ruhk. quum alii omnes libri, et quidem meliores alioquin et vetustiores, variis modis corrupti essent.

PAG. 155. *l.* 5. *aliquorum* edd. vett. et ms. *c.* ex usu Senecae. Vulgo *aliorum*, perperam: nec enim quosvis alios vult invocatos.

PAG. 156. *l.* 12. *aliqua et laudandi l i c e n t i a. aliqua laudandi et licentia* ms. *b.* Speciosum est, quod habet ms. *c.* cum ed. *A. aliq. et laudandi s c i e n t i a*; cum quo bene congruit, quod *l.* 20. ait, *si, quemadmodum l a u d e t, adspexeris*; nam *laudet*, non (ut vulgo) *l a u d e t u r*, dedere ibi edd. *A.* et *R.* cum mss. *b. c.* et Iur. nec fere dubito, sic etiam in aliis iri repertum, licet nihil ad h. l. a Pinc. Ops. aut Grutero adnotatum sit. *Ibid. Omnium rerum.* Quum vulgo legeretur *Omnia rerum omnium*, commode coniiciebat Matthiae (in nupero Programm. p. 18.) *Obvia rerum omnium.* Equidem dedi id, quod ex ms. Pal. sec. laudavit Grut.

EPIST. LIII.

PAG. 158. *l.* 6. *coëgi petere littus.* Sic edd. vett. et ms. *c.* cum Grut. (In ms. *b.* rursus deest haec Epist. et seqq. usque ad Ep. LXIII.) Vulgo *coëgi ut peteret littus.* *l.* 9. - 12. *obvertant - - iaciatur.* Corrige *o b v e r t u n t* et *i a c i t u r*, cum ed. *R.* et mss. Ops. Tum d e l e *sed* ante *memor*, cum edd. vett. et msstis omnibus. *l.* 12. *memor artificii mei, vetus frigidae cultor.* Sic recte mssti Modii et Ops. cum Pal. sec. Nostri libri male, *artificii mei veteris frigidus cultor.* Duo postrema verba abiecit Muretus. Restituit *frigidae cultor* Ruhk. sed tenuit *artif. mei veteris*; quomodo ediderat Erasm. *l.* 20. *Et ego.* Deletam voculam *Et* malebat

Matthiae, ratus ex coniect. positam a nonnullis fuisse pro *at*, quod ex praeced. verbo *erat* temere fuisset repetitum. Sed veteres libri omnes *Et* tenent; *at* vero primum a Mureto ex ipsius coniectura est invectum. *l.* 24. *hoc coepi.* Sic edd. vett. et mss. recte, et ex usu Senecae. Cf. LVII. 171, 13 sq. et not. ad I. 3, 3. Vulgatum *occoepi* ab Erasmo erat, *occepi* a Gron. *l.* 30. *confessionem exprimit.* Sic correxi ex Agricolae coniectura, quae et nobis ultro se obtulerat. Vulgatum ab Erasmo *accepit*, nec commodum erat, nec in ullo vet. libro repertum est: vitiose *excipit* dabant omnes. Alia ex libris in hac Epist. correcta praetermitto, et tempori et chartae parcere coactus.

Pag. 160. *l.* 4. *Idem* (scil. quod istis dixerat Alexander) *Philosophia* (dicit) *omnibus. Idem* recte ed. *A.* et ms. *c.* cum codd. Grut. pro olim vulgato *Itidem.* Praeter rationem *Item* ed. Ruhk. ex Gronovii coniect.

EPIST. LIV.

Pag. 162. *l.* 13. *nihil cogito de die toto*: id est, qualibet diei hora praeparatus sum ad mortem; nullo die cogito, me ad crastinum usque victurum. Vocab. *toto*, temere a Mur. eiectum, recte restituit Ruhk.

EPIST. LV.

Pag. 163. *l.* 10. *tempestate maris spissum.* Dele vocab. *maris*, inauspicato ex ed. Er. revocatum a Ruhk. Ignorant illud veteres libri omnes: quorum nonnulli quidem cum ed. *R.* vocab. *mare* infulserant, ex inepto scholio; quum non de mari, sed de itinere agatur, ad quod refertur voc. *spissum. spissum* autem, non (ut vulgo) *spissius*, dedere edd. vett. et ms. *c.* cum codd. Ops. et Col. *l.* 12. *adligantur. colligantur* ed. *A.* et ms. *c.* quod ex scholio natum videtur.

Pag. 164. *l.* 15. *cuivis laxo atrio pares, manu factae.* Locum pridem a Lipsio optime curatum, denuo corrupit nuperus Editor, absurdam scripturam reducens, *cuius laxo atrio paries manu factus.* *l.* 31. *qui sibi omnia commendet.* Sic ed. *R.* cum Modii codd. *qui sibi commendet omnia* ed. *A.* cum ms. *c.* et aliis. Vulgatum a Mureto *qui commendat omnia* tenuit Ruhk.

Pag. 165. *l.* 15. *occupationes utriusque diversas.* Sic codd.

Pal. 2. 4. et Col. Vulgo *utrimque*, ex ed. *R.* *utrique* ed. *A.* et ms. *c.*

EPIST. LVI.

PAG. 166. *l.* 9. *alipten.* Et hîc, et in his quae sequuntur, eisdem fere vitiis tenentur libri nostri, quibus plerique alii. Tenui autem cum Ruhkopfio emendationes a viris doctis iam olim, partim ex ipsorum ingenio, partim ex veteris scripturae reliquiis adlatas. *l.* 28. *Crispum nostrum.* Haud cunctanter sic correxi, ut suaserat Lipsius. Vulgatum *Chrysippum* primum comparet in ed. Tarv. *Crisippum* scribitur in ed. *R.* et ms. *c.* *Crisipum* in ed. *A.*

PAG. 167. *l.* 8. *tubulas experitur et tibias.* Vulgatum *tabulas* et defendit et interpretari conatus est Ruhk. quas ei tabulas, quoniam placent, non invideo. Equidem *tubulas* cum Grutero corrigere (cui et Pincianus et Muretus praeiverant) non dubitavi. Adsentitur nobis Matthiae in Progr. supra laudato, p. 18. *l.* 9. *Etiam molestior. Etiam nunc molestior* scribe cum ed. *R.* et codd. Ops. Eo refertur dein, *Sed iam me sic* etc. *l.* 21. *placida. tacita* ed. *R.* et *A.* cum ms. *c.* Sed mox dein in *placida* consentiunt omnes.

PAG. 168. *l.* 18. *aut etiam abiecta.* Sic vulgo inde ab ed. *R.* et consentiunt tres codd. Ops. et quinque Grut. Nec tamen satis aptum huic loco id verbum. *abirata* in vet. cod. repererat Modius, unde *abiurata* corrigebat, quod minus etiam huc quadrat. *obirata* habet ed. *A.* *obiecta* ms. *c.* Unice verum erat id quod ex optimo cod. Nicot. laudavit Opsopoeus, *obruta;* quod restitui Senecae debuerat.

PAG. 169. *l.* 6. *illum curiosum.* Quod invitis libris in ed. Matth. legebatur, *illorum curiosum*, id idem vir doctus retractavit in laudato Progr. p. 11. *l.* 8. *dudum.* Temere et invitis libris omnibus *tutum* scribitur in ed. Ruhk. quod et in ed. Matth. propagatum. *l.* 25. *varia circumstrepet.* Sic quidem vulgo ab Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.* Sed praestat *vana*, quod habet ora Erasm. cum ed. *R.* et codd. Opsop. *l.* 26. *aliquanto commodius est.* Tenui percommodam Matthiae emendationem. Vulgo *aliquando* dabant libri (quoad quidem novimus) omnes. *l.* 30. *etiam adversus Sirenas.* Satis erat *et adv. Sir.* quod habent edd. *R.* et *A.* cum ms. *c.* Mox ante *invenerit* ignorant iidem libri cum aliis duo verba *dederit et*, quae ex Gruterianis nonnullis primus infulsit Lipsius.

EPIST. LVII.

Pag. 170. *l.* 1. *Quum a Baiis.* Deleverat voculam *a* Erasmus; et poterat illa abesse, sed adiectam dedere edd. vett. cum ms. *c.* et Gruterianis omnibus. *l.* 7. *nihil illis f a c i-b u s obscurius.* Vulgo *faucibus* ex ed. *R.* Recte *facibus* dedit ed. *A.* Vitiose *facilius* ms. *c.* Miratus sum nihil ex aliis codd. ad hunc locum adnotatum.

Pag. 171. *l.* 8. *succidunt* recte edd. Tarv. Ven. et Erasm. Vitiose *succedunt* ed. *R.* et *A.* cum ms. *c.* Praeter rationem *concidunt* ed. Mur. et seqq. *l.* 20. *efficientia* optime ed. Mur. et seqq. quod in Append. commendaverat Erasm. ex vetere libro, ut videtur. Vitiose *efficientiam* edd. vett. et ms. *c.* Unus Ruhk. *effecti causam* scripsit, ex Pinciani coniect.

Pag. 172. *l.* 7. *propter illud.* Sic bene edd. *R.* et *A.* cum ms. *c.* et codd. Grut. id est, propter id ipsum, propter eamdem causam. Alii mss. *propter illum;* unde vulgo *propter hoc illum*, ab Erasmo. *l.* 8. *m o r i posse.* Sic rursus ed. *R.* et *A.* cum ms. *c.* et codd. Grut. Sed ex codd. Grut. alii verbum *mori* alio loco ponunt; in mss. Ops. autem prorsus abest id verbum: itaque uncis inclusi, ratus posse ex sequente verbo *perit* h. l. *perire* suppleri, quod ipsum verbum *perire* adiecit Erasmus, unde vulgo *posse p e r i r e.*

EPIST. LVIII.

Lin. 13. *Graii* ed. *A.* et ms. *c.* Vulgo *Graeci.*

Pag. 173. *l.* 12. *Hoc nolo. Hic nolo, R. A. c.* (Nil enim impedit, quo minus tali compendio utamur, pro *ed. R. et A. cum ms. c.*) *Ibid. f i d e l i Virgilio.* Sic ed. Ruhk. cum edd. vett. et mss. Pal. 2. 3. et Col. commode: nec vero spernam *fidem Virg.* quod habent *A.* et *c.* cum mss. Ops. ubi cod. Amb. adiicit *adhibe*, quod subintelligi poterat. Nec vero absurda Gruteri coniectura, *fiden'*, i. e. *fidis ne?*

Pag. 174. *l.* 14. *esse a l i q u i d genus.* Sic scripsi cum ed. *R.* et aliis libris apud Mod. Ops. et Grut. Nec vero displicet *a l i q u o d*, vulgatum inde a Lipsio, quod habet ed. *A.* cum ms. Pal. sec. In *c.* dubie scribitur *aliqd.* Fuerint quibus magis probetur, *esse aliud genus*, quod ex vet. lib. laudavit Pincianus. *l.* 30. *Quaedam anima carent.* Sic vulgo, ab Erasmo, cum ed. *A.* *S e d quaedam* etc. ed. *R.* cum ms. *c.* et Opsop. et Grut.

Pag. 175. *l.* 2. *animata -- inanima. animalia -- inanima-*

lia R. A. c. cum aliis. Conf. Opsop. et infra l. 26 sq. *animata* eadem sunt, quae *animantia* paulo ante, ac rursus l. 26. Pro *inanima*, habent *inanimantia* edd. inde a Lips. et sic rursus *l.* 27. sed *inanimata* ed. Ven. et Erasm. quod l. 27. habent *A. c.* *l.* 15 sq. *qua multa continet - - qua sub alio est.* Sic edd. a Mur. ex Modii emendatione. Utrobique *quod* habet ed. *R.* *quia* ed. *A.* et Er. cum ms. *c.* Cf. Not. ad LXVI. 212, 3. *l.* 27. *inanima. inanimantia* edd. ex *R.*

Pag. 176. *l.* 3. *Quiddam* scripsi cum vet. cod. quem in Notis laudavit Mur. *Quid* edd. inde a Lipsio. *Quod* ed. *R.* cum mss. Pinc. et Grut. Deest vox ed. *A.* et ms. *c.* cuius loco dein *sed quare* legitur: at particulam *sed* recte ignorant alii. *l.* 5. In istis, *Et haec autem* etc. nil mutant libri. Dicit igitur, ex Stoicorum sententia naturam rerum etiam ea complecti quae re vera non sunt, quae nonnisi animo succurrunt. *l.* 23. *sed iam apud* etc. Sic bene vulgo cum *R. A. c.* *sed tamen apud* ed. Ruhk. cum Grut.

Pag. 177. *l.* 23 sq. *Habet aliquam faciem statua: haec est εἶδος.* Verba ista quum in ed. Bipont. temere praetermissa essent, pariter in ed. Ruhk. et Matth. desiderantur. *haec* scribitur in ed. *R.* et seqq. *hoc est εἶδος* ed. *A.* et ms. *c.*

Pag. 179. *l.* 1. *sumes. invenies R. A. c.* *l.* 3. *ex omni vacatione.* Revocavit hoc Ruhk. ex ed. Erasm. quod bene habet, si ex vet. libro ductum, sed vereor ne ex eiusdem Erasmi ingenio: nam alii libri omnes (mss. Modii, Opsop. et Grut. cum nostro *c.* et ed. *R.*) *ex omni natione* exhibent, quod probant viri docti, *ex omni secta* intelligentes. In una ed. *A.* desiderantur tria ista verba. *l.* 30 sq. *potest tamen - - prorogare.* Sic ed. *R.* cum mss. Grut. et aliis. *posse tamen - - prorogare* ed. *A.* cum ms. *c.* ubi bene haberet *posse*, si sequeretur *prorogari*, ut cum Pinc. correxit Mur. Recte vero *tamen* tenent vett. libri, quod temere in *tandem* mutatum in ed. Ruhk.

Pag. 180. *l.* 8. *produxit* recte ed. *R.* Vulgo *perduxit* cum *A. c.*

Pag. 182. *l.* 2. *mortes meras* cum Modio, et Mureto et Lipsio scripsi, improbante quidem Gronovio; cum quo si quis servatam librorum scripturam *mortis moras* maluerit, nihil impedio. Novimus quidem, etiam alibi plus semel *mortis moras* memorari Senecae, ut Ep. VII. 16, 23. LXXXII. 308, 11. Nat. Quaest. II. 59. sed id huic loco non admodum convenire videbatur. Tum vero et illud obser-

vandum, levissimam esse mutationem, quam secuti sumus, unius vocalis *o* in *e*: nam *mortis* quidem, ex prisco scribendi more frequenter in libris nostris servato, quartus nominis casus esse poterat, ut idem ac *mortes* valeret. Porro Ep. VII. 16, 23. pro *mortis morae* in libris nonnullis vice versa *mortis* (vel *mortes*) *merae* scribitur, ut in ms. Par. *b*. et in ed. Erasm. 2. Denique h. l. *mortis meras* exhibebant duo Palatini codices: ex quo probabile fit, etiam a Modio istud *meras* non ex ingenio, sed ex vet. libro esse prolatum: eodemque ducebat corrupta scriptura *meas*, in ora Erasmi notata, quam eamdem unus etiam e Palatinis exhibebat.

EPIST. LIX.

PAG. 183. *l.* 1. *ex honesta causa*. Corrupte *ex nomine ista caussa* dabant *R. A. c.* *ex ista caussa* quatuor codd. Grut. et ed. Er. unde Muret. correxit *ex iusta causa*; tum *iusta causa* ed. Gron. vocula *ex* (casu, puto) omissa. Denique *ex nomine iusta causa* edidit Ruhk. quod quid sit, quidve valeat, ipse viderit: illud equidem video, in editione vetere (in qua eamdem scripturam exhiberi ille ait) non *iusta*, sed *ista* legi. Non animadverterat vir doctus id quod ex cod. Pal. sec. Gruterus enotaverat, *ex homine ista causa*; quo ex portento et istud natum erat *ex nomine*, et scriptura unice vera (de qua iam olim perspecte Lipsius monuerat) facile intelligebatur, *ex honesta causa*. *l.* 11. *decore vocentur*. Verum fuerit *evocentur*, verbum Senecae familiare. Conf. Gron. ad Epist. XLVII. not. 44. *l.* 15. *Invenio nunc*. Hoc magis placuit, quod dedere *A. c.* quam *Inv. tamen*, vulgatum ex ed. *R.* *l.* 16 sq. *ita non indecoras: itaque* etc. Sic *R. A. c.* ut recte edidit Ruhk. *l.* 27. *Sextium ecce* etc. Ab istis verbis in ms. *c.* fit initium novae Epistolae, cui adiectus numerus 63. Cf. not. ad XLVIII. 141, 19. In ed. *A.* pariter, quasi hinc novae Epistolae initium fieret, praeponitur Argumentum; sed nec post *adducant* adiicitur *Vale*, nec numerus novae Epistolae adiectus.

PAG. 185. *l.* 6. *agnoscimus* bene edd. ab Erasmo. *ignoscimus R. A. c.* *l.* 10. *multa mentiri*. Sic recte ed. *A.* et ms. *c.* *saepe multa ment.* ed. *R.* *saepe mentiri* vulgo edd. a Mur.

PAG. 186. *l.* 4. *Sapiens ille plenus est gaudio*. Sic ed. *R.* cum mss. Grut. et aliis. *l.* 14. *inter honores gaudium, inter sollicitudines quaeris*. In *R. A. c.* sic scribitur, *inter honores idem gaudium, inter sollic.* etc. Vulgo, inde a Mur. edebatur *inter*

honores gaudium, *id est*, *inter sollic. quaeris?* Mihi perinde et vox *idem*, et duae illae *id est*, ex scholio aut ex coniect. invectae videbantur. Quae ad h. l. Gruterus adnotavit, confusa sunt, nec satis mihi percepta. *l.* 29 sq. *qualis mundus R. A. c.* cum Pal. 1. 2. 3. non *qualis mundi status*, quod ex scholio natum videtur.

PAG. 187. *l.* 9. *suppurare* bene edd. ab Erasmo, nescio ex coniect. an e vetere libro. Conf. DE Brev. Vit. c. 11. *superare R. A. c.* cum aliis. *supputare* Pal. sec. *l.* 10. *illum versum* vulgo ex ed. *R. versum illum* ed. *A. versiculum* (absque *illum*) ms. *c.* Mihi utraque vox suspecta.

EPIST. LX.

Lin. 8. *pro nobis* recte restituit Ruhk. Temere *pro vobis* ed. Lips. et seqq.

PAG. 188. *l.* 2. *quasi nondum* edd. a Mur. cum ms. Col. *quasi ita nondum R. A. c.* cum Par. *a. b. d.* (nam h. l. et in seqq. Epistolis rursus *Parisienses* illi *libri* nobis succurrunt) et quatuor codd. Grut. ubi quaenam vis illi particulae *ita* insit, aut quid sub ea lateat, videant doctiores. *l.* 5. *unius mensae strumentum.* Vulgatum olim *frumentum* »haud dubie non tentandum« iudicavit Ruhk. Ego vero (quamvis in id consentiant *R. A. c.* cum aliis) ne ullo quidem pacto ferendum autumo. Grutero adsentior, verum esse istud, quod in suis membranis Modius, et in uno item suorum codicum Opsopoeus repererat. *l.* 7. Recte *pascuo*, non *pascuis*, ed. *R.* cum ms. *c.* et Par. *a. b. d. agro* ed. *A.* *l.* 18. *Vivit is qui se utitur.* Ante ista verba intersertam velim, atque doleo in nostro exemplo neglectam, nobilissimam hanc sententiam: *Vivit is qui multis usui est.* Ea sententia ut varia lectio adnotata est in ora ed. Erasmi: at simul cum altera adest eamque antecedit in ed. *R.* et in duobus codd. Ops. quibus accedit Gruteri Palatinus tertius, recentior ille quidem aliis, sed in quo et alia passim multa bonae frugis servata sunt. Ex codd. Par. sententia ista non est adnotata. *l.* 20. *quomodo* recte *R. A. c.* cum omnibus Ops. et Grut. codicibus. Et sic solet illo vocabulo uti Seneca. Temere *quasi* ed. Mur. *tanquam* ed. Lips. et seqq.

EPIST. LXI.

PAG. 189. *l.* 6. *fruor* vulgo, inde ab ed. Tarvis. et sic

quoque ed. *A.* *fruar* ed. *R.* et mss. *c.* Par. *a. b. d.* *l. 7.* *minimi pendo. non nimis pendeo* edd. a Lips. cum mss. Pal. 2. 3. et Par. *b.* Sed *pendo*, et *non minus*, cum ed. Er. habet ed. *A.* et ms. *c.* Par. *d.* et al. *nemini pando* ms. Col. et Par. *a.* *nemini panditur* ed. *R.* Quibus inter se collatis, Pinciani coniecturam *minimi pendo* probavi, ita tamen ut non spernam vulgatum. *l. 11.* *Quidquid futurum est, necesse futurum est repugnanti: in volentem necessitas non est.* Sic commodissime omnium, ac verissime, ut mihi videbatur, ms. Col. cum quo consentit ed. *R.* nisi quod posteriori loco verbum *futurum* omittit. Ex illaque scriptura facile intelligitur aberrationum ratio, in quas alii scribae inciderunt. Lipsiensis editor secutus est Gronovii emendationem, qui posterius hemistichium recte curavit, prius vero minus feliciter, ita scribens: *Quicquid necesse est, futurum est repugnanti.* *l. 20.* *instrumentorum eius* commode edd. inde ab Erasmo. Perperam *instrumento eius* editt. *R.* et *A.* cum msstis quotquot novimus. Scil. ex verissimo Stoicorum praecepto vita sapientis inest in recto usu rerum: res, quibus utimur, sunt *instrumenta vitae.* Conf. XLIV. 130, 3 sqq. XLV. 133, 24. Eas res quam splendidissimas esse cupit stultus, et his unice inhiat; quia ex rebus ipsis, non ex earum usu bonum hominis aestimat. Sapienti, qualiscumque sit rerum suarum status, *satis instructa vita est* hoc ipso, quod non in rebus, sed in recto rerum usu, qualescumque illae sint, verum hominis bonum inesse persuasum habet.

EPIST. LXIII.

Pag. 190. *l. 1.* *Moleste.* Sic, non *Graviter*, ut vulgo, dedere *R. A. c.* tum Arg. *b.* Par. *a. b. d.* Pal. 2. 3. et Col. denique Opsopoei libri quatuor.

Pag. 192. *l. 6.* *amicorum defunctorum.* Posterius vocab. quum in ed. Bipont. temere praetermissum esset, desideratur etiam in ed. Ruhk. et Matth. *l. 19.* *nisi quum perdiderunt.* Sic bene edd. cum ms. Arg. *b.* Ferri etiam poterat *nisi perdiderint*, quod habet ed. *A.* cum mss. *c.* Paris. et Grut. Sed perperam et invitis libris *nisi quum perdiderint* ed. Ruhk. *l. 27.* *quemcumque non fecimus* recte ed. *R.* cum mss. Arg. *b.* Par. *a. b. d.* Mod. Ops. et Grut. Perperam *quemquam* vulgo edd. inde ab Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.* quod cum altero permutatum noluit Ruhk. *l. 28.* *ne unum qui-*

dem nimis amavit. Vocem *nimis*, inde a Mureto temere vulgo omissam, restitui ex edd. vett. et msstis.

PAG. 193. *l.* 4. *Scio pertritum.* Vox *quidem*, vulgo hic infulsa, primum in ed. Gron. invitis libris temere invecta erat. Contra, *et*, ante *quamprimum*, (*l.* 10.) primus Muretus, invitis libris omnibus, abiecerat.

EPIST. LXIV.

PAG. 194. *l.* 6. *significet* ed. *R.* cum melioribus quibusque msstis. Vulgo *significaret.* *l.* 11. *Quantus -- vigor.* Sic mssti cum edd. vett. non *Quantum -- vigoris.*

PAG. 195. *l.* 17. *Hoc idem* ed. *R.* cum msstis: non *hoc quidem.*

PAG. 196. *l.* 4. *sed haec tamen morbis.* Particulam *sed* recte restituit Ruhk. ex veterum librorum praescripto: perperam vero idem reposuit *modis*, pro *morbis*, quod habebat ed. Erasm. et seqq. cum melioribus mss. Arg. *b.* Par. *b. d.* et aliis. Diversum est quod paulo post ait Noster, *adhibeas singulis modum.*

EPIST. LXV.

PAG. 197. *l.* 11. *Te arbitrum addiximus.* Vulgatum *adegimus* ex Lipsii coniect. receperat Mur. *adduximus* dabant edd. vett. cum msstis, quod reposuit Ruhk. Nos certissimam Gruteri emendationem, uno etiam ex Opsopoei codd. firmatam, adoptavimus. *l.* 24. *pateretur artificem.* Sic recte ed. *R.* cum mss. Arg. *c.* Par. *a. b. d.* Similiter pag. 202. l. 28. *materia, patiens Dei.* Vulgo *pat. artificium.* *l.* 26. *opifex*, non *artifex*, dedere veteres libri omnes.

PAG. 199. *l.* 4. et rursus *l.* 7 sq. *id in quo.* Utrobique vulgo nude *id quo*, ex Mureti ingenio. Sed utrobique voculam *in* inserunt veteres libri omnes; quod qua ratione dicatur, nunc non vacat disquirere. Formula forsan ad verbum e graeco conversa, in quo erat ἐν ᾧ, idem valens ac nudum ᾧ, id est, *quo*, sive planius interpretari volueris, *per quod.* *l.* 5. *novissime.* Commodius sic interpunges, *propter quod. Novissime* etc. *l.* 12 sq. *facientem -- formam.* Sic meliores libri; non, ut vulgo, *faciens -- forma.* *l.* 22. *verissimum* edd. vett. cum msstis. Vulgo *verum.*

PAG. 200. *l.* 4 sq. *Quaerimus quae sit causa, ratio scilicet faciens: ista enim, quaecumque retulistis.* Loco istorum vulgo sic legebatur inde ab Erasmo: *Quaerimus, quid sit*

causa? Ratio faciens, id est, Deus. Ita enim, quae nunc retuli, etc. quae omnia, nulla Nota adiecta, eadem tenuit Ruhk. At, primum, concinnior nobis videbatur scriptura, *quae sit causa*, quam scripturam cum ed. *R.* offerebant mss. Pal. sec. et Col. Tum *ratio scilicet faciens* dabant veteres libri omnes. Cf. p. 197, 17 sq. Porro, pro *Ita*, percommode *ista* dedit ms. Col. quod vel ex ingenio corrigere licuerat. Denique *quaecumque retulistis*, cum ed. *R.* communi consensu dedere mssti fere omnes. In uno Arg. *c.* est, *quae nunc retulistis*. Iam vero ista, post *faciens* vulgo inserta, *id est Deus*, (sive, ut ms. Col. habet, *id est ipse Deus*) tenent quidem libri omnes: sed persuasum equidem habui, esse illa e scholio (ex pag. praec. l. 12. desumto) interpolata; quemadmodum hac ipsa pag. *l.* 18. post *generalissima* (sive, ut vulgo legebatur, *generali*) adsuta sunt in ed. *A.* et in ms. *c.* haec verba, *id est de Deo. L.* 17 sq. *nos de causa quaerimus generalissima.* Vulgo *de causa quaerimus generali* edd. inde ab Erasmo, cum ed. *A.* et ms. *c.* quod per se percommodum poterat videri; ideoque nihil adnotatum a Pinc. aut Opsopoeo, nec e msstis Par. quidquam h. l. monitum. Sed alio nos ducit aliorum librorum scriptura: *nos de causa generali locuti sumus* ed. *R.* cum mss. Pal. 1. 2. 3. et Col. *nos de causa generali sumus locuturi* ms. Arg. *b.* quibus scilicet in libris quum temere omissum esset verbum *quaerimus*, in fine autem adesset verbum *sumus*, ex coniectura alii adiecerunt *locuti*, alii *locuturi*. Istud autem *generali sumus* ex *generalissimus* fuisse corruptum, evincit plana atque integra codicis Pal. sec. scriptura, quam in exemplo nostro repraesentavimus. Similiter, sed vice versa, erratum est p. 202 extr. in ms. Par. *a.* ubi pro *fortes simus* scribitur *fortissimus*, et, quoniam sic nullus orationi sensus inerat, adiicitur *stet.*

PAG. 201. *l.* 9 sq. *ex alicuius rei subtilioris inspectione, quae intentione oculos defatigat.* Vulgo *ex alic. rei subt. intentione, quae oculos def.* quod ferri fortasse poterat, ni aliud suasissent mssti, quorum nullus hanc praefert scripturam; sed alii, omissa voce *quae*, habent *rei subt. intentione oculos defatigant*; alii, *rei subt. quae intentione oculos defatigat*; alii denique cum edd. vett. *rei subtilioris inspectores, quae* (*qui* ed. *A.* et ms. *c.*) *intentione oculos defatigat.* Unde perspicuum nobis videbatur, in aliis temere omissum fuisse vocab. *inspectione*, in aliis in *inspectores* mutatum. *L.* 26.

in unum mersa. Perperam vulgo *in una massa* ex Mureti ingenio. *in unum mersa* dedit unus cod. Pal. sec. Poterat teneri *in uno mersa*, quod cum ed. *A.* et Erasm. dabant reliqui mssti omnes: nec aliud debuerat ed. *R.* in qua est *imo* pro *uno.* *l.* 31. *iacentibus*, non *latentibus*, dedere meliores libri omnes cum ed. *R.*

PAG. 202. *l.* 4. *an saepe nascendum? quo hinc* etc. Vulgo *an saepe? Nesciam quo hinc* etc. ex Mureti ingenio. *nascendum* tenent veteres libri omnes; nec fuisse causam nunc intelligo, cur suspectum mihi id verbum fuerit: itaque deletos velim uncos, quibus illud circumdederam. *l.* 5. *exspectent* ed. *R.* commode; quod et debuere *A.* et *c.* in quibus *exspectant.* Vulgo *exspectet.* *l.* 27. Restituimus duo verba *ac pretiosius*, temere praetermissa in ed. Bipont. et Ruhk. *l.* 30. *id in nobis* edd. vett. et mssti. Deerat vulgo *in.*

PAG. 203. *l.* 3. *Mors quidem aut finis est, aut transitus.* Sic *R. A. c. Mors quidem est aut finis* etc. Arg. *b.* et al. apud Grut. Vulgo *Mors quid est? aut finis* etc.

EPIST. LXVI.

Lin. 9 sq. *a contemtu sui corporis.* Sic ed. Ruhk. cum *R. A. c.* et Grut. Satis fortasse erat *sui*, (absque *corporis*) quod cum ed. Er. et seqq. habent mss. *b.* Pal. sec. et (ni fallor) codd. Paris.

PAG. 204. *l.* 9. *una fecerimus* recte reposuit Ruhk. cum edd. vett. et msstis. Cf. Gronov. Antea *una egerimus* edd. ex ing. Mur. *l.* 23. *ad primum bonum* ed. *R.* cum msstis Arg. *b. c.* Paris. Ops. et Grut. Aberat *bonum* ed. *A.* et ed. Erasm. et seqq. *l.* 27. *inserens* ed. *A.* mss. *b. c.* (puto et Par.) Ops. Grut. *inferens* vulgo ex ed. *R.*

PAG. 205. *l.* 2. *pulcherrimus cum decore.* Post *pulch.* adiecit *ordinatissimus* Ruhk. ex Pal. 1. 3. 4. et alio cod. apud Gron. quos quidem in libros haud dubie ex scholio invectum erat id verbum.

PAG. 206. *l.* 5. *opera virtutum.* Sic vulgo edd. cum *R. A. c.* Sed rectius videtur *opera virtutis*, quod est in Arg. *b.* et Par. *d.* nec aliud debuerat Par. *b.* in quo *opera virtutes.* *l.* 13. *minuuntur* restituit Ruhk. ex edd. vett. et msstis, quorum pars quidem *imminuuntur. eminent* ed. Mur. et seqq. ex Pinciani coniect. *l.* 29. *in exitium ipsas suum.* Sic ed. *R.* et meliores libri omnes. Vulgo *sui.* *l.* 30. *non esse clusum R. A. c.* aliique. Vulgo *nihil esse clausum.*

Pag. 207. *l.* 8. *plurimum inter illa. plurimum quantum ad illa* edd. inde ab Erasm. contra quam edd. vett. et mssti omnes. Leviora alia praetermitto. *l.* 12 sq. *in utroque* scripsi cum ed. *R.* Vulgo *in utraque.* Dubie scripta vox in Arg. *b.*

Pag. 208. *l.* 4. *malum non putet, velit, libens faciat.* Sic recte meliores libri omnes, Arg. *b.* Pal. 2. Col. et Ops. Et parum abit ed. *R.* cum aliis apud Grut. in quibus partim *vel,* partim *et,* pro *velit.* Vulgo *malum non putat, velut libens faciet* inde ab Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.* in quibus tamen *faciat* recte scriptum. In nostro exemplo, me imprudente *faciet* e superioribus editt. adhaesit, quod in *faciat* mutandum. *l.* 6. *nulli malo mixtum* ed. *R.* et mss. Arg. *b.* Par. *b. d.* Ferri autem etiam vulgatum poterat, *nullo malo mixt.* *l.* 16. *dulces esse tortores.* Hoc verum iudicavi, quod servatum in quatuor Gruterianis. Nam scriptura inde ab Erasm. vulgata, *dulce esse torqueri,* qua nihil utique planius fingi poterat, nullo in vet. libro reperta est. Ed. *R.* cum Arg. *b.* Par. *b. d.* et Pal. sec. dabant *dulces esse terrores,* quod ex *tortores* corruptum. Ed. *A.* cum ms. *c.* et Par. *a.* *dulces esse dolores.*

Pag. 209. *l.* 17. *corpus inlibatum.* Hoc vocab. unice verum mihi visum erat, quod ex uno suorum codicum Opsopoeus, et e duobus aliis Gronovius protulit: latebatque idem vocab. sub corrupto *illi tuum,* quod est in Arg. *b.* et Par. *b.* Quae illi vel substituuntur vulgo, vel ab aliis adiiciuntur, *illaesum,* et *integrum,* interpretamenta sunt ex pag. 210. l. 4 sq. adscita. *l.* 18. *mutilatum.* Iungit *mutilatum multatum* Ruhk. cum codd. Opsop. et Gron. quibus accedit Arg. *b.* et Par. *a. d.* Mihi satis fuit prius, quod unum agnoscunt *R. A. c.* cum editis ante Ruhk. *l.* 31. *magis adpetes.* Sic edd. inde ab Erasm. Poterat adiici, *aut amabis,* quod dabant *A. R. b. c.* Par. *a. b. d.* et Grut.

Pag. 210. *l.* 1. *At si hodie magis* etc. Inepte vulgo *Et si hoc est, magis* etc. *At si hoc est* dabat ed. *A.* et ms. *c.* Nos ex coniect. *At si hodie* scripsimus; quo refertur quod mox sequitur, *l.* 3. *deinde;* rursusque *l.* 6. *paulatim.* *l.* 8. *quam recalvum* ed. *R.* Sequioris aevi videtur esse *recalvastrum,* vulgatum ab Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.* Desunt duo verba mss. Arg. *b.* et Par. *a. b. d.*

Pag. 211. *l.* 28. *ergo et virtus virtuti: virtus non aliud quam recta ratio est.* Vulgo, *ergo et virtus, quae non aliud est quam recta ratio:* ubi pronomen *quae* ex Mureti ing. adie-

ctum; nam ed. *R.* cum msstis nude, *ergo et virtus non aliud* etc. Vitiosum locum, et haud dubie defectum, facili coniectura a nobis completum et persanatum existimo. *l.* 29 sq. *Omnes virtutes rationes sunt: si rationes sunt; rectae sunt.* Et hic rursus defectu laborabat vulgata scriptura: *Omnes virtutes rationes rectae sunt.* Sed hoc rursus a Mureto erat; nam editiones vett. cum msstis sic habebant, *Omnes virtutes rationes sunt. Rationes sunt, si rectae sunt. Si rectae sunt, et pares sunt.* Manifestum autem nobis videbatur, leviter invertendum esse medium argumentationis membrum, in eum modum quo edidimus.

Pag. 212. *l.* 3. *quia rectae sunt:* et *l.* 9 sq. *quia boni sunt.* Utrobique *quia* dedere editt. vett. cum msstis; non *qua*, quod ex Erasmi coni. posuit Mur. Conf. Not. ad LVIII. 175, 15 sq. *l.* 8. *honestae sunt.* Duo verba, quae desiderantur vulgo, abiecta ab Erasmo, restitui ex eisdem edd. vett. et msstis. *l.* 18. *quid utile sit.* Sic vett. libri omnes. Mire, *quid utile, scit,* ed. Lips. casu, puto, non editoris consilio: ineptam scripturam fideliter tamen propagarunt alii editores. *l.* 23. *per rectum itura.* Sic ed. *R.* cum cod. Siculo Mureti, et Nicotiano Opsop. quibus accedit Par. *a.* Hinc corrupte *perfectum it* Par. *b. d.* dein *ad perfectum* Arg. *b.* et alii: *in perfectum* ed. Erasm. et seqq. cum ed. *A.* ms. *c.* et Pal. sec. Pro *itura* exspectaveram *iturae*, sed in hoc verbo nil mutant libri. *l.* 27. *Ceterum bona quaedam.* Aberat vulgo media vox, a Mureto abiecta: sed dedere eam edd. vett. cum mss. Arg. Par. et Grut.

Pag. 213. *l.* 6. *Duo illa bona superiora.* Facilius h. l. careas vocab. *bona:* sed rursus abiectum a Mur. restitutum voluere veteres libri omnes. *l.* 25. *felicior res.* Posteriorem vocem dederunt edd. *R.* et *A.* cum mss. Par. *a. b. d.* Abest aliis. *l.* 29. *obnixus animus.* Unice hoc probavi, quod dedit ms. Pal. sec. Alii vulgo *obnoxius.*

Pag. 214. *l.* 3. *hoc contingere.* Restitui verbum abiectum a Mur. quod vett. libri omnes communi consensu agnoscunt. *l.* 4. *Senatus.* Probavi hoc, quod dedit Pal. sec. et Mureti vetus codex. Alii vulgo *in senatu.* *l.* 14. *ipsa principia* ed. *R.* et mss. Arg. *b. c.* et Par. *a. b. d.* Abest vulgo prior vox.

Pag. 216. *l.* 21. *sanguinolentis et ex acie redeuntibus.* Abesse malueram copulam *et;* sed omnes eam libri, quos novimus, agnoscunt.

Pag. 217. *l.* 6. *malaxandos* ed. *R.* cum mss. Par. *b.* et *d.* et alio apud Ops. Perperam alii *laxandos*, *mihi laxandos*, *male laxandos.* Vulgo *malacissandos* edd. a Mur. ex Agricolae coniectura.

EPIST. LXVII.

Lin. 5. *nondum me committo* f r i g i d a e m e r a e. Sic ex coniect. scripsi, cum quo perapte iungitur id quod sequitur, *adhuc rigorem eius infringo*, quae ipsa verba (varie in aliis corrupta) sic, ut vulgo edebantur, scripta exhibet ms. Arg. *b.* cum Par. *b.* In priori membro idem ms. Arg. *b. frigide vere* suo more scriptum dat, i. e. *frigidae* v e r a e, quod et ipsum utcumque ferri poterat; sed aptius erat *merae*, et satis adparet quid deceperit scribas ut vocabulum *vere* hic inveherent. *frigido vere* est in Par. *b.* *frigido veri* in *R. A. c.* Par. *a.* et in Gruteri codd. *frigido aëri* ed. Mur. quod in uno cod. se reperisse aiebat Pinc. Nude *frigidae* ed. Lips. et sqq. quod Nic. Faber in Praef. ad Senecae opera pag. IX. commendaverat. De re ipsa cf. Ep. LIII. p. 158, 12. et LXXXIII. 314, 6 sqq.

Pag. 218. *l.* 22. *necessitas adfert.* Vulgo *necessitas fert*, contra quam libri nostri omnes. *l.* 28. *tormentorum fortem tolerantiam.* Loco primi vocabuli, *R. A. b. c.* Par. *b.* et *Grut.* haec duo habent, compendiose in plerisque scripta, *omnium nostrorum;* Par. *a. d. omnium virorum;* ed. Mur. et sqq. *omnino asperorum* ex Erasmi Append. Denique quum perapturn huic loco vocab. *tormentorum*, cum ex vet. libro, tum ex pag. seq. l. 5. commendasset Pincianus, eique suffragatus esset Gruterus, *omnium tormentorum* edidit Ruhk. Equidem inutilem vocem priorem abieci, persuasum habens, ex solis duobus verbis *existimant tormentorum* natam esse vitiosam scripturam *existimant omnium nostrorum*, duobus posterioribus vocabulis (ut dixi) compendiose scriptis.

Pag. 219. *l.* 6. *Numne.* Poterat *Nonne* teneri, ab Erasmo vulgatum. Sed *Numne* dedit ed. Rom. Nude *ne* ed. *A.* et mss. *b. c.*

Pag. 220. *l.* 9. *Fortasse una* etc. Sic recte Arg. *b.* Par. *b.* *d.* et codd. Grut. Vulgo, *utitur fortasse, cum una* etc. *l.* 18. *ex consilii sent.* Vulgo *de cons. sent.* a Mureto, non male, sed invitis libris omnibus. *l.* 23 sq. *Est quaedam tristis voluptas: bona sunt quaedam vota.* Sic optime Arg. *b.* Et vo-

cab. *bona*, quod abest vulgo, agnoscunt libri omnes. *l.* 31. *non thure, nec sertis.* Corrupte ed. *R. non vere, nec sertis:* duo priora verba (quae desunt vulgo) primus abiecit Erasmus, quum tamen recte in ed. Ven. *non thure* legeretur, quod ipsum etiam exhibet ms. Arg. *b.* In alia discedunt ed. *A.* et ms. *c.* in quibus *non sertis et floribus.*

PAG. 221. *l.* 7. *occursionibus.* Vulgo *incursionib.* ab Erasmo; commode, sed *occurs.* dedere mss. Arg. Par. et Palat. cum ed. *R.* quod in *occasionibus* corruptum in ed. *A.* et ms. Col. *l.* 11. *malacia* recte edd. ex Erasmi emend. pro mendoso *malicia*, quod dabant vett. libri.

EPIST. LXVIII.

PAG. 222. *l.* 1. *et tibi* dedere libri veteres; non *id tibi*, quod est ex Mureti ing. Mox *l.* 2. commodum videri poterat *adprobabo*, quod est ab eodem Mureto: sed in *adprobabis* consentiunt libri, nec id male. Idem valet *tibi adprobabis*, ac *tibi persuadebis, verum et rectum esse intelliges.* *l.* 15. *Philosophiam atque otium: aliud proposito tuo* etc. Probavi hoc, quod ex ms. Pal. sec. laudavit Gruterus. Vulgo *Philosophiam: atque etiam aliud* etc. cum plerisque msstis; ubi *atque etiam* accipi poterat pro *immo etiam.* Pincianus veterem laudavit scripturam, *atqui aliud* etc. quae quidem nusquam alibi reperta est.

PAG. 223. *l.* 7. *adsuesces* recte ed. *A.* cum mss. Arg. *b. c.* et Iuret. Vulgo *adsuesce.* *l.* 22. *in pectore tumor. in pectore tuo* dabant edd. vett. cum msstis. *tuo* abiecit Mur. nos in *tumor* ex coniect. mutavimus.

PAG. 224. *l.* 13. *Cuius turbae par esse non possum, plus habet gratiae.* Verba ista in vett. libris omnibus (rursusque in ed. Ruhk.) post *vincatur* (*l.* 15.) ponuntur; alieno haud dubie loco. Equidem proxime post ista, *ille clientum turba*, collocanda cum Pinciano putavi, ad quae haud dubie referuntur: sed quum suspecta mihi essent, et aliunde invecta viderentur, uncis inclusi; quos si quis abiectos maluerit, ne id quidem invitus patiar. Eamdem nobiscum sedem illis tribuerat Muretus, (et post hunc alii editores;) sed valde mutata ex ingenio, in hunc modum: *huius turbae par esse non possum, huius gratiae.* Mox *l.* 14. *Est tanti* (non, ut vulgo, *Tanti est*) significanter dedit ms. Arg. *b.* cum ed. *R.* Sed, quod *interrogandi signum* post *vinci* posui, factum

nollem: nudum incisum teneri debebat. *Est tanti*, idem fere valet ac *operae pretium est*, vel, *non recuso*. *l.* 17 sq. *Sed nunc quoque moramur?* Sic Pal. sec. et Col. *non moramur* edd. vett. cum mss. Arg. *b. c.* quod teneri poterat eâdem fere sententiâ; *non moramur?* i. e. *nonne moramur?* Vulgo *non moremur*, ab Erasm. et hoc commode, si modo addicerent libri. Sic *Properemus!* ait, LXXI. 243, 12. *l.* 19. *inimica* recte edd. vett. cum msstis, quod et tacite reposuit Ruhk. postquam *mimica* inde a Mureto editum esset, quod et in ed. Matth. repetitum. *l.* 21. *exeunt*. Perperam *exerunt* Arg. *b.* qui forsan *exierunt* debuerat. *l.* 23. *despumavit* recte edd. a Mu.. ex Pinciani coniect. Conf. Alexidis fragm. apud Athen. II. 4. pag. 139.

PAG. 225. *l.* 2 sq. *annis pervenit.* Suspecta mihi haec scriptura, nec satisfecit Lipsii interpretatio: neque tamen melius aliquid occurrit. In *annis* nil mutant libri: pro *pervenit*, est *pervenitur* in ed. *R.* et mss. Arg. *b.* Par. *d.* et Col. Coniectare poteras *praevenitur.*

EPIST. LXIX.

PAG. 226. *l.* 4 sq. *si tam breve tempus intervallo discidimus. discidimus* (non *discindimus*) dedere meliores libri omnes: mendose nonnulli *discedimus*. Tum *intervallo* placuit, quod erat in ed. Lips. et Gron. ex Palat. sec. et Opsop. *per intervalla* ex ed. Er. et Mur. revocavit Ruhk. in nullo quidem vet. lib. repertum: nam alii *ex intervallo* dabant, alii *intervallum*, alii *per intervallum*. Leviora alia in hac Epist. ex msstis correximus: nonnulla (velut illud, *exurere* p. 225. l. 12. pro vulgato *exurere*) recte iam curaverat Ruhk.

EPIST. LXX.

Lin. 4. *Praenavigavimus* recte ed. *R.* et mss. Arg. *b.* Pal. sec. et Col. *Praenavigamus* vulgo. Conf. not. ad LI. 152, 29.

PAG. 227. *l.* 21. *coeperit* e superioribus editt. adhaesit. Rectius *coepit* scribetur cum mss. Arg. *b.* Par. *b. d.* *l.* 23. *illo die.* Vocem *die*, a Mureto adiectam, ignorant veteres libri omnes. Et nudum *illo* placuit Grutero, non satis equidem video quo sensu: nam *illo* valet *illuc*. Facile autem ante *desinendum* intercidere vocula *die* potuerat. Vide vero ne rectius sit *illi*, quod dabat Pal. sec.

PAG. 229. *l.* 2 sq. *Non persuasit illi.* Praeter rationem *Non*

in *Num* mutavit Ruhk. ex Gruteri coniect. *l.* 13. *ita mortis genus.* Sic commode ed. *R.* non (ut vulgo) *ita mortem utique.* Nec tamen inficior posse etiam duo illa verba, *mortis genus*, ex scholio invecta esse, pro uno vocab. *mortem.* Adiicit eadem ed. *R.* verbum *eligam;* quod equidem, ut e scholio repetitum, praetermisi: sed nihil tamen magnopere vetabat, quo minus servaretur. Mox *qua sim* (non *qua sum*) recte ed. Ven. Mendose *quasi* ed. *R.* Alii vulgo *qua sum.* Omnia ista, *ita mortem - - exiturus*, desunt ms. Arg. *b.* Post verba, *e vita, meliorem* adiecerat Erasm. cum ed. *A.* et ms. *c.* quod ignorant alii vett. libri, recteque delevit Lipsius, ut e scholio invectum; revocavit autem Ruhk.

PAG. 230. *l.* 27. *exercentur* recte tenent libri omnes. Temere *exercent* ed. Er. quod neminem movere debebat.

PAG. 231. *l.* 27. *abscisae* scripsi cum ed. *A.* et mss. *b. c.* Conf. Criticos ad Liv. XXXI. 34, 4. XLIV. 5, 5. *l.* 28 sq. *mortem sibi deberet et telum.* Exspectabam *daret*, *pararet*, aut aliquid tale: sed nil mutant libri.

PAG. 232. *l.* 11. *ad matut. spectac. missus.* Non sollicitari debuit postremum verbum. Conf. XLI. 124, 3.

PAG. 233. *l.* 11. *quod venit eodem. Illa monet* etc. Vulgo *quod venit. Eadem illa.* Sed *Eodem illa* opportune dabat ed. *R.* et ms. Arg. *b.* ubi non nisi in distinctione peccabatur orationis. *l.* 12 sq. *moriaris sine dolore; sin autem non, quemadmodum potes.* In mss. Arg. *b.* Par. *b. d.* desunt ista, *sine dolore, sin autem non:* haec ipsa autem verba, adiectis etiam nonnullis, nempe *sin autem non potest, fac quemadm.* dedere ed. *R.* et *A.* cum mss. Arg. *c.* et Par. *a.* et sic vulgo edd. omnes. Ego duo verba *potest* et *fac* primum uncis incluseram, dein vero rectà ablegandа iudicavi, utpote nec satis apta reliquae structurae orationis, et e scholio haud dubie invecta. Praeterea vero suspicor, ista etiam, *sine dolore*, non ab auctoris manu esse, sed eorum loco aliud quidpiam olim hîc scriptum fuisse; quod in errorem induxerit librarios, ut verba quaedam h. l. praetermitterent. Suspicor itaque sic fere scripsisse Senecam: *ut, si licet, moriaris quemadmodum placet:* (coll. p. 229. l. 21 sq.) *sin autem non, quemadmodum potes.*

EPIST. LXXI.

PAG. 234. *l.* 27. *quod sit summum Bonum colligas. quod,*

pro vulgato *quid*, dederunt edd. vett. cum msstis. Dein *colligis* dabant iidem libri veteres: *colliges* vulgo edd. ex Mureti ing. *colligas* ex coniect. correxi, quod etiam in ora editionis Th. de Iuges notatum.

Pag. 235. *l.* 2. *adultera*, et *l.* 3. *Hoc* ex vett. libr. correxi. Vulgo *adulterina*, et *Haec.* *l.* 22. *fies similis.* Immo *fias simil.* scribe, quod vel invitis libris reponendum erat: sed accedit auctoritas veteris cod. a P. Fabro laudati apud Opsop. cui suffragatur ms. Pal. sec. *l.* 27. *Sequere, inquit, illos* etc. Locum haud satis ad liquidum perductum, et a Mureto et aliis ante Ruhk. editoribus mire mutatum, eodem prorsus modo edidi, quo eum exhibent editi ante Muret. et scripti libri omnes: illud tamen de meo est, quod diversa typorum forma distinxerim verba quae Socratis esse videbantur, ab his quae suo nomine Seneca dixisset. Sed intelligo, paulo melius a Ruhkopfio curatum esse eumdem locum, eo quod verbum *inquit*, post *Sequere* praetermisit: quod verbum, licet in vett. libris omnibus exstet, tamen utique aut delendum aut potius cum Pinciano in *inquam* mutandum censeo; utpote temere invectum aut mutatum ab homine, qui in superiori oratione desiderasset verbum tertiae personae, quod ad nominativum *Socrates* referretur, nec animadvertisset nihil in praecedente periodo deesse, si quidem particula *et* post *revocavit ad mores* (quam abiecram maluerat idem Pincianus) intelligatur non esse copula, quae ista iungat *revocavit et dixit*, sed ex frequentissimo Senecae usu pro *etiam* esse positam. Deinde vero rursus Pinciano adsentior, alterum verbum *inquit* (*l.* 31.) pariter in *inquam* esse mutandum, quum perperam ad similitudinem prioris fuisset inflexum. Itaque totum locum sic rescriptum velim: »Socrates, qui totam Philo»sophiam revocavit ad mores, et *hanc summam* dixit *esse »sapientiam, bona malaque distinguere.* Sequere, inquam, »illos, si quid apud te habeo auctoritatis, ut sis beatus: »et te alicui stultum videri sine. Quisquis volet, -- tecum »erit Virtus. Si vis, inquam, beatus esse, si fide bona »vir bonus, sine contemnat te aliquis. Hoc nemo praesta»bit etc.« Sic nonnisi illa verba Socratis fuerint, *hanc summam esse sapientiam, bona malaque distinguere.* Et particulae *et*, quae praemittitur, haec vis erit, *Socrates etiam* (scilicet, non minus quam Stoici) dixit, *hanc summam esse* etc.

Pag. 236. *l.* 31. *excidere* tenui cum Ruhk. Et sic ed. *R.*

eum duobus codd. Gruteri. *excedere* ed. Erasm. et sqq. cum ed. *A*. et mss. *b*. *c*. et al.

Pag. 237. *l*. 10. *inmixti* edd. vett. cum msstis. *innixi* vulgo ab Erasm. quod si scripsisset Seneca, non adiecturus erat *atque impositi*. *l*. 21. *ut Cato*. Sic rursus vett. libri omnes, *R*. *A*. *b*. *c*. Par. *a*. *b*. *d*. Opsop. et Grut. Deerat *ut* edd. inde ab Erasm. Nescio an e *Catonis Originibus* ducta sint verba, a Seneca laudata. Id si est, (quod fere crediderim,) debueram pro more nostro sic scribendum curare » ut Cato. «

Pag. 238. *l*. 9. *M. Catonis*. Rectius fuerit *Marco Catoni*, quod sic exserte scribitur in ed. *R*. Et ante haec verba commode in eadem ed. *R*. inserta leguntur ista, *mi Lucili*.

Pag. 239. *l*. 10. *probari solet, flectes: Quidquid* etc. Sic veteres libri ad unum omnes. Sua auctoritate Erasmus ediderat, *probari solet: quam si flectas, quidquid* etc. quod tenuere alii editores. *l*. 13. *rigidari quidem potest*. Sic percommode ed. *R*. id est, durari, firmari potest, ne facile curvari possit; sed (si modo recta est) magis recta fieri non potest. Eamdem script. servant mss. Arg. *b*. *c*. Par. *a*. *b*. *d*. *Grut*. nisi quod omittant h. l. verbum *potest*; et sic ed. Er. et Gron. Ruhkopfio placuit *rigida est*, quod ex Pinciani libris nonnullis arripuerat Mur.

Pag. 240. *l*. 19. *sustollit* edd. ab Erasm. cum ed. *A*. *substollat* ed. *R*. et ms. *b*. *sustollat* ed. Ven. et mss. Grut. Iidem tamen *extat* vel *exstat* in indicativo tenent. Verissimum fortasse fuerit *sustulit*, quod habet ms. *c*. et ed. Mur. *l*. 25. *succumbere*. *subcumbere* ed. *R*. et ms. Arg. *b*. (cf. Praef. nostr. p. 258 sq. in not.) nec id male, et adoptari a nobis potuerat; nam alia ratio est verbi *succidere*, ubi post *c* sequitur vocalis *i*.

Pag. 241. *l*. 8. *antequam impl*. Pronomen *quod*, vulgo praemissum ab Erasmo, ignorant vett. libri omnes. Addunt autem iidem *l*. 11. voculam *et*, quam ante verba *ad summa* adiecimus. *l*. 21. *quam tanto felicior*. Sic commode ed. Mur. suffragantibus codd. Opsop. Alii vulgo, *quam felicior*, ab Erasmo; sed *quanto fel*. ed. *R*. cum ms. *b*. et Pal. 2. *l*. 24. *tremet*. *tremebit* ed. *R*. cum ms. Arg. *b*. et Par. *b*. *d*. *timebit* Par. *a*. *l*. 26. *Ubi ergo calamitas?* Sic edd. vett. cum melioribus msstis. Vulgo *Ubi ergo est origo calamitatis*.

Pag. 242. *l*. 10. *et animum non coloravit, sed infecit*. Voculam *et*, ad sensum necessariam, adieci ex praescripto

edd. vett. et msstorum. *infecit* non, ut Ruhk. ait, valet *leviter et obiter tinxit*, sed *penitissime tinxit*; et plus est quam *coloravit*. Vide LIX. 184, 21. et CX. 149, 1.

PAG. 243. *l.* 20. *Medorum. Indorum* solus Par. *d.*

EPIST. LXXII.

PAG. 243 extr. et PAG. 244. *l.* 1. *quum rem ediscerem, per se.* Sic percommode ed. Ven. cum ed. *A.* et ms. *c.* nisi quod in his duobus vitiose *educerem* scribitur. Poterat etiam vulgatum ferri, *sic rem edidiceram*, quod a Pinciano (non ab Erasmo) acceperat Lipsius, et consentiunt mss. Arg. *b.* et Par. *b.* nisi quod vitiose hi *edidicerem* habent: sed in parenthesi ponenda erant haec verba, et dein addenda ista, *per se*, quae libri omnes agnoscunt. *si remeditarer* ex Lipsii coniectura parum necessaria edidit Ruhk. Obiter corrigamus vitium, quod in edit. Varior. occupavit Notam Lipsii, ubi *Festus* legitur, quum *Fecerim* scripsisset Lipsius. *Ead. l.* 1. *sed diu non recentavi memoriam.* Vulgo *non retentavi* edd. et mssti; quod speciosum erat, ac teneri etiam poterat. Sed scrupulum mihi iniecerat, quod, quum constanter alias *temptare*, non *tentare*, scribatur in libris nostris, (quemadmodum et hîc *retemptavi* scribitur in ed. *A.* et in ms. *c.*) nunc hoc uno loco a constantissimo alioquin more discessum sit in vetustiore ms. Arg. *b.* et in ed. *R.* Itaque quoniam persimiles saepe in vetustis libris sunt literae *t* et *c*, persuaseram mihi, *recentavi* hîc scribi debuisse; quod ipsum verbum aptissimum huic loco esse videbatur. *l.* 23. *producatur* ed. *R.* et ms. Col. *producitur* Arg. *b.* Par. *a. b. d.* Vulgo *protenditur.*

PAG. 245. *l.* 25. *saepe ad eumdem, qui advocaverat, excitatur.* Sic cum Lipsio correxi. Vulgo *quem advocav.* edd. et mssti: quod ex usu Senecae defendi posse existimavit Ruhk. ego vero nullo pacto ferendum iudicavi. Deinde sic vulgo legebatur: *animus semel in totum sanatur*: ubi quum vocab. *animus* abesset edd. vett. et msstis, a Mureto ex ing. adiectum, equidem mea de coniectura *Sapientis animus* scripsi, sed incerta verba uncis inclusi. Teneri poterat *sanatur*; sed quum *sanatus* dedisset ms. *c.*, suspicatus eram scriptum olim fuisse *sanatus est.* Coniecturas autem istas nemini velim obtrusas.

PAG. 246. *l.* 7. *avidis* dant vett. libri omnes, nisi quod

vitiose *audis* nonnulli. Temere *avidus* edd. inde ab Er. *l.* 21 sq. *Inpeditis*. Commodum videri poterat *Imperitis*, vulgatum ex ed. *R.* quum praesertim adiiciatur *ac rudibus*: sed *Impeditis* dedere ed. *A.* cum mss. Arg. *b. c.* Par. *b. d.* et Grut. Intelliguntur autem *occupationibus inpediti*, coll. p. 244, 28. et 247, 1. *l.* 24 sq. *sapientiae adludunt*, i. e. eam *attingunt*, sicut fluctus *adludere* dicuntur litori; quo et pertinet quod mox ait, *sub ictu habent*. Itaque perperam dein edebatur *non quidem attigerunt*; ubi recte Ruhk. *contigerunt* posuit cum msstis Pinc. et Grut. quibus accedit ed. *R.* et mss. Arg. *b. c.* et Par. *b. d.* Plus enim est *contigerunt*, quam *attigerunt*.

EPIST. LXXIII.

Pag. 247. *l.* 8. *quibus altum* (intell. *otium* ex lin. praec.) *ad propositum bene vivendi confert* etc. Sic recte mss. Arg. *b.* Par. *b. d.* et Pal. 1. et 4. (nec multum abeunt Pal. 2. et 3.) Sic item cod. Erf. apud Gron. nisi quod ad *altum* etiam vocab. *otium* adiicit. Ab ista scriptura varie deinde aberratum est. *quibus altum ad pr. b. v. aditum confert* ed. *R. quibus ad pr. b. v. aditum confert* ed. Er. et seqq. cum ed. *R.* et ms. Arg. *c.* et Par. *a. quibus aptum ad pr. b. v. aditum confert* ed. Ruhk. cum ms. Col.

Pag. 248. *l.* 10. *solumque* vett. libri omnes. Vulgo *solusque*, a Mur. *l.* 14. *sic et hos* recte ed. Matth. Inepte vulgo *sic et his*, scil. quod responderet praecedenti *illis*. *sic et in his* ed. *R.* quae paulo ante, divisis vocibus, *illis in viis* habebat.

Pag. 249. *l.* 11. *suum efficit*. Vulgo omnes, nullo sensu, *socium efficit*; quomodo et primum fuerat in ms. Arg. *b.* sed ab antiqua manu correctum *suum*, quod unice verum iudicavi.

EPIST. LXXIV.

Pag. 251. *l.* 6. *Nam, qui alia* etc. Ante haec vulgo (inde ab ed. Er. cum ed. *A.* et ms. *c.*) ponebantur ista, *Qui omne bonum - - intra se felix est*, quae rectius post ponuntur in ed. *R.* et in mss. Arg. *b.* Paris. Ops. et Grut.

Pag. 253. *l.* 1. *et externa desp.* Abest *et* Par. *a. b.* commode. *l.* 11. *devenerant. devenerunt* ed. *R.* et ms. *c.* *l.* 13. *nimia captabantur* ex coniect. correxi. Vulgo *nimis captab.* *l.* 14. *expulsa* edd. vett. cum ms. *c.* et Grut. *expulsi* mss. Arg. *b.* et Par. *a. b. d.* *excussa* vulgo, ex Mureti ing. *l.* 23.

modo in illam, scil. *fortunam*. Sic ed. Ruhk. cum edd. vett. et msstis. Temere *in illum* ms. Arg. *b*. *modo in hunc, modo in illum* edd. ante Ruhk. ex Mureti ing. *l*. 27. *invadendique alios spes vana delusit*. Sic commode ed. *R*. item ed. *A*. et Ven. cum ms. *c*. et Pinc. nisi quod in his omnibus pro *alios* scribitur *aliquos*, quod stilo Senecae convenientius est. Alii prius verbum, *invadendique*, omittunt: alii scribunt *invidentque alii quos* etc. sic ed. Lips. et Gron. Alii, *invidemusque alii, quos* etc. ut ed. Ruhk.

Pag. 254. *l*. 22. *indulgemus*. Vulgo *indigemus*, invitis mss.

Pag. 255. *l*. 4 sq. *Ergo aut credibile est, bona Deo deesse*. Perperam editt. vett. cum msstis, *Ergo aut incredibile est bona Deo deesse*: ex quo vulgatum confecit Muretus, *Ergo aut, quod incredib. est, bona Deo desunt*: nobis vero persuasum erat, perperam *incredib*. pro *credibile* scriptum primum fuisse ab homine, qui vim argumentationis disiunctivae parum percepisset. *l*. 22. *nec decrescere* ed. *R*. et ms. *b*. *ne, decresc*. ed. *A*. et ms. *c*.

Pag. 257. *l*. 12. *aliud honesto*. Sic recte ed. Er. cum *A*. *c*. et Par. *b*. *d*. quomodo etiam debuerat Arg. *b*. in quo confusum nonnihil. Alii vulgo *aliud ab honesto*; alii, *quam honestum*; utrumque ex scholio.

Pag. 260. *l*. 15 sq. *in corporibus infirmis languorem signa praecurrunt*. Sic recte ed. *A*. et Ven. cum ms. Arg. *c*. et Par. *a*. quae in aliis vario modo corrupta. Speciosa quidem videri poterat edita inde ab Erasm. scriptura, quae et in ms. Pal. quarto servata, *in corp. futuri languoris signa*. *l*. 25. *futuro neminem* [*debere*] *torqueri*. Verbum *debere*, ut suspectum, uncis inclusi. Immo vero prorsus deleri debuit, ex inepto scholio natum. Eadem prava sedulitate factum erat, ut paulo post (*Pag*. 261. *l*. 2.) *sentiamus* scriberent omnes pro *sentimus*, quod praeeunte H. Stephano recte ediderat Muretus, tenuerantque Lipsius et Gronov. quod quidem »sensu prorsus repugnante« ab his admissum iudicans Ruhk. denuo *sentiamus* nobis adposuit. Manifeste hoc docet Seneca, *nec praeterita, nec futura posse a nobis sentiri*, nisi quatenus mentis cogitatione in illud ipsum tempus, quo praesentia sunt, nos immittimus.

EPIST. LXXV.

Pag. 262. *l*. 4. *Videbimus*. Temere *Videmus* ed. Bipont. et inde ed. Ruhk. Tum *sit*, quod aberat post *quantus*, de-

dere vett. libri. Porro *an unus sit* ed. *R.* sed ignorant *an* alii libri omnes, et subintelligi posse videtur: sed post ista verba commode signabitur interrogatio, *unus sit?* *l.* 11. *sed sanantem.* Suspecta verba, quae ex scholio invecta videntur, ignorat ed. *R.* cum mss. Arg. *b.* et Par. *b. d.* et rectius abiicientur. *l.* 17. *scalpis. scabis R. A. b. c.* Par. *a. b.* *l.* 23. *Quando multa disces?* Sic edd. ab Erasm. invitis msstis, nec per se satis commode. *Quandoque multa disces? R. A. b. c.* Par. *b.* Vide ne verum sit, *Quamquam multa disces*, quod offerunt Par. *a. d.* *l.* 30. *a Sapientia* recte ed. *R.* et ms. *b.* ut voluerat Lips. Similiter *ab sapientia* ed. Gron. Bipont. et Matth. Mendosum *ad sapientiam* revocavit Ruhk.

Pag. 263. *l.* 2 sq. Orationem sic distingue: *diducitur. Inter ipsos -- discrimina: in tres classes* etc. *l.* 26 sq. *haec quum semel animum ceperunt, implicuerunt*, (intell. *illum*,) *et perpetua eius mala esse coeperunt.* Haec est planissima editionis Rom. Tarv. et Ven. scriptura, quam et in suorum codicum nonnullis Pincianus reperit, ita tamen ut in illis verbum *ceperunt* ante *animum* poneretur, et hoc ipsum percommode. Eamdem script. agnoscunt Palatini nonnulli, atque etiam paulo auctiorem, *altius haec quum semel animum ceperunt, artius implicuerunt.* Nimis concise ed. Er. et sqq. *postquam haec animum implicuerunt et perpet.* etc. Denique *actu haec animum implicuerunt* edidit Ruhk. quomodo fere scribitur in Arg. *b.* et Par. *b. d.* nisi quod hi non *actu*, sed *actus* habent, quod ex *artius* corruptum: et restituendum hoc fuerit auctori, *artius implicuerunt.*

Pag. 264. *l.* 25. *videas* agnoscunt quidem *R. A. c.* sed caret ms. *b.* ac videtur ex scholio invectum.

EPIST. LXXVI.

Pag. 266. *l.* 6. *in hoc senes eamus, ut iuvenes sequantur.* Perperam *senescamus*, et *sequamur*, edd. et mssti; quod nuperrime demum in ed. Matthiae correctum ex Scriverii coniect. in hunc modum, *in hanc senes eamus, ut iuv. sequantur.* At per se intelligebatur *eamus*, scil. *in scholam*: teneri autem debuit *in hoc*, familiaris Senecae formula, idem valens ac *propter hoc, hoc consilio.* *l.* 19. *pythaules* correxit Ruhk. Vulgo *pithaules*; sed *pytaules* Arg. *b.* et Pal. 2. *pitaulus* ed. *R.* *l.* 20. *tubicen* recte editt. vett. et Arg. *b.* Conf. LXXVIII. 284, 26.

Pag. 267. *l.* 16. *et sapor vini* recte ms. *b.* nec aliud debuerat ed. *R.* et codd. Grut. in quibus *et sapor vinum.* Vulgo nude, *sapor vinum.* *l.* 21 sq. *optimum esse debet* ed. *R.* cum msstis. Vulgo *optimum est*, ab Erasmo.

Pag. 268. *l.* 3. *luscinii* ed. *R.* et meliores mssti; non *lusciniae.* *l.* 9. *adtigit* ab Erasmo est. *tetigit R. A.* et mss. *b. c. Par. Iur.*

Pag. 269. *l.* 6. *non sentiens ventum*, i. e. quae priusquam ventum sentiat, iam in cursu est, ut cum Grut. interpretatur Gron. Constantem librorum omnium scripturam recte recepit Ruhk. Vulgata *consentiens vento* non (quod ait idem Ruhk.) a Pinciano in textum inducta erat; sed ex coniectura Pinciani a Curione primum in contextu posita. Leviora nonnulla praetereo, e msstis a nobis correcta. Eisdem vero msstis praeeuntibus, deleri debebat (*l.* 22.) vocab. *hominis*, quod iam satis ex praeced. intelligebatur. *l.* 15. pro *pretioso*, est *specioso* in ms. Arg. *b.*

Pag. 270. *l.* 13. Vocab. *spe* ab Er. adiectum est, commode quidem, sed invitis vett. libris (quos novimus) omnibus: itaque uncis inclusi. *l.* 14. *utique vitaturus.* Temere *itaque vit.* ed. Lips. et seqq. *l.* 20 sq. *Stultitia ad sapientiam erepit* recte ed. Ruhk. ex msstis, quibus accedit ed. Ven. et ms. Arg. *b.* Vitiose *eripit* alii; unde vulgo olim, *Sapientia non eripitur*, ex Erasmi ing.

Pag. 271. *l.* 18. *positum est.* Nec satis aptum huic loco verbum *positum*, et abest ed. *A.* et mss. *c.* et *b.* Quare ut suspectum notavi. *l.* 30. *mersantur in corpore.* Probavi hoc, quod ex Modii membr. et Pal. 2. ediderant Lips. et Gron. quod apte convenit cum eo quod mox subiicitur, *clusas et obsessas.* *versantur* ex editt. vett. et aliis msstis revocavit Ruhk.

Pag. 272. *l.* 20. *etiam si statim facturus hoc eris.* Sic communi consensu veteres libri, quos novimus, omnes; nisi quod veterem lectionem (necio quorum codicum) esse Pincianus, ait, *etiam si non statim* etc. quod arripuit Muret. et revocavit Ruhk. contra manifestam Senecae mentem, quae proxime sequente disputatione satis declaratur.

Pag. 274. *l.* 18. *fortius* dedere vett. libri omnes, excepta una ed. *R.* quam secutus Erasm. deleverat vocem; unde aberat vulgo editis.

EPIST. LXXVII.

Pag. 275. *l.* 6. et *l.* 15. *siparum* scripsi cum Arg. *b.* Par. *b. d.* et Opsop. Vulgo *supparum*; nec id male. *l.* 16. *insigne.* Adiiciunt *indicium* vett. libri omnes; sed ineptum adsumentum istud recte abiecit Mur.

Pag. 276. *l.* 9 sq. *Attalus noster.* Sic ex coniect. scripsi, coll. LXIII. 191, 27. LXXXI. 302, 14. LXVII. 221, 11 sq. CVIII. 132, 3. Nam, vulgatum *Amicus noster* non esse a Senecae manu, persuasum mihi erat.

Pag. 278. *l.* 2. *inligavit. illigavit R. b.* et Pal. 2. Vulgo *illigat. l.* 3 sq. *Quantus te populus mortuorum praecessit! quantus moriturorum sequetur!* Desunt vulgo quae in medio posui verba, *praecessit*, et *quantus*: tum alii libri nonnisi *moriturorum* dabant, alii solum *mortuorum.* Satis adparebat et error, et origo erroris. Integram scripturam dedit unus noster ms. Arg. *c.*

EPIST. LXXVIII.

Lin. 1. *distillationibus.* Sic recte editt. vett. et mssti: rursusque *l.* 2. *distillationes*, et *l.* 8. *distillarem.* (Conf. LXXV. 264, 5. et CXX. 203, 10.) Vulgo *destill.* edd. inde a Gron. Sic rursus infra, p. 285, 22.

Pag. 281. *l.* 1. *et nihil illi.* Abest *et* ms. Arg. *b.* nec male. *l.* 30. *non morbi hunc esse, sed naturae, metum.* Non ea mens Senecae est, quam Gallicus Interpres his verbis expressit: *La crainte de la mort n'est pas un effet particulier de la maladie, c'est celui d'une loi de la Nature.* Sed hoc dicit Philosophus: »Si mors timenda esset, non tam morbus »nobis incutere illum metum deberet, (saepe enim morbus distulit mortem:) quam ipsa hominis atque rerum »natura; quoniam, per ipsam rerum naturam, ea lege »natus est vivitque homo, ut aliquando moriatur.«

Pag. 282. *l.* 27 sq. *sed si incitatior est, in alienationem soporemque convertitur.* Sic edd. vett. cum msstis. Vulgo, *Sed quo incitatior est, eo citius in alien. stuporemque conv.* ab Erasm. cum uno ms. Col.

Pag. 283. *l.* 1. *intenti* recte ms. *b.* et vet. codex Iureti. Vulgo *contenti. l.* 3. *deducit. diducit* Pinc. et Pal. 3. *l.* 6. *inquit* scripsi cum ed. *A.* et mss. *b. c.* Vulgo *inquis*, ex ed. *R. l.* 9. *ipsis per quae cupimus.* Sic optime edd. ex Mureti ing. quum *ipsis per se quae cupimus* darent libri vett.

Pag. 284. *l.* 30. *Quid ergo? non sentis?* Sic recte edd. vett. cum msstis; et sic rursus ed. Gron. Alii vulgo ab Erasmo, *Quidni sentias?* quod revocavit Ruhk.

Pag. 285. *l.* 5. *coartatum.* Sic *A. c.* Pal. 3. 4. et Col. et parum abit ed. Ven. et ms. Par. *a.* Vitiose *cogitatum* ed. *R.* et mss. Arg. *b.* Par. *b.* Pal. 1. et 2. *concitatum* ed. Er. et seqq. cum Par. *d.* *l.* 7 sq. *necesse est ut exsurgat et desinat. necesse et ut exsurgat.* etc. ms. Arg. *b.* Matthiae (in Programm. pag. 19.) corrigendum censuit, *necesse est et exsurgat, ut desinat.* *l.* 28. Vocab. *ferrum*, quo non facile carere posse videbatur oratio, nostra de coniectura adiecimus.

Pag. 286. *l.* 24. *animi voluptates.* Temere omissum prius vocab. in ed. Bipont. Ruhk. et Matth.

Pag. 288. *l.* 1. *quantulum libet* ed. *A.* cum plerisque msstis. Vulgo *quantum libet;* nec id male, eâdem sententiâ.

EPIST. LXXIX.

Lin. 7. *quod observes. R. A. b. c.* Opsop. Grut. *ut observes* edd. ab Erasm.

Pag. 289. *l.* 1. *colligunt quidam.* Posteriorem vocem ex vett. libr. adieci. Mox *aliquando* recte ed. Ruhk. cum melioribus libris; antea *aliquanto.* Alia item in hac Epist. ex msstis recte restituit Ruhk. *l.* 3. *descendit* libri vett. *desedit* vulgo, a Mur. *l.* 8. *qui non ipse. quia R. A. b. c.* Grut. *l.* 12. *foratum* ed. *A.* et *Er.* cum mss. *b. c.* Par. *b. d.* Pal. 1. 2. Vulgo *perforatum.* *l.* 22. *etiam si nemo quidem.* Deest vulgo vox *quidem*, quam vel expressam agnoscunt veteres libri, vel latentem in corrupta scriptura. *l.* 23. *donec Aetnam describas.* Est qui *ut Aetn. descr.* corrigendum censeat vir doctus, praeter rationem: nam ista et observari a Lucilio et sibi interim privatim perscribi vult Seneca, donec in suo carmine descriptionem Aetnae in publicum edat. *l.* 23 sq. *nec pudor obstet ne et hunc* etc. Scribe *ne hunc*, et dele *et;* nam *et* ex Erasmi coniect. vulgo ponebatur, quum *ne hunc* darent vett. libri. Tria autem verba ad sensum necessaria, *nec pudor obstet*, quum deessent vulgo, adieci ex vestigiis veteris scripturae, quae in ed. Ven. et in ms. Pal. 2. et 3. supersunt.

Pag. 291. *l.* 2. *statuta magnitudo.* Vulgo *stata magn.* ab Er. invitis msstis. *l.* 19. *iuvat.* Sic recte Arg. *b.* et Pal. 3. Mendose alii *vivat;* unde dein vulgo *licet nemo videat.* *l.* 20.

etiam invita. Sic, vel *et invita,* libri vett. Vulgo *invitos.* *l.* 22. *aliquando sequitur, vel a tergo est.* Quatuor postrema verba, deleta vulgo a Mureto, agnoscunt vett. libri omnes; nec sunt omnino supervacua: nam et *sequi* dicitur is qui comitatur, qui a latere incedit.

PAG. 292. *l.* 15. et 17. *emicuit -- emicuisse.* Alii *enituit -- enituisse.* *l.* 18. *et qui voluissent.* Sic libri vett. nisi quod nonnulli *et* omittunt. Temere vulgo *apud eos qui voluissent,* ex Mureti ing.

PAG. 293. *l.* 5. Vocem *semper* agnoscunt quidem ed. *A.* et ms. *c.* sed ignorant *R. b.* aliique libri vett. Videtur ex scholio invecta: itaque ut suspectam notavi.

EPIST. LXXX.

Lin. 4. *impediet,* et *l.* 6. *adlevabitur,* ex edd. vett. et msstis correxi. Vulgo *impedit,* et *allevabatur.* Sic et *uno vadere* (scil. *itinere,* quod ex scholio adiectum in ms. *c.*) dedere libri vett. non *uni vadere,* quod erat ex Erasmi coniect. *l.* 10. *adsentio,* pro vulgato *assentior,* recepi ex Arg. *b.* Conf. LXXXIV. 322, 13. XC. 3, 22. *l.* 14. *profertur* vulgo cum ed. *R.* et *A.* *perfertur* mss. Arg. *b. c.*

PAG. 294. l. 24. *quanticumque. quantocumque* malebam.

PAG. 295. *l.* 6. *eo quidem R. A. b. c.* non *et quidem.*

EPIST. LXXXI.

Lin. 15. *coactor.* Sic *R. A. b. c.* Par. *a. d.* et alii. Vitiose *coctor* Par. *b.* ex quo alii nonnulli (apud Pinc. et Grut.) *tortor* fecerunt. *decoctor* ex uno vet. cod. (si Deo placet) edidit Mur. quod quoniam bene habere censuit Ruhk. vellem nobis interpretatus saltem esset.

PAG. 298. *l.* 9. *dum prope est ab accepto.* Quae vulgo his adiiciebantur verba, *reddere beneficium et pensare,* a Mureto ex coniect. isto modo digesta erant, quum in editt. vett. et ms. *c.* aliisque nonnullis legerentur, sed absurdo modo disiecta: quo ipso iam satis intelligebatur, esse ex scholio quodam invecta: ignorant autem eadem verba probatissimi quique codices, Arg. *b.* Par. *b. d.* Pinc. Mod. Ops.

PAG. 299. *l.* 27. *maius enim aut minus fit.* Sic recte iam olim ed. Er. et Mur. cum Arg. *b.* et Par. Alii dein ex scholio voc. *opus* infulserunt, denique *enim* in *eius* mutarunt: unde nata scriptura a Lipsio vulgata, *maius eius opus aut minus fit.*

Pag. 300. *l.* 16. [*sed*] *si id donari.* Facile credo, particulam *sed* ex scholio irrepsisse, et lubens illam cum Mur. prorsus abiecturus eram, nisi adiectam dedissent veteres libri quos novimus omnes. *l.* 27. *quam qui quum maxime obligatur.* Vulgo, inde a Lipsio, *quam qui accipiens cum max.* etc. Scilicet iuniores libri nonnulli vocab. *accipiens* ex scholio infulserant, alii alio loco interpolantes.

Pag. 301. *l.* 6. *nostrum enim hoc bonum est.* Sic meliores libri; non, ut vulgo, *nostrum enim in hoc bonum.*

Pag. 302. *l.* 8. In verbis *infelicitas urget* desinit optimus *noster cod. Arg. b.* *Ead. lin. miser erit.* Vulgo *non miser erit.* Negativa particula imperite inserta ab his, qui non viderant opponi a Seneca ista, *Nemo -- erit*, et, *statim est.*

EPIST. LXXXII.

Pag. 305. *l.* 9. *Male nunc sic accipe. excipe R. A. c.* quod teneri potuerat. Conf. Not. ad XII. 34, 6. Repetitam vocem *Male* tenui, a Mureto ex coniect. adiectam. *Hoc sic accipe* ed. Ruhk. ex uno Pal. tert.

Pag. 306. *l.* 1. *prosequantur* ed. *R.* et quatuor codd. Pal. Vulgo *persequantur.* *l.* 7. *quae in media.* Vulgo *quae etiam in med.* ex scholio.

Pag. 307. *l.* 7. *mirer* tenent libri omnes; scil. non admirer, sed mirer quam sint ineptae.

Pag. 310. *l.* 17. *fugiat.* Vulgo *fuget* a Mur. ex Pinciani coniect. sed *fugiat* tenent vett. libri omnes.

Pag. 311. *l.* 11. *sperant.* Sic *R. A. c.* Alii vulgo *sperantes.*

Pag. 312. *l.* 3. *doces R. A. c.* Vulgo *docebis.* Rursus *l.* 10. *avertis R. A. c.* ubi vulgo *avertes.* *l.* 15. *ne pilo quidem.* Inepte vulgo, *ne Python quidem*, invitis libris vett. nam *phycio* dabat ed. *R.* *pythio* ed. Ven. *phiton* ed. *A.* *phitos* ms. *c.* In eisdem vitiis oberrant codd. Grut. Nihil, non dico, probabilius, sed nihil certius emendatione Erasmi, quam secutus sum.

EPIST. LXXXIII.

Pag. 314. *l.* 8 sq. *Euripum salutabam.* In planissimam hanc scripturam, qua nihil aptius excogitari poterat, consentiunt *R. A. c.* et Gruteri codd. omnes, neque aliam e suis vel Pincianus vel Opsopoeus laudavit. Quo magis mireris, Lipsio probatam fuisse illam ex Erasmi ora, *in Euripum*

saltabam, quam tenuere posteriores editores. *l.* 19. *dormisse me nescio* commodissime dederunt ed. *A.* et ms. *c.* Alii vulgo, *dormire me scio.*

PAG. 317. *l.* 13. *sciamus* libri vett. *scimus* vulgo, a Mur. *l.* 16. *dari tacitum.* Sic libri veteres; nonnulli vero *dare. mandari* malles, coll. p. 316, 5. sed et *dari* scribere licuerat Senecae. *commendari* e scholio marginali unius codicis Pal. in contextu posuit Ruhk. Est autem *commendare* etiam in contextu Par. *d.* *l.* 21. *hortata* ed. *A.* cum ms. *c.* aliisque Modii, Opsop. et Grut. Vulgo *orta* ex ed. *R.* Nempe *ortata* olim scriptum fuerat, neglecta adspiratione.

PAG. 318. *l.* 17. *laxatur*, id est, remotis carceribus emittitur. Recte hoc ex Lipsii coniect. receperat Gron. pro *taxatur*, quod dabat ed. *R.* cum mss. Par. *a. d.* aliisque apud Grut. Vitiosius *texatur* Par. *b.* *detexitur* ex ed. *A.* et msto Lipsii praetulit Ruhk. *detegitur* ed. Erasm. Mur. et Lips.

PAG. 319. *l.* 21. *quod ebrius fiebat.* Sic recte ms. Par. *b.* et alii apud Opsop. Alii cum ed. *R.* adiiciunt, *cum hoc faceret;* quod adsumentum ignorant meliores libri. Temere vulgo, *quod ebrius faciebat, etiam si sobrius faceret*, ex Mureti ingenio.

EPIST. LXXXIV.

PAG. 320. *l.* 5. *exerceo*, et *Studio*, e vett. libr. adscivi. Vulgo *exerceor*, et *Studiis*. Mox *non recessi* recte ed. Ruhk. cum *A. c.* et aliis: aberat olim negatio.

PAG. 322. *l.* 11. *nec aliena.* Sic libri vett. Addunt alii *sint*, quod ignorant alii. Vulgo *ne aliena sint*, a Mur. *l.* 25 sq. *si magni viri ingenium omnibus, quae ex quo voluit exemplari adstruxit, formam suam impressit, ut in unitatem illa competant.* Loci mire vulgo deformati certissimam hanc esse emendationem iudicavi, quam a Rubenio collatis veteris scripturae vestigiis propositam Gronovius in lucem protraxit. Vulgo ante Ruhk. *si magni viri. nec enim omnibus, quae ex quoque velut exemplaria traxit, formam suam impressit, ut in unitatem illam competant.* Ruhkopfius, nulla alia emendatione adlata, nisi quod, pro *viri*, nomen *Virgilii* invexit, et dein *ex quo velut exemplari* scripsit, pro *ex quoque velut exemplaria*, omnia sic recte habere, et sole meridiano clariora esse sibi persuasit.

PAG. 323. *l.* 22 sq. *si is, cui invidetur, invidet.* Sic ed. *R.* Alii *et invidet.* Vulgo invitis msstis, *sit is, cui invidetur, si*

et invidet. *l.* 30. *res eius.* Sic *R. A. c.* Par. *b.* et alii apud Pinc. et Grut. Vulgo abest *eius.*

EPIST. LXXXV.

PAG. 324. *l.* 6. *nostrarum.* *nostrorum* malebam; (conf. p. 330, 22.) sed nil mutant (quod sciam) libri.

PAG. 325. *l.* 12 sq. *inbecillissimis* dedere vett. libri, non *imbecillimis.* *l.* 26. *apyrina.* Rectius fuisset *apyrena*, penult. longa: sed, et *apyrina* penult. brevi olim in usu fuisse, ex Martiali docuit Harduin. ad Plin. lib. XIII. sect. 34.

PAG. 326. *l.* 6. *Sed omnis plus potest.* Vulgo, *Plus potest*, omissis duabus prioribus vocibus. *l.* 11 sq. *sed non insanam.* Vulgo *non insaniam*, absque *sed.* *l.* 30. *eodem loco.* Vulgo *eodemque loco.* Nos meliores libros sumus secuti.

PAG. 327. *l.* 9. *motibus pravis* bene edd. inde a Lipsio. Olim *moribus pravis* edd. et mssti. *l.* 11. *crescent* scripsi cum ed. *A.* et ms. *c.* Vulgo *crescunt.* *l.* 19. *quamvis exigua R. A. c.* Vulgo *quantumvis exig.* ab Erasmo.

PAG. 328. *l.* 8. *transibit*, et *l.* 10. *retexet* ex vett. libr. correxi: vulgo *transit*, et *retexit.*

PAG. 329. *l.* 16 sq. *Summum* [*Bonum.*] Posterius vocab. quum vulgo deesset, adieci cum ed. *R.* et mss. Pal. sec. et Col. Nec vero, ut quidem nunc puto, opus erat uncis includere; nam recte adiectum videtur. *l.* 20. *induces et multo magis* etc. Sic vett. libri omnes; quorum tamen plerique dein *lin.* 21. post *summi Boni* adiiciunt verbum *facies*, quod rectius omittunt alii. Vulgo abest initio verbum *induces*, sed adest in fine *facies.*

PAG. 330. *l.* 9. *id illi* dedere edd. vett. Vulgo *iam illi*: nude *illi* ms. *c.* *l.* 11. *ut puto.* Temere vulgo *ut puta.* *l.* 24. *controversiosam*, pro olim vulgato *controversam*, ex msstis recte adscivit Ruhk. Amat Seneca illam terminationem in adiectivis. Conf. not. ad XXXVI. 112, 8. At *ead. lin.* non debebat idem Editor *inducere* tenere, quod ex Mureti ing. erat, sed *vindicare*, cum msstis Opsop. et Grut. quod etiam in ora notaverat Erasm. pro vitioso *iudicare.*

PAG. 331. *l.* 3. *quod dicis.* Sic recte *R. A. c.* Perperam vulgo *quod dicit.* *l.* 12. *Quid ergo? inquit.* Perperam *inquis* vulgo. *l.* 20 sq. *aliquando nobis.* Deerat vulgo *nobis*, nec omnino desiderabatur: sed adiectum dedere cum ed. *R.* mssti Paris. cum aliis apud Opsop. et Grut.

Pag. 332. *l.* 6. *dimittitur* recte libri veteres; non *demittitur*. *l.* 25. *virtutem enim. virt. quidem* malebam, aut deletam saltem *enim* particulam: sed nil mutant libri.

Pag. 333. *l.* 12. *inquit*. Perperam *inquis* vulgo. *l.* 29. *fortasse noceatur. nocetur* vulgo ex ed. *R. noceat A. c. Par. a. b. d.* quibus inter se collatis, *noceatur* correxi. Si placuerit *noceat*, intelligetur e superioribus nomen *tempestas*; quod tamen parum commode fiet, quia mox sequitur verbum passivum *impeditur*, non *impedit*.

Pag. 334. *l.* 3 sq. *ipse semper in actu est*, [*et in effectu;*] Vulgo, *ipse semper in actu est, non in effectu*, ex ed. *R.* quod interpretari poteras ex eo, quod p. 332 sub fin. legitur, *sapienti propositum esse, non utique quod tentat efficere, sed omnia recte facere*. At negantem particulam ignorant alii libri omnes. Et quidem nude alii, *In effectu tunc maximus* etc. ut ed. *A.* alii, *in actu est, et in effectu*, ut Pal. 2. et Col. Equidem ista verba, quae ex scholio irrepsisse videntur, ut suspecta notavi: eadem prorsus abiecerat Mur. *l.* 12. *Ita nulla* recte ed. Ruhk. Perperam antea, *Id nulla*. *l.* 17 sq. *exhiberet*, et *intueretur* recte libri vett. Vulgo *exhibeat* — *intueatur*, a Mureto.

Pag. 335. *l.* 1. *ad occursum expavefacientia hominem*. Sic ed. Erasm. et unus e codd. Opsop. *expavescentia hominem A. c. Par. a. b. d. expaventia hominem* ed. *R.* et mss. Pal. 1. 3. 4. *expaventia hominum* ed. Ven. cum mss. Pal. 2. et Col. Mox *cogunt pati iugum* scripsi cum ed. Erasm. et Pal. 4. Alii libri fere omnes, *cogunt pati sub iugum*; scripturâ e duabus coalitâ, *cogunt pati iugum*, et, *cogunt sub iugum*. Vulgo ante Ruhk. edebatur *exterrentia hominem, docent pati iugum*; ubi *exterrentia* ex Mureti ingenio erat, *docent* vero ex ora Erasmi, nullo alio libro suffragante. Ruhkopfius in hunc modum edidit: *et ad occursum expavefacientia, hominum cogunt sub iugum*. *l.* 5. *tigrim. tigrida* ed. *A.* et ms. *c.* *l.* 9. *ubique horrenda*. Sic percommode *R. A. c. et caetera horr.* ed. Mur. *et ubicumque horr.* ed. Lips. et seqq. utrumque contra librorum fidem.

EPIST. LXXXVII.

Lin. 2. *et ara*. Sic recte *R. A. c.* Par. *a. b. d.* et alii optimi quique mssti. Nonnulli vero *et arca*, quod a Lipsio commendatum recepit Gron. et tacite tenuit Ruhk. *l.* 8.

magis in illo admirabilem. Sic edd. inde ab Erasmo. Potuerat vetus lectio teneri, *quam magis in illo admir. iudico,* in quam consentiunt *R. A. c.* et Pal. 2. 4. et Col. *quam* tenent etiam Par. *a. b. d.* sed *iudico* non agnoscunt. *l.* 10. *aut Roma libertati.* Sic ed. Ven. quemadmodum olim in suo exemplo legerat Otho Frising. Hoc dicit Seneca: aut Scipio Romam deserere debebat, aut Roma deserere libertatem. Acute dictum varie ab aliis vel mutatum est, vel interpolatum. *aut Roma esse in libertate non poterat* ed. *R. aut Roma sine libertate* ed. *A.* et ms. *c. aut Roma in libertate* ed. Erasm. cum mss. Par. Opsop. et Grut. unde Gronov. legendum censuerat *aut Romani libertati*, quod amplexus est Ruhk. quum antea legeretur *aut Romae libertas* ex Mureti ingenio.

PAG. 336. *l.* 4 sq. *tam suum exsilium reipublicae inputaturus, quam Hannibal. Hannibali R. A. c.* et Pal. 2. *Hannibalis* ed. Erasm. et seqq. cum aliis Palat. et Col. Equidem, neutrum ferendum iudicans, *Hannibal* correxi, plano sensu: ut Hannibal, ne civibus suis molestiam crearet, sponte in exsilium exivit, (conf. Livium lib. XXXIII. cap. 47 sq.) sic item Scipio. *Reipublicae imputaturus*, idem valet ac *Reipublicae gratum facturus*, de rep. bene meriturus. *l.* 17. *opere.* Perperam *operae* ed. Bipont. et Ruhk. *l.* 20. et 21. *sustinuit -- sustineat. substinuit -- substineat* ed. *R.*

PAG. 337. *l.* 23. *quam iuvat R. A. c. quam iuvabat* ed. Erasm. et seqq.

PAG. 338. *l.* 1. *vivum lavari.* Sic percommode ac lepidissime ed. *A.* rursusque ed. Ven. et aliae ante Ruhk. cum msstis ad unum omnibus. Perperam *vitium* ed. *R.* quod correcturus is qui editionem Tarvisinam curavit, (ac forsan iam ante hunc, is qui Neapolitanae praefuerat,) ex coniect. *invitum* scripsit; unde istam scripturam in ora suae editionis notavit Erasmus. Nunc hoc ipsum *invitum* arripiens Ruhk. in contextu posuit, nullum sensum fundere vulgatam scripturam autumans. *l.* 6. *et exspectabat, ut in balneo coqueretur.* Invito me istud *exspectabat* cum sequente commate adhaesit nostro exemplo, quum perperam inde a Lipsio sic editum esset, *et exspectabat, ut in balneo concoqueret.* Et ineptum quidem *concoqueret* iam inde ab ed. Ven. vulgatum erat; quasi quisquam concoctionis causa in balneum descenderet! Recte vero *coqueretur* dedere *R. A. c.* nec dubito eamdem scripturam in aliis libris re-

pertum iri, si modo diligentius fuerint inspecti: ex uno Par. *a.* *non coqueretur* adnotatum reperio, imperite adiecta negatione. Sed *spectabat* ante Lipsium dabant edd. cum msstis, excepto uno aut altero Gruteri, in quibus *expectabat*, solemni librariis confusione verborum *spectare* et *expectare*. Corrige, ut editum volueram, *et spectabat ut in balneo coqueretur:* quod quam lepida ironia, pro Senecae nostri more, dictum sit, nemo non videt. *l.* 19. *Liquet. Liquet mihi* ed. Gron. et seqq. cum Gruteri msstis. *mihi liquet* ed. *R.* Inutile pronomen recte abiecerat Erasm. Mire ed. *A.* et ms. *c.* *quotis liquet.* *l.* 30. *hoc odore.* Inde ab ed. Er. temere omissum erat pronomen *hoc*, quod agnoscunt vett. libri omnes.

Pag. 339. *l.* 8. *autumo.* Corrige typographi lapsum, qui *autumno* debuerat. *l.* 14. *omnia alia.* Restitui posteriorem vocem, temere omissam in ed. Bipont. et Ruhk. *l.* 15. *deprehendere. reprehendere* edd. a Mur. ex Lipsii coniect. invitis libris omnibus, qui in *deprehend.* consentiunt, praeter unam ed. *R.* in qua *apprehendere.* *l.* 20. *proclivus* ed. *A.* rursusque ed. Ven. et seqq. nec aliud ex msstis prolatum video: noster tamen Arg. *c.* *proclivis* habet. Perperam *proclivius* ed. *R.* *l.* 24. *depositum* ex Gronovii emendatione (coll. supra, l. 8. et p. 340, 13.) recepit Ruhk. et nos tenuimus. Videtur tamen teneri debuisse vulgatum *dispositum*, quod ipsum verbum eadem notione transferendi, transplantandi, haud semel apud Columellam occurrit; ut lib. XI. cap. 3. pag. 454. 456. 457. etc. ed. Bipont. *l.* 26. *cum rapo suo.* Restitui constantem veterum librorum scripturam. Quod vulgo edebatur, *cum scapo suo*, Mureti inventum erat, nec necessarium illud hoc loco, et per se parum felix. *Rapum* commode intelligetur tuber illud, quod in imo caudice esse solet, e quo radices exeunt: estque id ipsum, quod mox *caput radicis* dicit Seneca. Conf. not. ad p. 340, 23. *l.* 28. *fimo tinctum.* Gronovii emendationem *tactum* recepit Ruhk. Nobis ferendum vulgatum visum erat, in quod libri omnes consentiunt.

Pag. 340. *l.* 3. *cereas adhuc.* Vulgo *teneras* edd. ab Er. quod si in aliquo cod. ms. repertum est, haud dubie ex scholio invectum erat. *cereas* cum ed. Ven. dabat unus cod. Pinc. et Pal. 2. et Col. Idem vero vocab. latebat in *certas*, quod praefert ed. *R.* et in *ceteras*, quod habet ed. *A.* et ms. *c.* *l.* 15. *aut horridum aut triste.* Sic meliores libri. Vulgo

horridum nec triste. *l.* 20 sq. *sed iam.* Vulgo *sed etiam.* *l.* 23. *arbores, quae, ut ita dicam, grandiscopiae sunt.* Sic recte vett. libri omnes, nisi quod temere plerique velut duas voces scribunt *grandis copiae.* Dicit autem arbores *grandiscopias*, quarum radix grandibus scopis sive scopiis, quae *capillamenta* paulo ante dixerat, instructae sunt. Istud vocab. quum praeter rationem in *grandiscapiae* mutassent viri docti, ex hoc dein probare conati sunt, pro *rapo* p. 339, 26. *scapo* scriptum oportuisse: ita (quod nimis frequenter accidit mortalibus) ex errore in errorem inciderunt. *l.* 26. *Aegialus noster.* Rectius abiciietur posterius vocab. quod (nescio unde ab Erasmo invectum) ignorant *R. A. c.* Par. *a. b. d.* aliique apud Opsop. et Grut.

EPIST. LXXXVII.

Pag. 341. *l.* 16. *non magna hora.* Vulgo *non magis hora* ab Erasm. cum plerisque msstis, quorum quidem nonnulli *ora* habent, ut Arg. *c.* cum ed. *A.* Praetuli equidem id quod dedit ed. *R.* Videtur autem *non magna hora* idem valere ac *non multa hora, non multo die*; scil. non medio die, ut fere solebant, sed maturius: aut hoc dicit, non multum temporis consumtum esse in parando prandio. *l.* 17. *numquam sine caricis, nusquam sine pugill.* Sic eadem ed. *R.* Alii vulgo utrobique *nusquam* ponunt. *l.* 24 sq. *in quo positus.* Sic rursus ed. *R.* Vulgo *in quod impositus.*

Pag. 342. *l.* 2. *fidem*, pro olim vulgato *sedem*, recte ex vett. libr. adscivit Ruhk. *l.* 3 sq. *gloriabitur* libri vett. Vulgo *gloriatur*, a Mur. *l.* 24. *Quum omnia.* Languide vulgo, et invitis msstis, *et quum omnia.*

Pag. 343. *l.* 11 seq. *hic qui inter illos adparatus delicatus.* Sic ed. *R.* cum msstis. Vulgo *hic inter illos apparatus delicatos qui.*

Pag. 344. *l.* 8. *bonum est in musica.* Sic recte ed. *R.* cum ms. *c.* et aliis. Vulgo *bonum est musico.*

Pag. 345. *l.* 6 sq. *inspurcavit* ed. *R.* cum mss. Par. *a. b. d.* Col. et Iur. *conspurcavit* ed. Ven. Er. et Mur. Mendose *inspurgavit* aut *impurgavit A. c.* et mss. Pal. Unde *impuravit* ex Gruteri coniect. edidit Lipsius et seqq. *l.* 26. *numquam bonam dicam.* Corrige *bonum.* Error ex aliqua posteriorum editionum Lipsianarum in ed. Gron. indeque in alias omnes propagatus.

Pag. 346. *l.* 16 sq. *divitiae autem fiunt ex avaritia: divitiae ergo* etc. Sic commodissime omnium ed. *A.* et ms. *c. l.* 27. *Quamquam* ex Gruteri coniect. recepit Lipsius, et tenuimus nos cum aliis. Perperam nude *quam sacrilegium* etc. edd. vett. et mss. Mox *l.* 29. *persuasimus* (scil. nobis et aliis) tenent libri omnes.

Pag. 347. *l.* 7. et 8. *remiseritis* et *spoponderitis* recte *R. A. c.* Vulgo *remiseris*, et *spoponderis*. *l.* 23. Verbum (*inquam*) quum abesset vulgo, dedere *R. A. c.* Pal. 2. et Opsop. *l.* 26. et 27. *non quia* - - *sed quia*. Utrobique *qua* edd. a Mur. refragantibus libris. *l.* 31. *A quibus dissentio*. Unice veram scripturam servavit cod. Pal. quart. Vulgo *Quibus opponitur* edd. cum *R. A. c.* Par. *a.* Pal. 2. et Col. Sed *A quibus* Par. *b. d.* Pal. 1. et 3. omisso verbo *dissentio*, scilicet librario ad proximum verbum *dissimillima* aberrante. Post *dissimillima* poterat cum *R. A. c.* et aliis inseri particula *enim*; nec male omissa in edd. inde a Mureto, cum Par. *b. d.* et aliis apud Pinc.

Pag. 348. *l.* 15. *Huic propositioni*. *propositio* Par. *b. d.* Unde suspiceris, *Huic proposito* scripsisse Senecam.

Pag. 349. *l.* 14. *inquit* recte ed. *R.* et mss. Par. *a. b. d.* scil. adversarius Peripateticus; ut p. 348, 8. et 350, 5. Vulgo *inquis*. Paulo ante, *species magnitudinis falsa* recte edd. a Mur. Olim *falsae* edd. cum ms. *c.* et Par. *a. b. d.* *l.* 16. *si per se nocerent* vulgo, cum *A. c.* *si ipsae nocerent* mss. Par. *a. b. d.* cum aliis. Cf. p. 348, 25 sq. Vitiose *ipsi* ed. *R.*

Pag. 350. *l.* 11. *Praeterea*. Perperam vulgo *Propterea*, invitis edd. vett. et msstis. *l.* 24. *per possessionem*. Sic recte libri vett. non *per positionem*, quod ex Erasmi ingenio erat. Graeci philosophi opponunt ἕξιν (hanc *possessionem* noster latine dicit) et στέρησιν. *l.* 27. *non, quod habeat, dicta*. Postremum verbum commode dedit ed. *R.* Vulgo *dicitur*, ab Erasmo cum Par. *a.* *dicit* ed. *A.* cum Arg. *c.* Par. *b. d.* et Pinc.

Pag. 351. *l.* 3. ἀνυπαρξία. Vocab. quod h. l. scripserat Seneca, in vetustis editionibus et in msstis, partim Graecis literis imperite pictum magis quam scriptum exhibetur, partim Romanis literis miserrime deformatum, partim prorsus omissum vacuo spatio relicto. Non fuisse hic locum vocabulo ἀπορία, quod sua auctoritate posuerat Erasmus, ex toto orationis contextu facile adparebat; tenuerunt id tamen ad hunc diem, uno prudentissimo Gro-

novio excepto, editores ad unum omnes. Intactum hunc locum praetermiserat Pincianus. Gruterus ex Palatinis codd. nihil se extricare potuisse professus est. In ed. *A*. quo loco graeca vox poni debuerat, vacuum spatium est. Ed. *R*. monstrum vocabuli *Arnynapicia* habet. Ex portentosa scriptura graeca, quam noster ms. *c*. exhibet, equidem hariolatus eram *ἀνανταρκεια* hic scribi debuisse, quod sonaret *cum quis non habet quod satis est.* Sed quoniam in suis codd. Opsopoeus ΑΝΗΥΠΑΡΞΙΑ se reperisse ait, quod ipsum etiam in aliis codd. Paris. Emmericus noster reperit, intellexi recte a Gronovio *ἀνυπαρξία* in contextu positum esse, quod unice verum erat, denotatque *defectum*, sive ita loqui licet, *carentiam τῆς ὑπάρξεως*, i. e. *rei familiaris*. (Conf. Lexic. nostrum Polyb. voc. *ὕπαρξις*.) Figura autem illa Η, quae loco tertiae literae ponitur in msstis, quam eamdem noster etiam Arg. *c*. servavit, non literam *η* valet, ut Opsopoeus existimaverat, temere huc invectam; sed *nota est adspirationis* cum qua pronuntiari vocalis Υ debebat.

EPIST. LXXXVIII.

PAG. 352. *l*. 4 sq. *praeparent -- detineant* dedere vett. libri. Vulgo *praeparant -- detinent.*

PAG. 353. *l*. 19 sq. *quia omnia sunt. cui omnia insunt* ed. Gron. et seqq. e nonnullis Grut. codd. *l*. 26 sq. *an minor Hecuba fuerit, quam Helena.* Sic ed. *R*. Tarv. Ven. et dein rursus ed. Mur. et seqq. cum mss. Par. et Gruterianis, quorum duo etiam *iunior* praeferebant. *an maior* ed. Erasm. cum ed. *A*. et ms. *c*. eâdem fere sententiâ. *cum maior Hec. fuerit* vet. cod. Iur. Sed praestat *an minor;* scilicet, an verum sit quod Grammatici nonnulli, Homerum reprehendentes, contendunt, Hecubam (quam socrum Helenae Homerus facit) fuisse aetate minorem quam Helena; quandoquidem Helena primum Theseo fuisset nupta, qui Herculis fuerat aequalis. (Conf. Luciani Somnium s. Gallum, c. 17. T. VI. edit. Bip. pag. 315.) Nunc adiicit Noster, *quare tam male contulerit aetatem;* scilicet, quare tam male Homerus aetatem Helenae et Hecubae contulerit, adeoque putidum admiserit anachronismum. Istud *contulerit* ex ed. *R*. revocavi: pro quo quum alii libri nudum verbum *tulerit* dedissent, hoc recepto Erasmus sua auctoritate particulam *et* praemisit, quam nullus vetus co-

dex agnoscit. Sic prodiit vulgata scriptura, *et quare tam male tulerit aetatem*; quam eis relinquendam putavi, qui eam commodiorem nostra iudicaverint.

PAG. 354. *l.* 25. *Geometria.* Sic ed. *R. geometer A. c.* (cf. pag. 358, 26.) *geometres* vulgo, ab Er. *Ead. l.* 25. et sq. *potius doceat* edd. ab Er. cum ms. Pal. 2. *potius quam doceat R. A. c.* Par. *a. b. d.* et alii apud Grut. Et sic rursus iidem libri paulo post, *l.* 28. *potius quam doceat.* Rursusque *p.* 356. *l.* 1. iidem, *potius quam hoc discam.*

PAG. 355. *l.* 7. *Docet.* Alii vulgo *Doces. l.* 8. *doceri volo.* Vulgo *discere volo. l.* 15. *publicum est hoc quod tenes* etc. Variant in his libri; eamdemque sententiam alii brevius complectuntur, alii fusius explicant, nec forsan absque interpolatione.

PAG. 356. *l.* 4. *statutas vices.* Vulgo *statas vices*, invitis mss. Cf. LXXIX. 291, 2. *l.* 21. *Itaque secunda exspecto.* Ex coniect. correxi. Vulgo *Utique sec. exsp.* voce e superioribus temere repetita.

PAG. 357. *l.* 7. Vocab. *artes* ex coniectura adieci.

PAG. 358. *l.* 12 sq. *est aliqua pars Philos.* Temere vulgo et invitis vett. libris, *est animi aliqua pars* etc. inde ab ed. Lips. *l.* 26 sq. *geometer R. A. c.* quomodo mox omnes p. 359, 3. Hoc loco *geometres* vulgo, ut p. 354, 25. *l.* 29. *quasdam observationes.* Priorem vocem, cum deesset vulgo, adieci ex ed. *R.* cui adsentiuntur Par. *a. b. d.*

PAG. 359. *l.* 2. *sciet sapiens.* Sic commodius ed. *R.* quam vulgo *scit sap.* Alii libri mendose *sciens sapiens. l.* 13. *accipit prima.* Vulgo *aliena accipit principia*; ubi prima vox ab Erasmo ex ing. aut ex scholio adiecta est: abest quidem *R. A. c.* et Par. *a. b. d.* Tum *principia* habet quidem ed. *A.* et ms. *c.* sed *prima* ed. *R.* cum Par. *a. b. d.* et Grut. Denique vero pro *accipit*, rectius ponetur *accepit*, quod est in Par. *b. d.* et in Pal. 2. 3. 4. *l.* 17. *trahuntque aliquid ex alto.* Perperam vulgo *ex illo*: nec melius *ex aliquo* Par. *b. d. ex alio* dabant *R. A. c.* cum Par. *a.* et quinque Gruterianis; unde perspecte Gruterus vidit, *ex alto* scriptum oportuisse. *l.* 20. *nulla autem ars alia.* Sic edd. ab Er. *Nihil autem ulla ars alia* dabant edd. vett. et mssti, quam scripturam revocatam velim, quum praeter rationem ab ea sit discessum. *l.* 21. *Singulas lubet circumire.* Tenui *lubet* a Ruhk. ex Mureti coniect. revocatum. Alii vulgo *habet*, consentientibus msstis; quod quum non feren-

dum videretur, *havet* (i. e. *avet*) corrigendum censuerat Pithoeus, *habeo* Lipsius. Equidem haud cunctanter *avet* probaturus eram, si modo aliud exemplum huius verbi impersonaliter sic usurpati succurrisset: sane nec praemissa verbo adspiratio moratura me erat, nec literarum *v* et *b* permutatio, satis frequenter et alibi in libris nostris occurrens.

Pag. 360. *l.* 9. *ideo maxime.* Vulgo *id maxime*, ex Mureti ing. *l.* 22. *nisi ex lignis R. A. c.* Par. *a. b. d.* et alii. Vulgo *sine lignis* ab Erasmo.

Pag. 361. *l.* 5. *an ipsum sit aliquid.* Sic ed. *R.* cum Par. *d.* et vet. cod. Iur. *an per se sit aliq.* edd. ab Er. cum *A. c.* et Par. *a. b.* quod e scholio ductum videtur. Cf. not. ad LXXXVII. 349, 16. *l.* 6 sq. *an aliquid ante tempus sit sine tempore? cum mundo coeperit? an etiam ante mundum* etc. Sic ed. *R.* cum melioribus quibusque mstis. Vulgo, *an aliquid ante tempus sit: si tempus cum mundo coepit, an et ante* etc. *l.* 11. *domicilia* ed. *R.* cum aliis. Vulgo *domicilium* invitis libris.

Pag. 362. *l.* 8. *miser.* Sic edd. a Mur. ex Pinc. libris. *miserere* ed. *R.* *misererer A. c.* Par. *a. b. d.* Ops. et Grut. unde *miser erat* ed. Er. *l.* 22 sq. *Aristarchi ineptias, quibus aliena carmina compinxit.* Sic *R. A. c.* Grut. et alii. Vulgo *Aristarchi notas, --- compunxit*, quod videtur ex Erasmi ing. procusum. *l.* 27. *et quid ignorem?* id est, (ut equidem interpretor) et quid est! quale quantique momenti et quam necessarium est id, quod ignorare mihi necesse est, ut ista sciam! Itaque *interrogandi signum* cum *exclamandi nota* permutatum velim. Est ista veterum librorum omnium scriptura, revocata a Ruhk. postquam *ut quid ignorem* ex Mureti ing. editum fuerat. *Ead. l.* 27. *Appion. Apion* ms. *c.* non male. Vitiose *Aphion* ed. *R.* *Apyon* ed. *A.* *l.* 28. *C. Caesare. Gaio Caes. R. A. c.* Mox *circulatus* revocavi ex ed. *R.* cui suffragabatur cod. ms. Lipsii. Conf. XL. 119, 10. LII. 155, 13. Alii vulgo *circumlatus. circumdatus* ms. *c.*

Pag. 363. *l.* 25. *nihil esse ab uno diversum.* Ex Erasmi ora hoc adscivi; quamquam vereor, ne ex ingenio viri, non e vet. cod. ductum sit: scilicet ex scriptura ed. *R.* *nihil esse ab universo*, collata cum eo quod p. 364, 7. legitur, *si Parmenidi credo, nihil est praeter unum*, colligi ista scriptura *ab uno diversum* poterat. Si teneas scripturam in

contextu Erasmi positam, *nihil esse in universo*, cui suffragantur Par. *a. b. d.* cum Pinciani Gruterique libris, nihil interierit inter Parmenidis et Zenonis placitum. Pincianus ex coniect. malebat, *nihil esse nisi unum:* Muretus item ex coniect. et post eum alii ediderunt *nihil esse in universum;* quo quidem nihil promovebatur. Ruhk. amplexus est Gronovii coniecturam, *nihil esse nisi universum.* Defectu manifeste laborat ms. *c.* nil aliud nisi haec habens, *ex his quae videntur universo.* Ed. *A. ex his quae videntur nihil esse universo.* *l.* 29. *induxerunt.* Temere *duxerunt* ed. Bipont. et inde ed. Ruhk. Mox pro *nihil scire* percommode *nihil sciri* scribitur in nostro Arg. *c.* Conf. Cic. Acad. I. 12. et De Orat. I. 51.

Pag. 364. *l.* 4. In verbis istis, *Si Protagorae credo*, subito desinunt *codices Parisienses* ab Emmerico nostro collati. Eodemque fere loco desinebant *quatuor Gallici codices ab Opsopoeo* olim collati; quorum unus idem ipse erat, qui a nobis nota *Par. b.* insignitus est.

EPIST. LXXXIX.

Lin. 5. *Utinam quidem.* Posteriorem vocem adieci ex ed. *A.* et ms. *c.* et Gruteri libris. Mox *universa*, non *universi*, dedere *R. A. c.*

Pag. 365. *l.* 15. *parvulas* ed. *A.* cum ms. *c.* et Gruteri omnibus. Vulgo *parvas* ex ed. *R.* *l.* 19. *sicut videtur, tibi dicam.* Rectius puto iungentur ista, *sicut videtur tibi*, quomodo distincta oratio in ed. *R.* Vitiose *si ut videtur* ed. *A.* et ms. *c.*

Pag. 366. *l.* 3. *constitit R. A. c.* Pinc. Grut. Vulgo *constet* ab Erasmo.

Pag. 367. *l.* 12. *non in illa parte Morali reperietur.* Vulgo *reperitur*, invitis libris nostris et Gruteri. Cum hoc verbo vulgo iungebatur *non* particula, quam nos, veteres libros secuti, ante ista *in illa parte* posuimus; sed altero loco delere eam oblitus est typotheta. *l.* 22. *quae removent.* Sic recte ed. *R.* Vulgo *qui removent* cum *A. c.*

Pag. 368. *l.* 10. *secunda, de Actionibus; tertia, de Impetu.* Sic vett. libri, *R. A. c.* et Grut. Vulgo, *secunda de Impetu, tertia de Actionibus*, ex Erasmi ingenio; scilicet, quia impetus, ut mox ipse auctor significat, praecedere debet actionem. At nihil magnopere obstat, quo minus creda-

mus, in ordine docendi praemissum fuisse caput *de Actionibus* alteri *de Impetu*. *l.* 26 sq. *proinde remissus acriorque*. Sic *R. A. c.* et Grut. non ut vulgo, *perinde remissus acriorve*.

Pag. 369. *l.* 7. *discissa A. c.* et Grut. *diffusa* ed. *R.* Inde *diffisa* ed. Er. *divisa* ed. Mur. et seqq. *l.* 23. *debebam* scripsi cum *A. c.* Pal. 2. et Col. Vulgo *debeo*, ex ed. *R.*

Pag. 370. *l.* 4 sq. *decursus est.* Aberat *est* vulgo: dedit ed. *A.* cum ms. *c.* Pinc. et Grut. *l.* 8. *Hadriam.* Potueram *Adriam* scribere cum eisdem libris vett. Vulgo *Hadrianum*. *Adrianum* ed. *R.* *l.* 20. *diversoria*. *deversoria* ed. Matth. refragantibus libris. *l.* 25. *resplendeant R. A. c.* Vulgo *splendeant*.

Pag. 371. *l.* 8. *nausians R. c.* Vulgo *nauseans*, cum ed. *A.* Conf. not. ad XXIV. 83, 3.

EPIST. XC.

Vol. II. *Pag.* 2. *l.* 22. *excellentissimus.* Sic *A. c.* *excelsissimus* ed. *R.* et aliae ante Gron. quod teneri fortasse debuerat, quum praesertim mox dicat, *inter homines pro maximo*. *l.* 23. *pro maximo est optimum. pro summo* vulgo, ex ed. Ven. Vitiose *proximos* ed. *R.* *proximo A. c.* Veram script. *pro maximo* unus servavit Pal. 3. Dein placuit quidem *optimus*, quod cum ed. Ven. agnoscit ed. *A.* et ms. *c.* sed in *optimum* consentiunt ed. *R.* et Gruteri codd. omnes.

Pag. 3. *l.* 12. *conversa R. A. c.* *versa* vulgo, ab Erasmo. *l.* 15. *notus* tenui cum Ruhkopfio, non quidem (ut ille putabat) Pinciani codicibus firmatum, sed ex coniectura editum ab Erasmo. *notos* ex libris suis commendaverat Pincianus, quod receperunt Mur. Lips. et Gron. consentientibus nostris *A. c.* Pal. 2. et Col. Alii *natos* cum ed. *R.* *l.* 16 sq. *arcessisset octavum.* Hoc verum iudicavi cum Grutero. *accensuisset octavum* ed. Er. Vulgo *accessisset octavus*, a Mur. ex ora Erasmi, nullo libro prorsus adsentiente. *accessisset* dedit quidem ed. *R.* cum ms. *c.* et Pal. 3. sed *arcessisset* ed. *A.* et ms. Col. *accersisset* Pal. 2. Posterior vox miris modis in vett. libris corrupta. *l.* 22. *adsentio. assentior* vulgo, invitis libris vett. *l.* 24 sq. *nec illi fabricae adseram gloriam.* Sic edd. ante Mur. cum *R. A. c.* et Gruteri libris. *nec illam fabr.* ed. Mur. et seqq. ex Pinciani libris. Denique *assertam* ed. Lips. et Gron. non ex sphalm. typogr. ut Ruhk.

existimavit, sed ex Lipsii coniectura. *l.* 26. *et causiis tectos*. Ut Erasmi et Gruteri codices, sic et nostri libri vitiose: *e causis lectos* ed. *R.* *e casis lectos* ed. *Ven.* *e caucasis lectos* ed. *A.* et ms. *c.* *et casulis tectos* ex coniect. ed. Erasm. Mur. et Lips. *et aut cavis tectos* ed. Gron. ex Lipsii coniect. *et e Caucasiis lectos*, ut unice verum, tuetur Ruhk. Ego mea de coniect. *et causiis tectos* scripsi. *Causia* autem non solum vocabatur, ut Lexicographi veteres docent, *pilei barbarici genus;* sed eodem nomine etiam intelligebatur (ut ex Veget. IV. 15. discimus) *vinea* sive *crates*. Itaque in loco huic parallelo, (p. 6. med.) ubi ad idem argumentum redit auctor, ait: *Quid ergo? non quamlibet virgeam cratem texuerunt manu?* Eodemque pertinent (p. 4. l. 20 sq.) *spissata ramalia, ac frons congesta et in proclive disposita.*

PAG. 4. *l.* 12. *serra A. c.* et ed. Ruhk. Olim *ferro* ex ed. *R.*

PAG. 5. *l.* 1. *invenerint A. c.* Vulgo *invenerunt.* *l.* 12. *et Diogenem R. A. c.* Abest vulgo prior vocula, quamvis ad sententiam necessaria. *l.* 19. *Hodie* tenent libri omnes. Cur *Hoc die* scriberet Ruhk. nulla caussa erat.

PAG. 6. *l.* 9. *non pelles A. c.* Pal. 2. et Col. Delevi *numquid*, e scholio vulgo praepositum. *l.* 21. *oblinierunt R. A. c.* Vulgo *obleverunt.*

PAG. 7. *l.* 16. *circitatur* ed. *R.* cum ms. Arg. *a.* (Nam nunc tandem nobis suppetias venit noster ille vetustissimus codex.) Sic vero et tres Pal. et Col. Vulgo *excitatur* edd. cum *A. c.* *l.* 27 sq. *ex his.* Sic ms. *a.* cum *R. A. c.* Vulgo *unus ex iis.*

PAG. 8. *l.* 9. *paviunt* scripsi ex certissima Gruteri coniect. quum *pariunt* dedissent veteres libri omnes. *feriunt* ex vulgaris Ovidii libris invexit Mur. *l.* 10. *si contigisset illi addere*, i. e. si addere potuisset, si contigisset illi ut addere potuisset. Vulgo *videre*, ex Erasmi ing. *l.* 27. *tunc vero miscetur.* Sic ed. *R.* et *A.* cum ms. *a.* et *c.* quibus et alii (ut suspicor) veteres libri adsentiuntur. Vulgo *tunc vero salivae miscetur*, ab Erasmo. Sed, ut *vinum miscere* dicimus, intelligentes *aquâ*, sic et hîc nude *miscetur* stare potuerit.

PAG. 9. *l.* 21 sq. *non ab aliis -- quam a quibus.* Duae praepositiones, *ab* et *a* desunt veteribus libris omnibus.

PAG. 10. *l.* 6. *quid effecerit.* Sic *a. c. A.* Vulgo *quidve eff.* ex ed. *R.* Mox *dedecoros* dedere *a. c. A.* *dedecores* ed. *R.* ne id quidem male. *indecoros* vulgo. *l.* 24. *in secundam numi-*

num formam animae perpetitae. numinum e coniect. correxit Erasm. Conf. XCII. 24, 24 sq. Mendose *nominum R. A. a. c.* (Similiter pro *numinis* CXV. 172, 15. est *nominis* in ms. *a.*) Tum vero *perpetitae* dedit idem ms. *a.* id est, perpetuatae, immortalitate donatae et in secundam numinum formam (i. e. ordinem) translatae. Alii vulgo *perpetuae. l.* 27. *sacrum* intellige aedem sacram, ἱερόν: ut apud Quinctil. I. 4, 6.

PAG. 11. *l.* 7. *vitae ac vocis ambigua.* Sic noster ms. *c.* Sed *vitae aut vocis amb.* praeferunt edd. *R. A. c.* et ms. *a.* quibus haud dubie alii codices adsentiuntur. Mireris vero ridiculum erratum, *vitae ac necis*, ex ed. Er. in alias omnes editiones propagatum, nemine ne dubitationem quidem ullam significante, nedum melius quidpiam requirente. *l.* 23. *vitriarium*, non *vitrarium*, dedere libri nostri.

PAG. 12. *l.* 1. *vobis* ms. *a.* cum edd. cf. p. 14. l. 25. *nobis A. c. l.* 5. *in hoc utiles.* Mire *hic utique* ed. *R. coctiles* vulgo, ex ed. Ven. cum Pal. 2. quae scriptura efficta est ex ea quam habet ed. *A.* et ms. *c. ocutiles.* Exserte vero *hoc utiles* exhibet ms. *a.* In ora Erasm. notatur *ad hoc utiles*; quod in quatuor e suis repertum ait Grut. Puto, utrumque virum doctum voculam *ad* ex coniect. adiecisse: certe, si praepositionem adiecit Seneca, *in hoc* suo more dicturus fuisse videtur, (quomodo equidem mea de coniectura edidi,) non *ad hoc.* Sed videndum, ne familiari sermone etiam nude sic dicere latine licuerit, *hoc utiles*, pro *in* vel *ad hoc utiles*: rectius quidem me facturum fuisse mihi videor, si istud tenuissem. *l.* 30. *sicut ante, fortunato tempore, quum* etc. Vulgo *sicut ante fortunata tempora*, et sic edd. vett. et ms. *c.* hiante oratione. Vitiosius ms. *a. sicut aut fortunata tempora.* Gruterus in suis partim *aut*, partim *autem* scribi ait: unde Ruhk. *autem* arripiens, confectam rem esse existimavit, si, tamquam hinc nova orationis periodus inciperet, ita scripsisset: *Sicut autem fortunata tempora* etc. non videns, aeque hiulcam et sensu cassam, atque ante, prodire orationem. Unice probanda atque adeo adoptanda mihi visa erat Lipsii coniectura, *sicut ante, fortunato tempore*, etc. Sic quidem omnia recte procedunt.

PAG. 13. *l.* 11. *signare. separare* dabant *R. A. a. c.* ex scholio. *l.* 24. *concurrere* bene edd. cum libr. vett. i. e. agitare se, et magno motu laborare; quo sensu saepe *concursationem* dixit Noster, ut III. 7, 30. et XVII. 53, 21. ubi

concursationes divitum ad divitias euntium. Quo minus opus erat *occurrere* ex uno aut altero codice Gruteri adsciscere, quod Ruhk. faciendum sibi putavit. *l.* 26. *pellat aeris*, ut inde ab ed. Ven. vulgatur, sic recte ms. *c.* In *A.* deest posterius vocab. Vitiose duo verba in unum contracta sunt in ms. *a.* et ed. *R.* *l.* 28. *per sua.* Perperam vulgo *per suam*, quod et primum in ms. *a.* fuerat, sed litera *m* obelo transfixa ab eadem manu.

Pag. 14. *l.* 21. *patebant a. c. R. A.* non *patebat.* *l.* 28 sq. *perflatus* dedit ms. *a.* Vulgo *flatus.*

Pag. 15. *l.* 16. *perlucidos lapides in ima terrarum faece.* Voculam *in*, quae ante *ima* excidere facile potuerat, ex coniectura adieci. Vocab. *lapides*, ex ed. *R.* vulgatum, desideratur in mss. *a. c.* et ed. *A.* Nescio utrum ex vulgari sermonis usu potuerit abesse, an post *quaerebant* poni debuerit, (ubi in Pal. sec. ponitur,) et dein temere fuerit omissum. — Leviora nonnulla, passim e vett. libris a nobis correcta, aut iam a Ruhkopfio sive ante eum ab aliis recte curata, praetermitto.

EPIST. XCI.

Pag. 17. *l.* 1. *quaeritur!* tuentur *a. c. R. A.* *quaeri?* ed. Ruhk. ex nonnullis Pinc. et Grut. *l.* 7. *adfectum inclinant, dum adversus sua firmum;* i. e. quum interim adversus sua firmus sit. Vulgo *inclinant*, absque *dum.* At *inclinandum* dabant *a. c. R. A.* in quo duae istae voces haud dubie latebant. In ed. *R.* est *inclinandum movent adv.* ubi scil. *movent* ex scholio interpolatum.

Pag. 19. *l.* 8. *uni tantum — monti.* Sic ed. Ruhk. ex Pal. 3. et 4. Alii libri omnes vulgatum olim *tamen* tenent, quod restitutum velim. *l.* 20. *solatia navigantium, ac speculas ad humile deduxit.* Rectius sic distinguetur oratio, *solatia navigantium ac speculas, ad* etc. Vulgo *ad humilem arenam deduxit*, inde ab ed. Ven. et sic ms. Pal. 2. Col. et Lipsii codex: sed nude *ad humile deduxit* ed. *R.* et *A.* cum ms. Pal. 4. quod et Pincianus laudaverat. Casu factum arbitror, ut *ad humilem* scriberetur in nonnullis, ut in Arg. *a. c.* et Pal. 1. 3. unde *tumulum* legendum suspicatus est Grut. alii *arenam* adiecerunt, quod in ms. *a.* adlevit recentissima manus. *l.* 23 sq. *Casura exstant; omnes* (intell. urbes) *hic exitus manet.* Sic plane et commodissime ms. *a.* nec multum abeunt *A.* et *c.* Vulgo, *Casura omnia extant:*

omnibus exitus manet. *l.* 24 sq. *interna vis, flatusque praeclusi violentia.* Tenui hoc a doctissimo Matth. ex coniect. editum: nec male vero Ruhkopfius, *interna vis, flatusque praeclusi ac violenti.* Vulgo olim, *interna vi flatuque praeclusa violenti.* Sed *vis flatusque* habet ms. *a.* cum Pinc. tenet autem *praeclusa violenti.* *l.* 26. *torrentium in abdito vastior.* Sic *a. c. R. A.* ubi ex praecedd. et seqq. facile *violentia* subintelligebatur. Nec vero displicet *vastorum*, quod in suorum nonnullis repererat Pincianus. *vis vastior* edidit Ruhk. e msstis, ut ait; quos quidem nec ipse nominavit, nec nos ullos novimus. Nude *vis* posuit Matth. omissa voce *vastior*, quam libri tamen omnes agnoscunt. *l.* 28. *in qua nihil* etc. Sic *a. c. R. A.* Vulgo *a qua* etc. *l.* 30. *eiecerit* ex Mureti coni. primus recepit Lipsius, dein ed. Bipont. et Ruhk. Et ego hoc praeferendum iudicavi vulgato olim *egesserit*, quod quidem veteres libri dabant, et tacite revocaverat Gron. Saepe homines isti, quorum manibus olim exempla harum Epistolarum multiplicata sunt, dictantis vocem minus recte accipientes, literam *g* et *i*, item *c* et *s*, vel *ss*, inter se permutarunt. Sic pro eodem verbo *eiecit*, Ep. XXIV. 78, 7. quod recte ibi noster cod. Arg. *b.* tenuit, *egessit* scribitur in ed. *A.* et novo accedente errore *egresserit* in ms. *c.* quomodo hîc *egresserit* scribitur in vetusto nostro ms. *a.* Obiter hîc observemus, e vetustissimis msstis, atque etiam e codicibus multo vetustioribus quam hi, qui ad aetatem nostram pervenerunt, propagatos esse illos errores, qui e male accepta dictantis voce nati sunt. Tum, quod ad nostrum ms. *a.* spectat, illud moneo, quod in Praef. monere oblitus sum, codicem hunc, vetustate quidem praestantem aliis omnibus, ab eo homine esse exaratum, qui eorum quae scriberet nihil intellexerat; ita imperite frequenter verba (quae in exemplari, quod ante oculos habuerat, nullis interstitiis distincta fuerant) vel iungit vel disiungit, multaque alia verborum et orationis monstra ostendit ex inscitia prognata. Contra, idem codex multo rariores, quam alii libri, interpolationes habet; nihil ex scribae ingenio mutatum; plurimas autem verissimas lectiones ex vetustiore exemplari propagatas, ubi corrupti sunt recentiores libri.

Pag. 21. *l.* 27. *si tibi longior* recte ms. *a.* Alii vulgo *et, si tibi* etc. *l.* 29. *qui te circumstrepunt.* Perperam *quae te circ.* ed. Lips. et seqq. invitis msstis.

Pag. 22. *l.* 11 sq. *malam auditionem habet.* Vulgo *malam molitionem*, quod nulla emendatione indigere existimavit Ruhk. Ego, nisi probabilius aliquid occurrisset, Gronovium probassem, *opinionem* corrigentem. Sed, in *malam olitionem*, quod ms. *a.* dabat, persuasum habui latere id quod dedi, *malam auditionem habet*, i. e. male audit, malam famam habet.

EPIST. XCII.

Pag. 23. *l.* 7. *quae ex illa.* Sic *a. c. R. A.* Vulgo *quia ex illa.* *l.* 12. *securos servat.* Unice probavi hoc, quod servatum in cod. Pal. 4. Vulgo olim *servata servat* ex Erasmi ing. quum varie aberrassent veteres libri, *servatus servat*, *servitus servit*, *servitus servat*, quod postremum habet ms. *a.* cum Pal. 1. et 3. *se virtus servat* ora Col. quod adoptavit Ruhk.

Pag. 24. *l.* 1. *sine quibus non est.* *cum quibus non est* ed. Ruhk. e Gronovii membr. invitis aliis omnibus. *l.* 13. *ἀοχλησίαν.* Sic satis perspicue (sola terminatione excepta) ms. *a.* idque ipsum haud obscure debuerat ms. *c.* Vocab. miris modis ab aliis deformatum, aut ex coniect. correctum, ut *πανσωλὴν* ab Erasm. *ἡσυχίαν* a Mur. Sonat autem *ἀοχλησία* latine *vacuitatem molestiarum*, ut mox ipse Seneca interpretatur. Graecum vocab. habes etiam apud Sextum Empir. Pyrrh. I. 10. *l.* 14. *inspectum* dedere mss. *a. c.* et ed. *A.* Vulgo *conspectum.* *l.* 19. [*Magnam voluptatem*] *facit titillatio corporis.* Verbis ex coniect. correctis uncos circumdedi. *Magnam vitam facit* vulgo, ex Mureti emend. *Magno vitam facit* edd. vett. et ms. *c.* *magne vitam facit* ms. *a.* Equidem non dubito, *vitam* ex vocabulo *voluptatem* compendiose scripto originem traxisse. Tum vero, ut ad vocem *magno* intercidisse *pusillum* coniectaverat Erasmus, sic ego suspicatus sum in hunc fere modum scripsisse Senecam, *honestum inhonesto, magno vile. Voluptatem facit* etc. *l.* 25. *ac Diis secundo.* Immo, *a Diis secundo;* sicut dicimus *secundus a rege*, et similia.

Pag. 25. *l.* 1. *innervem.* Vulgo *enervem.* *l.* 4 sq. *ac male congruentibus* ex coniect. correxi. Olim *animalium congruentibus* ex Erasmi coniect. *animalis congr.* mss. *a.* et *c.* *animalibus congr.* editt. *R. A.* *animalis non congr.* ed. Ruhk. *animalium incongr.* ed. Matth. *l.* 11. *velocia.* *volatilia* habet

sola ed. *A.* *ferocia* suspicatus eram: (cf. CXIV. 163, 22. not.) sed *veloci* opponi potuit *iners* l. 17. et 22. *l.* 27. *illas*, non *illa*, *a. c. R. A.* *l.* 29. *sumentur. a. c. A.* Vulgo *sumuntur.*

PAG. 26. *l.* 9. *quali. a. c. A.* *quia* ed. *R.* *qua* vulgo. *l.* 15. *fecit* ms. *a.* Alii *facit* cum edd. *l.* 21. *consequitur* ms. *a.* *sequitur c. R. A.* *assequitur* vulgo. *l.* 25. *ut membrorum* ms. *a.* et ed. *A.* Vulgo *et membr.*

PAG. 27. *l.* 8. *non est beatissimus, si.* Sic libri nostri. Vulgo *non beatissimus, et si* etc. *l.* 13. *aut potest illi eripi.* Sic recte libri vett. Conf. XLV. 133, 14. et ibi not. Vulgo *Annon* ex Erasmi coniect. *l.* 16 sq. *quidquid sine illo luceret* ms. *a.* Vulgo *quidq. sine eo lucet.* *l.* 19 sq. *interiacet* dederunt *a. c. R. A.* Vulgo *interiaceat.*

PAG. 28. *l.* 5. *comparari. a. c. A.* Vulgo *comparare.* *l.* 12. *sed medio relinquetur.* Sic *a. c. R. A.* et mss. Grut. nec vero spernam vulgatum *sed in med. rel.*

PAG. 29. *l.* 6. *qui illâ coepit.* Sic vett. libri omnes: i. e. qui ea via, ea ratione, in eam partem coepit, scil. qui ex beato coepit decidere in non beatum. Vulgo *qui labi coepit*, ex ing. Mur. *l.* 24 sq. *in quantulo libet tempore bona aeterna consummat.* Sic ms. *a.* cum aliis. Vulgo *in quantolibet tempore aeterna consummare.*

PAG. 30. *l.* 15. *Stans* (scil. in acie. cf. CV. 123 extr.) *non potest mitti.* Sic recte ms. *a.* et Lipsii cod. Inepte vulgo, *non potest vinci*, cum *c. R. A.* *l.* 23. *secundus est ut* etc. Perperam omissum verbum *est* in ed. Mur. et seqq. *l.* 25. *Desideret.* Vulgo *desiderat*, invitis mss. *l.* 26. *aurium sensum, bonam valitudinem.* Sic vulgo olim, cum *a. c. R. A.* *aurium caeterorumque sensuum bonam valitudinem* ed. Ruhk. cum Pal. sec. Col. et ms. Gron. *l.* 30. *Inperfecto viro huic.* Sic *a.* et *R.* Sed fortasse non male *Ut inperfecto viro, huic* etc. ms. *c.* et ed. *A.* Tum *l.* 31. *quia*, non *qua*, *a. c. R. A.* *Ead. l.* 31. et *PAG.* 31. *l.* 1. *ad prava illum agit haerens malitia.* Sic recte ed. Ruhk. cum ms. Siculo Mureti. Mox, *ea agitata abest de bono* dedere libri vett. ubi vulgo *ea agitatio abest a bono.* *l.* 16. *etsi utatur* recte *a. c. A.* Vulgo *et sic utatur.* *l.* 17. *Non aliena via ad summa nititur.* Sic mss. *a. c.* cum ed. *A.* et *Ven.* nisi quod *aliena vita* habent *a. c.* et *aliena vi* ed. Ven. Nos *via* ex facili coniect. correximus. Vulgo, *Nam si aliena vi ad summa niteretur* ex Erasmi maxime coniect. *l.* 18. *in hoc iter natus est.* Primam voculam ex coniect. correxi; nam perperam *cū* (sic) *hoc iter natus est* dabat ms.

a. Tum alii, *cum hoc iter ad quod natus est.* Denique vulgo, *cum hoc iter nactus est.* *l.* 19. *audaciter* priscâ formâ dedit ms. *a.* Mox perperam *et contemptor* vulgo, adsuta inutili copula. *l.* 20. *aurum argentumque* vulgo ex ed. *R.* Sed *aurumque et argentum a. c. A.* *l.* 21. *non ab hoc aestimat splendore.* Sic perspecte Rubenius apud Gron. partim e vett. libr. partim e coniect. Veteres edd. et scripti, *non ad hoc aestimat splendor; splendorem* ms. *a.* Pal. 1. 2. et Col. *splendore* Pal. 4. Vulgo *ad hunc aestimat splendorem*, ex Gruteri coniect. *l.* 23. *sed a vetere coeno, ex quo* etc. Scriptura haec, quae Rubenii debetur ingenio, haud dubie latebat sub ista vetere, *sed avertere celo*, quam offert ms. *c.* a qua parum abeunt ms. *a.* et ed. *A. sed avertero caelo;* et ed. *R. sed advertere celo.* Conf. omnino Ep. XCIV. 52, 14. *Scit erui e coeno* ed. Lips. et Gron. ex Gruteri coniect. *et averterunt a coelo* ed. Ven. Er. et Mur. quod revocavit Ruhk. *l.* 24 sq. *aliubi* ms. *a.* et sic constanter, pro vulgato *alibi.* Perperam *alicubi* ed. *R.* *l.* 28 sq. *ut sua Orientis Occidentisque terminis finiat.* Sic mss. *a. c.* et ed. *A.* nisi quod in ms. *a.* et ed. *A.* perperam *fiat* scribitur, pro *finiat*, quod verbum ms. *c.* compendiose quidem, sed haud dubie, exhibet. Ista scriptura varie ab aliis vel interpolata vel mutata est.

PAG. 32. *l.* 13. *exurat. excludat a. c. R. A.*

EPIST. XCIII.

PAG. 34. *l.* 18. *transsilivit a. c. A.* Vulgo *transsiliit.* *l.* 19. *nihil tamen mihi a. c. R. A.* Aberat vulgo *mihi.* *l.* 29 sq. *quamdiu vero sum, vir bonus ut sim, meum est.* Scripturam hanc e duabus aliis composui. Nimis concise et nullo sensu mss. *a. c.* et ed. *A. quamdiu vero ut sim, meum est.* Ed. *R.* vero, *quamdiu vero ut vir bonus sim* etc.

PAG. 35. *l.* 7. et 8. *inputet* et *inputabit* scribitur in membr. *a.* *l.* 12. *Et tamen, quousque vivimus? Omnium rerum* etc. Haud satis liquet huius loci sententia. *Interrogandi signum* primus adposuit Muretus, quod delendum videtur, et cum praecedentibus connectenda ista, *omnium rerum* etc. ut hoc fere dixisse intelligatur Philosophus: »Habet qui»dem hoc commodi longior vita, ut, *quousque vivimus*, »magis magisque *fruamur cognitione naturae rerum.* Nec vero »idcirco moleste ferre debemus exitum e vita: *illuc* enim »*eundum est, ubi ista propius adspicias.*« *l.* 13. *fruiti*, ut

vulgo, sic ed. *A*. *fructi* ms. *a*. quod et debuerat ms. *c*. in quo vitiose *fracti*. *cogitatione functi* ed. *R*. *l*. 13 sq. *a quibus principalis natura*. *ad quid princ*. sola ed. *R*. *principalis* tenent libri omnes, quod defendit Ruhk. coll. Cic. N. D. II. XI. 29. Equidem cum Lipsio *principiis* suspicatus eram: sed nil temere mutaverim. Nescio an *principalis natura* h. l. eadem dicatur, quae *summa illa ac pulcherrima omnium natura* adpellatur Epist. XCV. 70, 9 sq. scilicet supremus *Deus*, cui subiecti sunt quos *Deos* (plurali numero) adpellat Noster. *l*. 25. *illo fortius*. Vulgo, *inquit sapiens ille, fortius exeo*, cum ms. *a*. et *R*. *A*. Placuit *illo fortius exeo*, quod dedit ms. *c*. sive *eo fortius* intelligas, sive *illo* pro *illuc* accipias, ut saepius alibi; cui dein respondeat quod sequitur, *nusquam transiturus*. Conf. not. ad XXXVII. 115, 14. Si *ille* h. l. scripsit Seneca, referendum hoc fuerit ad lin. 6. huius pag. et vocab. *sapiens* e scholio fuerit interpolatum. *l*. 28. *miserant a*. *c*. *A*. Vulgo *miserunt*.

Pag. 36. *l*. 2 sq. *Tanusii* recte ms. *a*. Nec aliud debuerant *c*. *R*. *A*. in quibus *Tamisii*. Mox, quod vulgo hic legebatur, *non decori*, aut, quod ex msstis quibusdam (quibus accedit noster *c*. et ed. *A*.) adscivit Ruhkopf, *non decorosi*, id alienum erat ab hoc loco, ubi vel longus liber vel brevis erat nominandus. Unice verum erat *ponderosi*, quod latebat in *nonderosi*, quod habet noster ms. *a*. cum aliis apud Pinc. Nec vero nobis debetur haec emendatio; nam in eodem ms. *a*. literam *p* ad monstrosam vocem *nonderosi* iam alia manus superne adpinxerat. Similiter vero et Cicero *ponderosam epistolam* dixerat, *longam* significans. *l*. 4. *Hoc est vita quorumdam longa, quod Tanusii* etc. Sic optime noster ms. *c*. item ms. *a*. nisi quod hic perperam habeat *et quod Tanus*. Vulgo olim, *Haec est -- et quod Tan*. quod revocavit Ruhk. postquam ex Mureti ing. editum fuisset *Aeque est -- et quod Tan*. In referendis variis lectionibus duarum Epistolarum, quae difficultate non carent, paulo fui longior; brevius dehinc praecipua loca notaturus, in quibus nostrum exemplum ex meliorum librorum ac praesertim ex vetusti nostri cod. *a*. praescripto a vulgatis discedit.

EPIST. XCIV.

Lin. 10. *contrario*. *a*. *c*. *R*. *A*. Vulgo *e contrario*.

Pag. 37. *l*. 1 sq. *Ad illam habentem --- ipsa decreta philos*.

constitutionemque summi boni. Locum, misere vulgo deformatum, haud dubie restituimus ex vett. libris, praesertim ex ed. *R.* et ms. *a.* Turbaverat et scribas nonnullos et interpretes pronomen *illam*, quod opponi putaverant ei, quam modo dixerat *hanc partem*; non autem huic opponitur, sed ad eamdem, quae proxime nominabatur, refertur. Conf. not. ad XLVIII. 141, 13. *l.* 25. *illo quidem obiecto.* Invitis libris vulgo, *illo non abiecto.*

PAG. 38. *l.* 11. *periculosa. a. c. A.* Vulgo *pericula.* *l.* 23. *excipienda. a. c. R. A.* non *accipienda.*

PAG. 40. *l.* 17. *praecipies. praecipias* vulgo. *l.* 27. *sapientiae praecepta.* Vulgo *sapientis praec.*

PAG. 41. *l.* 29 sq. *o c u l i s quoque aegros.* Sic recte ms. *a.* non *oculos*, ut vulgo: nec enim *oculos* monet medicus, sed *aegros.*

PAG. 42. *l.* 5. *oculis plenis ac tumentibus imperes*, scil. ut post cibum libris et studiis sint intenti. De quo non cogitans nuper vir doctus (in Novis literar. univ.) abiecto verbo *evita*, iungenda ista censuit, *imperes adflatum -- occurrentis.* *l.* 6.-8. *Alia eiusmodi -- adiicit remediis medicina c o n s i l i a.* Postremum vocab. ex coniectura correxi. Vulgo *consilium* libri omnes: quod vocab. prorsus abiiciendum censuit idem, quem modo dicebam, vir doctus. Si teneas *consilium*, distinguenda fuerit oratio, ut in superioribus editionibus: *in os occurrentis evita: alia eiusmodi --- proficiunt. Adiicit rem. med. consilium.* At sic otiose repetitum fuerit id quod paulo ante dixerat, *medicus non tantum curat, sed etiam monet.* *l.* 16. *A u t tu.* Sic libri vett. Conf. p. 47, 16. et not. ad XLV. 133, 14. *At tu* edd. a Gronov. *l.* 28. *considet* tenent *a. c. A.* cum edd. *consedit* malebam, aut *consederit. consideret* habet ed. *R.* pro quo nescio an *c o n s i d e r i t* debuerit, a verbo *consido.* Conf. XCVII. 80, 19.

PAG. 45. *l.* 3. *alium alio ingeniosiorem.* Sic *a. c. A.* Vulgo *alius alio ingeniosior est* ex ed. *R.* *l.* 11. *nancta* ms. *a.* *l.* 12. *evalescit a. c. A.* Vulgo *convalescit.* *l.* 21 sq. *sed haec non satis perspicit.* Sic *a. c.* Vulgo *sed ad haec* (*adhuc* Mur.) *non satis prospicit.*

PAG. 47. *l.* 3. *qui pro eo quod Platonis* etc. Sic plane ms. *a.* et Pal. 2. *pro eo quod* (absque *qui*) *c. R. A.* Vulgo *Non probo quod Plat.* ex Mureti ing. *l.* 5. Verbum *a i t*, quod abest libris, ex coniect. adieci. Suspicari poteras delendam vocem *enim*, et eius loco ponendum verbum *ait.* Habet

autem *eius*, pro *enim*, ed. *R.* Sed *enim* tenent alii libri. Cf. not. ad p. 49, 12. *l.* 8. *lex cum prologo. Mone, dic* etc. Sic vulgo ex coniect. Erasmi. *lex cum prolegomene. Dic* etc. mss. *a. c.* *prologomene R. A.* *prolegumene* e suis citavit Grut. *l.* 9. *Proficiunt vero.* De nostra hoc coniectura est. *Proficiuntur* dabat ms. *a.* cum Pal. 1. et 4. ubi sub duabus postremis literis particulam *vero* suspicatus eram latere. Vulgo nude *Proficiunt: itaque malis morib.* etc. Coniectare etiam poteras, collatis praesertim Gruterianis lectionibus, *Proficiunt utique: itaque* etc. *l.* 20. *Nulla res magis animis honesta induit.* Sic ms. *a.* ut vulgo. Sed *animos* *c. R. A.* unde cum Grutero coniicias, *animos honesto induit.* *l.* 28. *sicut illud intelligo.* Et hoc nostra de coniect. Vulgo *sic ut illud intelligam.*

Pag. 48. *l.* 4. *inquis* recte libri vett. Vulgo *inquit.* *l.* 9. *et alicuius oraculi* etc. Sic *a. c. R. A.* ut vulgo: sed videtur cum Pinc. et Palat. 2. et Col. in hunc modum supplenda oratio, *et alium ante fores alicuius* etc. nisi uberius etiam, *et alium ante fores stantibus, et alicuius* etc.

Pag. 49. *l.* 12. *Nam concordia.* Abesse malles coniunctionem *Nam*, sed tenent eam libri omnes. Sic *enim* p. 47. l. 5.

Pag. 50. *l.* 2.-4. *Sed quamvis ista ex optimo animi habitu veniant; optimus animi habitus et facit illa, et ex illis ipse fit.* Sic percommode ms. *a.*

Pag. 51. *l.* 16 sq. *convicia, quae nos circumsonant, repellantur.* Vulgo, *opiniones - - - compescamus.* Sed *repellantur* dedere *a. c. A.* Pal. 2. et Pinc. Tum *opiniones* quidem cum aliis tenet etiam ms. *a.* in contextu; sed superne scriptum est antiqua manu vocab. *convicia*, (i. e. confusas voces, clamores) quod haud dubie ex vetere veraque scriptura servatum esse iudicavi.

Pag. 52. *l.* 1. recte *subitis causis* ed. Ruhk. et sic *a. c.* *A.* non *subditis.* *l.* 2 sq. *fulgores coeli fatiscentes. patescentes* dabat ms. *a.* cum ed. *R.* et codicibus Pinc. et Grut. omnibus; ubi sic distincta verba voluit Pinc. *fulgores, coeli patescentes*, quod et Lipsio placuit, *patiscentis* tamen scribenti, nempe terminatione *is* pro *es. fulgores coeli fatiscentis* primus edidit Erasmus, nescio utrum ex coniect. an e vet. cod. quem quidem nullum novimus. Placuit tamen id verbum, sed ea terminatione quam codices nostri praeiverunt: nec vero satis nobis liquet. Erasmi scripturam tenuit Mur. et revocavit Ruhk. Ms. *c.* et ed. *A.* vi-

tiose haud dubie, *fulgores coeli columnasque patescentes*, et omittunt duas voces *ac trabes*, quas agnoscit ms. *a.* cum aliis. (Cf. Nat. Quaest. I. 1.) Sed *columnasque* (in accusat. casu) agnoscunt item alii vett. libri omnes. *l.* 4. *disponit.* Corrige *disposuit*, ut est in *a. c. R. A.* et apud Pinc. et Grut. *l.* 13. *deceperit.* Perperam *decipit* edd. *l.* 25. *et in tanto.* Ex coniect. correxi. Monstrose *etantanto* scribitur in *a.* nec minus vitisose *e tanto* in *c. R. A.* Vulgo *eque tanto.*

Pag. 53. *l.* 31. *it tamen* ms. *a.* Vulgo *hic tamen.* Minutiora alia omitto.

Pag. 54. *l.* 20 sq. *Teutonos* ms. *a.* *Theutonos c. A.* *Theutonicos* vulgo.

Pag. 55. *l.* 23. *Ita est.* Sic, ex more Senecae, *a. c. A.* Vulgo *Itaque.*

Pag. 56. *l.* 11. *et quae illos.* Perperam vulgo *et quae et illos.* *l.* 12. *incubat*, non *incumbit*, dedere libri nostri et Gruteri. *l.* 13 sq. *et fuga a rebus.* Vulgo *et fuga iam a rebus.* *l.* 15. *philosophantes metu.* Mureti ingenio haec debetur scriptura; quam licet insanam iudicasset Gruterus, tenuit tamen Lipsius, et revocarunt Bipontini et Ruhk. *philosophantis metus* dabant vett. libri omnes, quod restitutum voluerat Grut. et hactenus restituit Gronovius, ut terminationem *is* pro *es* pluralis numeri acciperet, scriberetque *philosophantes metus:* quam scripturam Gallicus interpres his verbis expressit, *vous verrez alors la crainte philosopher.*

EPIST. XCV.

Lin. 4. *nos Praeceptivam.* Sic corrigendum quisque videt typothetae nostri erratum, *non* pro *nos* ponentis.

Pag. 58. *l.* 11. *et praeceptis a. c. A.* Conf. LXXXVII. 347, 25. Perperam *ex decretis* edd. ex *R.* *l.* 18 sq. *ergo in hoc* (i. e. ad hoc, scil. ut artem vitae datis praeceptis doceant alios) recte *a. c. A.* *ergo ne hoc* ed. *R.* Ven. Er. Tum, *ergo non hoc* etc. cum interrogationis signo, ed. Mur. et seqq. *l.* 30. *non erubescet soloecismo, si sciens fecit; erubescet* etc. Vulgo *erubescit soloecismum, si sciens facit: erubescit* etc.

Pag. 59. *l.* 13. *spectat simul, agitque.* Vulgo *spectat, simulque agit.* *l.* 28. *qui in rem praecepta acceperit, non in omne.* Sic quidem (ut inde a Gron. editur) habet ms. *a.* et Pinciani codd. ubi *in omne* idem valet ac *in totum, in uni-*

versum, vel *in omnem vitam*, ut est in c. *A.* et in ora Erasm. Sed ed. *R.* cum aliis sic habet, *qui in rem -- non in nomine:* unde videndum, ne verum sit *qui in rem -- non in nomen*, sive (ut est in ed. Er. et in Pal. 1. et 3.) *qui in re -- non in nomine:* ubi, quemadmodum *res* intelligitur *res singularis*, sic *nomen* intelligetur *totum genus*, cui nomen aliquod competit. Cf. LXXXV. 330, 18 sq. XCV. 66. 3. et Cic. Tusc. III. XXXIV. 81.

PAG. 61. *l.* 7. *retorridi digiti* ms. *a.* vocabulo et aliâs frequentato Senecae. Vulgo *retorti dig.* *l.* 9. *aut palpitatio* [*corporum*] *sine intermissione vibrantium.* Vocab. *corporum*, quod exhibent quidem veteres libri omnes, commode eiectum a Mureto, revocavit Ruhk. tantum non necessarium iudicans. Equidem uncis circumdedi, ut merito suspectum; rectius facturus, si denuo ablegassem, ut prorsus ab hoc loco alienum, ubi manifeste opponuntur *torpor nervorum sine sensu iacentium*, et *palpitatio* (nervorum) *sine intermissione vibrantium.*

PAG. 62. *l.* 11. *incommoda aequarunt. a. c. A.* Pal. 2. 4. Col. Vulgo *vitia aequaverunt.* *l.* 26. *sanguinem mittere a. c. A.* Alii vulgo *sang. emitt.* et sic ed. Ruhk. Praeter rationem vero *sanum emitt.* ed. Lips. et Gronov.

PAG. 63. *l.* 13. *laevitas* scribendum putavi, quum *levitas* darent omnes. *l.* 21. *fuerunt* dedere *a. R.* *fuerint c. A.* *fuerant* vulgo. *l.* 30. *foedi itaque pestilentesque. a. c. R. A.* Vulgo *foedi atque pestil.*

PAG. 64. *l.* 7. *totam destricti sine ullis ossibus* etc. Vulgo olim *torti distractique* ex ed. *R.* dein *torti districtique* ed. Ruhk. Probavi *totam*, sc. patinam, quod cum ed. *R.* dabat ms. *a.* Tum *destricti* absque copula ex coniect. scripsi. Vitiose *destructique* ms. *a.* *distinctique c. A.* *districtique* Pal. 1. et Pinc. *l.* 21 sq. *ostrea, echini, spondyli, mulli, perturb.* etc. Sic ms. *a.* Vulgo, *ostrea echinis, spondyli perturbati mullis.* *l.* 27. *multigeneribus observationibus* scripsi ex Lipsii coniect. Nec enim ferendum videbatur vulgatum *multis generibus, multis observationib.* Scil. repetita vox *multis* interpretamentum fuerat vocabuli *multigeneribus.* *l.* 30. *remediabiles* bene ed. Ruhk. cum *a. c. R. A.* et al. Olim *medicabiles* edd. *l.* 31. *conanda sunt a. c. A.* Aberat *sunt* vulgo.

PAG. 65. *l.* 1. *vindicetur a. c. R. A.* Vulgo *vinceretur.* *l.* 9. *iam, quia* etc. *tamen quia* ed. *R.* Ven. Er. *eadem quia* vulgo ex Mureti ing. *tum quia* ms. *a.* *tam quia* ms. *c.* *iam*

dedit ed. *A.* quod aut ipsum verum erat, aut prorsus abiicienda vox controversa. *l.* 22. *ex omni parte. a. R.* Vulgo *ab omni parte.*

Pag. 66. *l.* 4 sq. *Si volumus habere obligatos* recte ed. Gronov. et Ruhk. cum *a. c. R. A.* et al. Perperam *Si nolumus* ed. Lips. Bipont. et Matth.

Pag. 67. *l.* 3. *scilicet videas.* Sic h. l. *a. c. R. A.* Vulgo *licet videas*, a Mur. quomodo alibi saepius legitur apud Nostrum. *l.* 7. *et falsa formido.* Perperam *et* aberat edd. *l.* 13. *in uxorem* edd. ex *R.* sed *in uxore* dant *a. c. A.* nec ita male fortasse. Recte enim latine dicitur *iniuria in uxore* (i. q. *in uxorem*) *admissa.* Similem loquendi formulam habes pag. 73, 29 sq. *in illo, in hoc.* *l.* 14. *pellicem. habere pellicem* edd. invitis vett. libris nostris et Pinc. Gruterique.

Pag. 68. *l.* 6. *sibi hoc a. c. A.* non *sibi haec.* *l.* 7. *et totiens tamen sestertio.* Sic recte libri veteres, quod revocavit Ruhk. scilicet toties sestertio, quoties requirebatur ad censum equestrem, nempe quater: erat enim equestris census quadringenta sestertia, id est, breviore formula, quater sestertio. Immane itaque falsus erat Muretus, *tricies* scribens pro *toties* vel *totiens*, quod habent *R. A. c.* cum Gruteri libris: quae vox in uno nostro ms. *a.* in *docens* est detorta, quum *tociens* scribere debuisset imperitissimus calligraphus. *l.* 19 sq. *quinque sestertiis. quinque millibus HS.* edd. a Mur. non diversa quidem sententia, sed invitis libris vett. *l.* 22. *nam ille* etc. Sic quidem edd. ex *R.* consentiente nostro ms. *a.* et Gruteri omnibus. At commodior, atque etiam vera haud dubie fuerit scriptura a Pinc. e suis commendata, et dein a Mur. recepta, ab aliis vero deserta, *non illi, qui emerat ut Tiberio mitteret, quamquam illum quoque reprenderim: admiratus est* etc. Servatum etiam *non illi* in nostro ms. *c.* et ex parte in ed. *A.* in qua *non ille. reprenderim* pro vulg. *reprehend.* dedit ms. *a.* *l.* 28. *aut turpia sunt, aut honesta.* *et -- et hon.* ed. Mur. et sqq. invitis libris vett. *l.* 29 sqq. *honeste fient.* Temere *honesta fient* ed. Bip. et Ruhk.

Pag. 69. *l.* 20 sq. *perconarique. et conari* edd. a Mur. *et preconarique a. c. R. A.* Delevi *et*; *perconari* autem correxi, praeeunte Erasm. in Notis. *l.* 23. *lucernas*, non *lucernam*, *a. c. R. A.*

Pag. 70. *l.* 1. *quem modum servare.* Sic recte unus Pal. 3. Vulgo *quemadmodum se gerere* edd. a Mur. cum Pal. 2. *quem-*

admodum servire ed. Er. cum ms. Col. *quemadmodum servare a. c. R. A.* *l.* 2. *molestis superstitionibus.* Vulgo *molestiis ac superstit.* *l.* 5. *beneficium*, non *beneficia*, *a. c. R. A.* *l.* 7. *nocere nolle.* Sic recte ms. *a.* Perperam vulgo *nocere velle*, ex parum intellecto loquendi more, familiari Senecae. *l.* 9 sq. *Summa illa ac pulcherrima omnium natura.* Conf. not. ad XCIII. 35, 13 sq.,

PAG. 71. *l.* 7. *paratae sunt iuvantis manus.* Sic ed. *R.* Er. et Mur. *iuvandis a. c. A.* *ad iuvandum* ed. Lips. et seqq. cum mss. Pinc. et Grut. *l.* 11. *Habeamus!* (scil. in pectore et in ore.) *In commune nati sumus.* Vulgo *Habeamus in commune, quod nati sumus.* Sed *quod* ignorat ms. *a.* cum optimo Pinciani cod. *l.* 27. *innexae. annexae* edd. *l.* 28. *quo inter se.* Vulgo *quomodo inter se.*

PAG. 72. *l.* 2. *Discendum de ipsa est, ut ipsa discatur.* Sic *a. c. A.* Pal. 1. 2. et Col. (et parum abit ed. *R.* cum aliis, *ut in ipsa discatur.*) Hoc dicit: ipsa virtus nos docet, quomodo ipsa discenda sit. Sententia paulo obscurior induxit editores, ut interpolarent locum; in quo quidem non nimis callide versatos esse videas. *ut in ipsa voluntas discatur* ed. Er. *ut ipsa voluntas discatur* ed. Mur. et sqq. *l.* 13. *Causa usque iactationis est.* (id est, causa perpetuae iactationis.) Sic ed. *R.* Idque ipsum debuisse videntur alii libri vett. in quibus vel *visque* vel *iusque* scribitur. Vulgo *causa huius iact.* ex Mureti coniect. *l.* 19. *existimatio, a. c. R. A.* non *aestimatio.* Iidem libri cum aliis inserenda (*l.* 21.) dedere duo verba, *Scire liceat*, quae aberant vulgo, a Mureto abiecta. Iidem *l.* 24. *inter nos*, non *inter vos.*

PAG. 73. *l.* 6 sq. *recedendum esse a praeceptis velut supervacuis, utendum esse decretis, in haec sola* etc. Vocab. *velut*, et tria verba, *utendum esse decretis*, absque quibus non constabat sententia, opportune nobis obtulit ms. *a.* *l.* 10 sq. *in philosophia* ms. *a.* Alii vulgo *philosophiae.* *l.* 14 sq. *Si prob. necess. sunt, necessaria sunt decreta.* Vulgo brevius, *Si prob. necessariae sunt, et decreta:* quod ferri poterat, intelligendo *necessaria etiam sunt decreta.* Sed, quoniam particulam *et* ignorat ibi ms. *a.*, temere omissa putavi duo verba, *necessaria sunt*, scil. a proxime praecedentibus absorpta; quae duo verba bis deinde (l. 21 sq. et 24 sq.) diserte repetuntur. *l.* 23. *certa rerum persuasio.* Vulgo *certarum rerum persuasio:* sed *rerum* non agnoscit ms. *a.* Itaque vocem *certarum* ex duabus *certa rerum* perperam coali-

tam existimavi. *l.* 24 sq. *sine qua si omnia in animo natant, necessaria sunt decr.* Sic *a. c. A.* cum Pinc. *natant* tenent libri omnes, ne de *nutent* cogites, ut XXXV. 110, 25. coll. l. 30. et LXXIV. 254, 11. ubi quidem *natat*, non *nutat*, dabat ms. Arg. *b.* cum ora Erasm.

PAG. 74. *l.* 18. *etymologiam quam quare dicere nos non audeamus.* Sic plane ms. *a.* nisi quod *ethimologian* scribit. *ethymologiam* ed. *R.* sed perperam praeponit *et* copulam, et sequentia verba turbat, quae ex coniect. emendavit Erasmus. *ethologiam* ms. *c. ethologiam vel ethymologiam* ed. *A.* Denique vulgo, *quam cur aetiologiam dicere non audeamus*, ex H. Stephani et Mureti speciosa utique emendatione. Sed *aetologiam* (puto *aetiologiam* voluerat) ex vett. libr. etiam laudaverat Pinc. quorum ex praescripto delenda etiam censuerat duo verba praecedentia, *causarum inquisitionem*, ut ex glossemate invecta. *l.* 20 sq. *utilem futuram et descript.* Sic recte ms. *a.* cum *Pinc.* Perperam vulgo *esse*, absque *et.* *l.* 22. *ethologiam* recte ms. *a.* et ed. *A.* Absurde rursus *aetiologiam* hic ponunt edd. et olim *etymologiam.*

PAG. 75. *l.* 5. *notas nosse* recte ms. *a.* quod et debuerat ed. *R.* in qua *nosce.* Perperam vulgo *notas esse.* *l.* 9. *primus et ire a. c. R. A.* non *primus inire.* Tum *minantes* iidem, non *minaces.* *l.* 10. *ponti*, non *ponto*, ms. *a. ponto vel ponti* ed. *A.* Corrupte *posito* ed. *R.* *l.* 15. *micat. a. R.* ut vulgo. *nutat c. A.* *l.* 19. *Sit mihi Cato exprimendus.* Ex coni. sic scripsi, pro vulgato *Si mihi* etc. *l.* 26. *sibi foventibus. sibi*, i. e. sui causa, suum in commodum, non reipublicae causa. Pronomen hoc, temere abiectum ab Erasmo, opportune dedit ed. *R.* Idem debuerant *a. c. A.* in quibus vitiose *tibi* scribitur. *l.* 28. *esse et reipubl. partes.* Voculam *et*, qua carebant vulgo, commode dedit ms. *a.*

PAG. 76. *l.* 16. *sed, quales fuerint.* Temere omissa est *sed* particula in ed. Bipont. et Ruhk. *l.* 21 sq. *quum in publicum sternerent.* (scil. Romani.) Sic recte *a. c. A.* non *sternerentur.* *l.* 23. *adposita* ms. *a.* et *apposita* ed. *A.* non *proposita.*

PAG. 77. *l.* 1. *et in milliens conflatum* ms. *a.* (quod intelligi poterat *conflatum* in ingentem pecuniae summam procusum.) Sic item ed. *R.* et Gruteri codd. omnes, in quibus quidem *milies*, pro more, simplici *l* litera scribitur. Vitiose *in milites* ed. Er. *in vile es* (i. e. *in vile aes*) ms. *c.* et ed. *A.* Vulgo *et millies conflatum*, (absque voc. *in*)

quod a Pinciano ex uno codice (sed eo alioquin probato) laudatum recepit Mur. nec fortasse immerito.

EPIST. XCVI.

Lin. 1. *Tamen tu indignaris.* (scil. quamvis meliora scire debeas.) Sic ms. *a.* et Pal. 1. 3. 4. cum edd. a Mur. *Tantum tu* edd. ex *R.* *Tantum*, absque *tu*, *c.* *A.* Pal. 2. Col. *l.* 5. *quod putet miserum.* Perperam omissum vulgo pronomen *quod*, inde ab ed. Mur. *l.* 9. *incurrerunt. incucurrerunt* ms. *a.* *l.* 16. *tristis excipiam.* Temere et absurde *incipiam* ed. Bip. et Ruhk. *l.* 21. *epulae fuerunt parum dulces.* Sic edd. inde a Mur. et *epulae* quidem ex ed. *R.* cum mss. Pal. 2. et Col. Sed verum videtur *epistolae*, quod praefert ms. *a.* cum Pal. 1. 3. et 4. Scil. *epistulae* in vetustis codd. olim scribebatur; quam scripturam (per *u* pro *o*) ut alibi constanter, sic et h. l. ms. *a.* exhibet: idemque vocab. *epistolae* in ms. *c.* et ed. *A.* compendiosâ scripturâ significatur. Porro sciat lector, verbum *fuerunt* ex Mureti ing. esse, quum vett. libri omnes *vero erunt* exhibeant: sed particulae *vero* non videtur hic fuisse locus, et verbum potius in praet. quam in fut. positum requirebatur: quare admodum probabilis hactenus fuerit Mureti emendatio.

Pag. 78. *l.* 14. *putida quies.* Recte illa vox servata in duobus mss. Pal. quorum in uno quidem *putrida* scribitur, qua scriptura et aliâs saepe in hoc vocab. utuntur libri nostri. Mendose *putica* *a.* *c.* *A.* *publica* edd. ex *R.*

EPIST. CXVII.

Lin. 3. *obiecit*, in praet. pro more Nostri, *a.* *c.* *A.* Vulgo *obiicit.*

Pag. 79. *l.* 1. *in aperto. in operto* ed. Lips. et seqq. ex uno Pal. 4. *l.* 8. *stillarii loco* (i. e. *cumuli*, vel *accessionis*, ut mox ait; conf. Ducange Glossar. voc. *stillatura*) recte vett. libri omnes, nisi quod nonnulli simpl. *l* ponunt, et in fine *i*, pro more, pro *ii.* Vulgo *salarii* ex edit. Ven. *l.* 15. *Epist. ad Att. lib. I.* Verba ista, quae deerant vulgo, medio contextui inserta dedit ms. *a.* *l.* 26. *exstabit.* *a.* *c.* *R.* *A.* *stabit* edd. *l.* 28. *hoc, illudere.* Duo verba ignorant alii libri omnes, excepto uno Pinciani (et eo quidem alioqui non optimo) et Pal. sec. e quibus illa primus recepit Mur.

Pag. 81. *l.* 1. *pronum* [*iter.*] Perperam *praenuncius.* *a.* *c.*

R. A. et omnes Pinc. et Gruteri codd. *pronum iter* primus edidit Erasm. (nescio an ex vet. cod. Brit. quem in Append. laudat) et tenuit Mur. Dein nude *pronum* ed. Lips. Gron. et Bip. quod revocavit Matthiae, qui tamen in Progr. ait malle se dedisse integrum *pronum iter*. Equidem substantivum nomen uncis inclusi, ut suspectum: nunc vero prorsus abiectum malim: nam sicut nomine *praeceps* substantive utitur Noster, (conf. XCIV. 56, 9.) sic et *pronum* substantive accipi poterat, subintellecto (si velis) nomine *iter*. Cf. LXXIII. 247. 8. et LXXX. 293, 6. ibique not. *praenuntius* revocavit Ruhk. tum sua auctoritate *praeceps* in *praeceptor* mutavit, quod merito repudiavit Matth. *l*. 27. *prima illa*. Temere omissa vox posterior in edd. inde a Mur.

Pag. 82. *l*. 1. *et hae illam* recte *a. c. A*. Vulgo *et haec, et illa*. *l*. 9. *plurimum*. Temere *plurima* ed. Bip. et Ruhk. *l*. 12. *argumentum est, Epicure, natura nos* etc. *argumentum Epicure*, absque *est*, ms. *a*. *argumentum est Epicuri* ms. *c*. et ed. *A*. Duabus scripturis inter se collatis, prodibat nostra, quam unice veram iudicavi, eamdemque iam Lipsius ex coniect. proposuerat. Absurde vulgo, et prorsus contra Senecae mentem, *argumentum Epicuri est*. *l*. 15. *nisi quia*. *a. c. A*. Pal. 2. Aberat vulgo *nisi*.

EPIST. XCVIII.

Pag. 83. *l*. 10. *qui habet illa*. *qui* ex coniect. correxi, quum *si quis* dedissent vett. libri; quod tenens Erasmus, *habens* ex coniect. edidit. *l*. 18. *cum specie*. *a. c. R. A*. Aberat *cum* vulgo. *l*. 24. *continget*. Vulgo *contingit*, et mox *extra minas fortunae positum* edd. invitis mss.

Pag. 84. *l*. 3. *repetam*. Sic olim ed. Ven. Er. et Mur. rursusque nuper Ruhk. Sed rectius fortasse fuerit *petam* quod habet ed. Lips. Gron. et Bip. cum *a. c. R. A*. Pinc. et Grut. *l*. 16. *exspect. venturi* ms. *a*. et ed. *A*. Vulgo *futuri*. *l*. 19. *Tu vero*. Perperam vulgo *Quin vero*. *l*. 22. *averte*. Perperam *adverte* vulgo. *l*. 29. *satagios a. c. R. A*. non *satageos*.

Pag. 85. *l*. 4. *suam*, quod aberat vulgo, dedere iidem libri nostri. *Ead. lin*. ubi repetitur *fingit sibi*, omitti poterat pronomen cum ms. *a*. *l*. 16. *turbent*. *a. c. R. A*. cum aliis. Vulgo *trahant* ex uno cod. Pinc. et duobus Gruteri. Mox, pro *ipsos* *l*. 17. habent *se* edd. a Mur. invitis msstis. *l*. 23. *quod periturum est*. Tenui hoc, editum ante Ruhk. ex

ed. *R.* Perperam *pereundum est*, absque *quod*, ms. *a.* et tres Palat. *quod pereundum est c. A.* cum Pal. sec. et Col. quod recepit Ruhk. *quod perdendum est* unus probatissimus cod. Pinc. *l.* 24. *invenimus*, *l.* 28. *amisit*, *l.* 30. *reliquit*, *l.* 31. *perdidimus*, omnia ex libris nostris correcta, pro vulgatis *inveniemus*, *amiserit*, *relinquit*, *perdimus*.

PAG. 86. *l.* 25. *His sermonibus* etc. Nil opus esse videtur, ut cum viris doctis statuamus, pluraque quaedam intercidisse ante ista verba. Respondere haec potuit Seneca ad praecedentem aliquam Lucilii Epistolam: ac sive casu sive consulto omittere potuit viri illius nomen, de quo hic agitur.

PAG. 87. *l.* 9. *quum illa accedat, hic premat. accedit* malebam, et *premit;* ut alibi, ubi *quum* tempus significat. Sed nil mutant libri: nempe *quum* hîc pro *quamvis* accipi debebit. *l.* 11. *posset. a. R. A.* Vulgo *possit*. *l.* 12 sq. *submitteret* dederunt *a. c. A.* Vulgo *submittere*.

EPIST. XCIX.

Lin. 5. *solatio a. c. A.* Vulgo *consolatione*, quod ex scholio ductum videtur.

PAG. 88. *l.* 6. *pusillum temporis periit.* Intellige, *periit illi;* et cf. p. 89. l. 14.–22. p. 90, 10 sqq. et 95. *l.* 7. *iniquo* ms. *a.* ut *praepostero*, *directo*, et similia. Alii vulgo *inique;* sed *iniqui* ed. Bip. et Ruhk. invitis libris. *l.* 16. *quanta praeceperint.* Vulgo *perceperint* h. l. libri omnes; sed pro vulgato *percepta* (*l.* 27.) recte *praecepta* dederunt *a. c. A.* unde idem verbum hic restituere non dubitavi. Mox *quantum*, pro *quantumve*, dedere iidem libri cum Pinc. et Pal. 2. *l.* 17. *Hoc habet -- mali dolor iste: non superv.* Correxi ex ms. *a.* coll. Pinc. et Grut. *dolor iste* latebat sub *doloris se*, quod est in ms. *a.*

PAG. 91. *l.* 8. *surgas a. c. A.* Pal. 2. 4. Col. i. e. te erigas, *tollas animos*, ut ait p. 96, 4. Vulgo *urgeas*. *l.* 9. *adversus hoc. a. c. R. A.* non *adv. haec.* Iidem *l.* 19. *divulsionem*, non *divisionem*: item, *quaedam sunt sui iuris*, *l.* 20. ubi imperite *non* infulserant vulgo. Tum *l.* 23. *fluat quantum* dedere *a. c. A.* ut voluerat Matthiae; non *fluant*. *l.* 29. *quum aliquos videre* ms. *a.* *viderunt* ed. *R.* Perperam *viderint* vulgo.

PAG. 92. *l.* 9 sq. *conlabentem a. c. R. A.* non *collabantem*.

l. 16. *primus. a. c. A.* non *primum.* Iidem *l.* 30. *circumstantem adsidentemque.*

Pag. 93. *l.* 15 sq. *emuntur* recte edd. ante Mur. et dein rursus ed. Ruhk. cum ms. *a.* et Pal. 1. 3. 4. Praecedentia verba, *quam multis -- locatur*, agnoscunt libri omnes; nec erat cur suspecta haberet Ruhk. *l.* 18. *promittitur a. c. R. A.* non *promittatur.*

Pag. 94. *l.* 6. *hanc esse captandam.* Sic scripsi cum Pal. 1. 3. 4. ut voluerat Pinc. Pro *esse* perperam *ipse* habent *a. c. R. A.* quod in *ipsam* mutavit Er. *l.* 7-9. Graeca verba prorsus desunt editis ante Gronovium, desunt etiam nostro ms. *c.* Reperta quidem in msstis suis profitentur Erasm. Lips. et Grut. sed ita depravata, ut nihil inde extricari potuerit. Gruterus tamen postrema verba haec fere fuisse ait, *καρπὸν ἡδονὴ ζητεῖν τοῦτον κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν.* Denique in ed. Gron. et seqq. Graeca exhibebantur in hunc modum scripta: *Μιχθεῖσα ἡδονὴ ἀηδείᾳ τὶς-γάρ ἐστί, σοὶ μὲν ζητητέη κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν.* quam inficetam scripturam unde haussisset Gronovius diu inquirens, tandem ex ed. Th. De Juges cognovi, ex Dalecampii ingenio fuisse procusam. Nos nostrum ms. *a.* secuti sumus, qui ea ipsa verba, quae exhibuimus, satis perspicue perscripta dedit, exceptis duobus *λύπη συγγενὴς*, quae cum ibi deessent, nos ex Senecae latinis (l. 5. et p. 95. l. 1.) supplevimus. *Metrodori Epistolam, qua sororem amisso optimae indolis filio adloquitur*, haud multo ante memoraverat Noster, XCVIII. 85, 9. Illud dissimulare non debeo, mea aliquatenus de coniectura factum, quod post *ἀδελφὴν* notam numeralem *α'*. adscripsi, qua *Epistolarum ad Sororem liber primus* significaretur. Ac, notam quidem aliquam numeralem a Seneca hîc adiectam fuisse, intelligi par erat ex genitivo Ἐπιστολῶν, coll. XCVII. 79, 15. ubi simillima ratione scribitur *Epistolarum ad Atticum lib. I.* Quinam autem fuisset ille numerus, hariolatus eram ex eo, quod pro ΕΠΙΣΤΟΛΩΝ in cod. nostro ΕΠΙΣΤΟΛαΩΝ scribitur, ubi literam α alieno loco intersertam coniectaveram. Sed, sumto hoc ipso, intelligo sic potius a me scribi debuisse, Ἐπιστολῶν α'. πρὸς τὴν ἀδελφήν. i. e. *Epistolarum libro primo, ad Sororem.* *κυνηγετεῖν* legitimum est graecum verbum, quod latino *captare* et *aucupari* (l. 19.) Seneca expressit.

Pag. 95. *l.* 16. *male esse* recte *a. R.* *malum c. A.* Vulgo *mala esse.*

EPIST. C.

Pag. 96. *l.* 5 sq. *fingi.* Sic edd. vulgo, cum *c. R. A.* quod poterat intelligi de oratione artificiose *tractata* ac *torta*, quam mox dicit l. 14. Sed parum apte opponuntur ista duo, *effundi* et *fingi.* Immo *figi* scriptum oportebat, quod habet ms. *a.* cum Pal. 1. 2. 4. et Col. iamque olim e vett. libris commendaverat Pinc. Refertur ad *stimulos*, quos desideraverat Lucilius. Cf. p. 98, 8. *l.* 13 sq. *esse tractatam. esse se tract.* edd. a Mur. invitis msstis.

Pag. 97. *l.* 13 sq. *habes. a. c. A. habet. R. habeas.* vulgo. *l.* 14. *latius dictos. a. c. A.* Vulgo *altius ductos.* *l.* 15 sq. *quod -- quod -- quod* ex ed. Er. revocavi, invitis licet libris; in quibus *quid -- quid -- quid* ex vetere paradiorthosi erat. *l.* 28. *pedem curvat lenta* dedere *a.* Pal. 1. 4. et ms. Lips. Ab equi gressu ducta locutio. Ante *curvat*, verbum *servat* infulciunt *c. A. R.* unde vulgo *pedem servat, curata, lenta*, ex Erasmi ing.

Pag. 98. *l.* 10. *videris quam sit comtum. a. c. R. A.* cum aliis. Possis signa parentheseos tollere, et colon post *comtum* signare: perinde erit. Vulgata lectio partim ex Erasmi, partim ex Gruteri coniect. erat. *l.* 11. *sed debet dignitatem.* Tenent veteres libri omnes: qua potissimum sententia, non liquet mihi. Duo priora verba abiecerat Muretus: *sed dabit* coniectabat Lips. *l.* 18. *non magis* tenent libri omnes. Alius scriptor *non minus* dixisset; aut *non magis Historiae, quam Philosophiae:* sed similes inversiones orationis amat Noster. Conf. XII. 33, 3. XXXI. 103, 25 sq. LXXXII. 309, 29 sq. et not. ad CII. 112, 12 sq.

Pag. 99. *l.* 8. *lucis* recte ed. Ruhk. cum msstis. Mendosum *locis* ex superioribus edd. adhaesit ed. Matth. *l.* 20. *evocarent a. c. A.* ex more Nostri. *vocarent* vulgo.

EPIST. CI.

Pag. 100. *l.* 3. *tum aeterna meditatos.* Vulgo *quum aeterna meditantes.* *l.* 10. *plurimam moram* vulgo ex Mur. emend. Rectius fuerit *plurimum morae.* Nam *plurimum amorem* vel *amoris* scribitur in libr. vett. *l.* 11. *erepat* ms. *a.* Vulgo *ereptat.* *l.* 20. *arreptus a. c. R. A.* quod valet *adreptus* vel *correptus;* non *abreptus*, ut edd. a Mur. *l.* 30. et *Pag.* 101. *l.* 1. *ne crastini quidem dominum. a. c. A.* *l.* 27 sq. *quod*

in aliud ex alio differtur. Sic verissime Pinc. partim e mss. partim e coniect. Vulgo, *quod etiam aliquid ex illa differtur.*

PAG. 102. *l.* 2. *non collecta mens* ed. Ruhk. ex Pinciani coniect. Vulgo *collecta* libri omnes, absque negante particula; cui uncinos ideo circumdedi, quia haud satis certa est emendatio, atque aliud quidpiam fortasse hîc latet. Fors. *incollecta* scriptum oportuerat: cuius vocabuli prima vocalis latebat in praecedente voce *quali*, quam pro *quale* hîc habent *a. c. A.*

PAG. 103. *l.* 13. *Cui putes. a. c. A. Cui putas* ed. *R. Huic putas* vulgo. *l.* 17. *Quod autem vivere est?* (i. e. quaenam autem haec vita est?) *a. c. A.* *l.* 18. *qui malit inter suppl.* Sic edd. ex Erasmi emend. *qui velit* dabant libri vett. quod ferri non poterat, nisi dein l. 20. poneres *potius quam* etc.

EPIST. CII.

PAG. 104. *l.* 17. *Negat me epistola prima.* (i. e. Initium tuae epistolae negat me etc.) Sic vett. libri. *Negas* edd. ex Erasmi ingenio.

PAG. 105. *l.* 7. *rectam et ad mores.* Vulgo *recta ad mores* ex ingenio Mureti.

PAG. 106. *l.* 3. *quia in nos nostra tela mittuntur.* Sic ex coniect. correxi, quum *nos* ante *nostra* intercidisset in *a. c. R. A.* *quo nostra tela nitatur* ed. Mur. Lips. et Bip. ex Mureti ing. *quia inde nostra tela mittuntur* ed. Gron. et Ruhk. ex Lipsii coniect. contra mentem auctoris. *l.* 9. *et spectabiles.* Vulgo *et praestantes*, invitis mss. *l.* 18 sq. *sternumentum* ms. *a.* Vulgo *sternutamentum.* *l.* 25. *nostrûm. nostrum* scribe, absque accentu. Sic p. 108, 22. *meum, qui laudor.* *l.* 31. et *PAG.* 107. *l.* 1. *nos bonos bonus iudicat. a. c. R. A.* Vulgo, *Nam omnes bonos bonus unus iudicat.* *l.* 10. *aeque vero insistitur ab his qui dissidere non possunt.* Sic vulgo ex Erasmi maxime ing. Videndum quid lateat sub vetere scriptura, *aeque vero* (sic ms. *a. vere c. A. vera* ed. *R.*) *inficiscitur:* (*inficitur* unus Pinciani, *prospicitur* ed. *A.*) *dissentire non possunt.* *l.* 18. *Illi* (sc. viro bono) *a. c. R. A.* *Illis* edd. a Mureto.

PAG. 109. *l.* 8. *responderimus* ed. Lips. et sqq. ex coni. Pinc. *respondebimus* dabant libri vett. *respondimus* ed. Mur. *l.* 9. *debet a. c. A.* Vulgo *debuit.* *l.* 22. *laetius.* Perperam *latius* edd. *l.* 26. *in quo disp.* Vulgo rursus *intra quod.*

Pag. 110. *l.* 1. *corpus hic.* Perperam *corpus hoc* edd. à Mur. *l.* 2. *ipse me. ipsis me Diis c. A.* *l.* 3. *carcere* aberat vulgo: recepimus ex *c. A.* *l.* 10. *in alium naturae maturescimus partum.* Inepte olim edd. *in alium naturae sumimur partum.* Recte *maturescimus* ed. Ruhk. et sic fere ms. *a.* sed delendum erat vocab. *naturae.*

Pag. 111. *l.* 9 sq. *saepe* vett. libr. omnes. *semper* edd. ex Pinciani coniect. *aeque* coniectabat Grut. *l.* 13 sq. *subvola; carisque* etc. Locus in vett. libr. omnibus misere corruptus, in quo latus coniecturis campus. Vulgo ex Lipsii maxime coniect. *subvola: utique etiam necessariis, quae cohaerebunt, alienus.* Ms. *a.* sic habet, *subvoluptari quae nisi quae necessariisque cohaerebit alienus.* Ms. *c. subvola ubique nisi a necessariis quae cohaerebant alienus.* Sed hunc locum, itemque alios, quos transvolare nunc cogor, alio tempore, si Deo placuerit, excutiemus. *l.* 26. *admiraris illam iam procul.* Sic ms. *a.* cum ed. *A. illam procul. R. illam tam procul* ms. *c.* Vulgo *tam procul*, absque *illam.*

Pag. 112. *l.* 5. *solutum a. c. R. A. exsolutum* vulgo. *l.* 12 sq. *non minus quam praesentiam, esse utilem memoriam.* Sic Pal. 2. et 3. Alii libri veteres omnes, *non minus praesentiam esse utilem quam memoriam.* Unde vulgo, *non minus praesentia esse utilem memoriam*, ex emendatione Erasmi. Poteras et corrigere, *non magis quam praesentiam* etc. Sed veterem scripturam defendit Gruterus, ut mori Senecae convenientem. Conf. not. ad Epist. C. pag. 98, 18.

EPIST. CIII.

Lin. 2 sq. *incidentium* recte ed. Ruhk. cum mss. Vulgo *incendium.* *l.* 5. *Rariores* ex Gruteri coniect. adscivi. *Rari* olim edd. ex Pinc. coniect. Vitiose *Paries* ms. *a. Pares c. R. A.* quod tenens Ruhk. iunxit praecedentibus, *quae captant pares.*

Pag. 113. *l.* 4 sq. *quos transiere, non quaerunt.* Sic recte ms. *a.* Vulgo *quos transire non queunt.* *l.* 6. *iniicit a. R.* et Pinc. Sic dicimus *iniicere se in medios hostes.* Vulgo *inigit* ex Lipsii coniect. *mittit c. A.* *l.* 15. *sinu* recte olim edd. ex Erasm. emend. pro vitioso *nisu*, quod dabant *a. R. visu* ed. Ruhk. cum *c. A.* *l.* 18. *Quid autem. Quia autem* ms. *a.* *Quin etiam* ed. Bip. ex Gronovii coniectura.

EPIST. CIV.

Pag. 114. *l.* 5. *et incertis.* Perperam *sed incertis* vulgo. *l.* 19. *a me.* Verba a Mur. adiecta, commode quidem, sed invitis mss.

Pag. 116. *l.* 11 sq. *invidebis* adscivi ex Pal. 2. 3. Col. et Pinc. Alii omnes vett. libri vitiose *videberis.* Vulgatum *ringeris* ex Erasmi coniect. erat. *l.* 30 sq. *aeque vide, ut vides eas dum virent.* Locum corruptum olim in msstis, et magis etiam in editis, commode restituerunt partim Ruhk. partim Matth. in eum fere modum, quo eum exhibuimus, vestigia veterum librorum quoad fieri potuit prementes. Mox *Utique* ex Lipsii coniect. est: *uter, utinam, ut,* dabant libri vett. Dein iidem recte *alium*, scil. amicum; non *aliud*, ut vulgo.

Pag. 117. *l.* 22. [*quum*] *maxime. quum* vel *cum* ex coni. adiecit Mur. *l.* 27 sq. *inusitata. invisitata* ms. *a.*

Pag. 119. *l.* 27. *apertum.* Vitiose *adpartum* ms. *a.* (scil. *adpertum* fuerat in exemplari, de quo descriptus est ille codex.) *ad portum c. R. A. aperte* vulgo ex Mur. ing.

Pag. 120. *l.* 7. *nihil quod virum incurvet.* Sic *a. c. R. A. asperum* post *nihil* interserunt alii; quod si servatum velles, oportebat *nihil asperum, nihil quod* etc. *l. ult. et quibus ille domi est exercitus.* Copula *et* Mureto debetur; verbum *est* nos ex coniect. adiecimus. *ille* tenent alii, *illi* ms. *a.* Equidem abiectum pronomen malebam.

Pag. 121. *l.* 1. Verbum *spectes* ex Mureti coniect. adiectum est. *l.* 8 sq. *nominibus* scripsi cum Gron. ex Lipsii coniect. *hominibus* dabant vett. libri, quod revocarunt Bipont. et Ruhk. *criminibus* ed. Mur.

Pag. 122. *l.* 19. *qui ea sibi.* Alii *qui id sibi.* Rectius abiicietur vocula.

EPIST. CV.

Pag. 124. *l.* 7. *hoc* (i. e. hac re) *vitabis. a. c. R. A.* Vulgo *sic vitab.* *l.* 12. *Eum esse te homines sciant.* Sic ms. *a.* et *sciant* etiam *c. R. A.* Vulgo *cum te esse hom. scient.*

Pag. 125. *l.* 10. *respondere ad se. a. c. R.* id est, sibi rationem reddere, respondere ad conscientiae accusationes. *respicere ad se* vulgo, ab Erasmo.

EPIST. CVI.

Pag. 126. *l.* 12. *Bonum facit; prodest enim.* Sic necessario corrigendum putavi. Vulgo *Bonum prodest; facit enim.* cf. CXVII. 179 extr. *l.* 14. *quae propria sunt corporis.* Vulgo libri omnes, *quae ergo propria corporis sunt*, temere intrusa particula *ergo*. Mox, *Quae corporis bona sunt, corpora sunt; ergo et quae animi sunt.* Correxi ex *a. c. A.* Perperam vulgo, *ea corporis bona sunt: corpora ergo sunt, et quae* etc.

Pag. 127. *l. ult.* et *Pag.* 128. *l.* 1. *Paucis est ad mentem bonam uti literis.* Vulgo, *paucis opus est* (al. *satis est*) *ad ment. bon. literis.* At verbum *uti* agnoscunt vett. libri omnes: *est* autem (absque *opus* vel *satis*) recte ms. *a.* et ed. *R.* Adiiciatur hoc exemplum verbi *est*, pro *opus est* positi, aliis a Gronovio collectis Observ. lib. IV. c. 8.

EPIST. CVII.

Lin. 6. *quota pars abesset.* Partim Pinciani, partim Mureti hoc inventum est; in quo vereor ne mirum quantum aberraverint ab eis verbis, quae sub veterum codicum scriptura latebant. Aut ego vehementer fallor aut *non sint*, quod habent libri, ineptum interpretamentum verbi *desint* erat, adeoque levi remedio sic restituendus locus: *et vocentur*, (scil. *amici*; nec opus erat ut *ita vocentur* corrigeret Mur.) *quo turpius desint omnibus rebus tuis:*) *desunt illi* etc. *l.* 14. *in te mittentur.* Verissima haud haud dubie Lipsii emendatio. Vulgo omnes *intermittentur*. *l.* 17. *mentiaris.* Mendosam codicum nonnullorum scripturam *metiaris* praetulit Ruhk. *l.* 20. *Mori vult?* Sic recte *a. c. R. A.* id est, Mortem aliquis sibi optat, qui tamen (verum si quaeris) illam horret, et fugiet adventantem! immo potius *praeparetur animus* etc. Perperam vulgo, *Mori me vult.*

Pag. 129. *l.* 13. *hoc cogitatio* etc. *a. c. A.* Vulgo *haec cog.* *l.* 15. *Servi me.* Sic *a. c. R. A.* non *te*. *l.* 22. *in alios.* Vulgo *ad alios.*

Pag. 130. *l.* 1. *aliquo loco.* Temere vulgo omissa vox prior. *l.* 4. *illud* ms. *a.* Vulgo *id possumus.*

Pag. 131. *l.* 1. et 2. Duo isti versus praepostero ordine, contra quam in msstis, positi erant in ed. Mur. et Lips. quarum exemplum miror secutos esse Bipontinos et Ruhk. quum recte rursus dispositi essent iidem versus in ed. Gron.

EPIST. CVIII.

Lin. 3. *quia pertinet, et properas.* Sic commode ed. Ruhk. ex emend. Gron. Nempe *et* deerat *a. c. R. A.* et Grut. absorptum a terminatione praecedentis verbi. Vocem *pertinaciter*, quam inter *pertinet* et *properas* incommode infulciunt nonnulli, ignorant nostri libri et Grut. *l.* 11. *possimus. a. R.* Vulgo *possumus*.

PAG. 132. *l.* 10. *qui ad Philosophum.* Hoc debuerat ms. *a.* in quo mendose *quia philosophum.* (Cf. l. 17 sq. et 22.) *qui ad philosophiam c. A. qui ad philosophorum scholas* vulgo, ex *R.* *l.* 13. *non* [*solum*] *studentes.* Istud *solum*, ab Erasmo adiectum, ignorant *a. c. R. A.* et rectius abiicietur. Vide not. ad VIII. 21, 14. et cf. XXIV. 81, 3 sq. *l.* 30. *diversorium a. c. R. A.* non *deversorium*, quod placuit Matth. *l.* 31. *illo* (i. e. *illuc*) *deponant.* Sic vett. libri: vulgo *illic* ex Pinciani coniectura.

PAG. 133. *l.* 1. *qua mores. a. c. R. A.* non *ad quam.* *l.* 5. *quae tam sine profectu alieno discant. dicant*, ut ediderat Muretus, sic erat in ms. *a.* a prima manu, idque verum est, restitutumque auctori velim. Commode interpres Gallicus: *qu'ils répètent sans fruit pour les autres.* Dein recte *audiunt a. c. A.* non *audiant.* *l.* 14. *Adficiuntur illis: et sunt* etc. Perperam edd. *afficiuntur illi; et sint.* *l.* 22 sq. *tunc illa animi bona, velut sopita, excitantur.* Sic ed. Mur. Lips. Gron. Bip. et Matth. Est autem illud *sopita* ex ingenio Mureti, cogitantis puto *igniculos* illos, quos subinde Cicero dicit, ubi de *virtutis seminibus* loquitur pectori hominum insitis. Sed verum videtur quod cum msto *a.* dabat *R.* et aliae editiones ante Muretum, *velut soluta*, nempe vinculis soluta, quibus constringebantur, impedimentis soluta, quae obstabant. Conf. XCV. 67, 20. *solita* habet ms. *c.* et ed. *A.* cum Pinc. et Grut. quod (quo sensu non video) adoptavit Ruhk. Nempe ex *soluta* corruptum istud erat.

PAG. 134. *l.* 6. *potentiorem novissimo exitu effudit.* Sic percommode locum istum constituit idem Ruhk. quum *patentiore novissime* vulgo legeretur. Et *novissime* quidem tenent libri omnes; quod servari utique non potuisse videtur, nisi voce *exitu* eiecta. *potentiorem* vero dabat ed. *A.* *patentiorem* ms. *c.* Alii libri in *patentiore* fere consentiunt.

PAG. 135. *l.* 4. *nancta* ms. *a.* ut alibi, non *nacta.* *l.* 20. *inceptu*, non *impetu*, *a. R. A.* Pal. 1. 2. 3. Col. *l.* 23. *nec*

enim cibi. Vulgo *Haec enim non cibi*, invitis libris vett. *l.* 28. *in corpore est nullus. Inde vino carens* (scil. facile carens, et carere adsuetus) *stomachus.* Sic prorsus ms. *a.* ut ex duobus codd. commendavit Pincianus: et sic edd. inde a Mur. nisi quod ille sua auctoritate *caret* posuit. Misere h. l. corrupti sunt alii libri; e quibus, sua item adhibita coniectura, hanc lectionem (merito a Matth. desertam) procudit Ruhk. *quoniam optimus odor in corpore est. Non luxum dat vino stomachus.*

Pag. 136. *l.* 1. *credidimus*, non *credimus*, *a. R. A. l.* 9 sq. *Dicebat* vett. libri omnes; non *Decebat. l.* 27. *si in quo.* Perperam deerat *si* edd. *l.* 31. *quod dicimus mortem.* Sic recte *a. c. A. quam dicimus mortem* ed. *R.* Perperam vulgo, *quam dicimus esse mortem.*

Pag. 137. *l.* 7. *integra serva.* Poterat teneri *in integro*, quod habebat ed. Er. ex *R.* cum ms. *a. l.* 9. *Quod istic crudelitatis tuae damnum est?* Sic prorsus, ut vulgo, ms. *a.* Sed vereor ut satis sana oratio sit: nil autem iuvant libri. *isti* habet ms. *c. iste* ed. *A. istis crudelitatibus tuis* ed. *R. istic crudelitatibus tuis* ed. Erasm. *l.* 11. *His instinctus. His ego instinctus* scribe cum *a. R. His ergo instinct. c. A. l.* 17. *alienigena tum* (vel *tunc*) *sacra.* Sic, ut ex Lipsii coni. Ruhkopfius edidit, legitur in ms. *a.* Vulgo *alienigenarum sacra.* Mox, pro *sed inter arg.* exspectaveram *et inter arg.* sed non addixere libri. *l.* 20. *qui calumniam timebat, non philosophiam oderat.* In hanc sententiam cum Lectio apud Lipsium, et cum Ruhnkenio ad Vellei. Tom. I. pag. 314. correxi constantem quidem librorum omnium scripturam, *qui non calumniam timebat, sed philosophiam oderat. l.* 23. *culcitam* ms. *a.* Alii vulgo *culcitram.*

Pag. 138. *l.* 18. *adducit*, non *abducit*, *a. c. R. A.*

Pag. 139. *l.* 9. *devertimur* ms. *a. divertimur c. R. A. divertimus* vulgo edd. *devertimus* ed. Matth. *l.* 27 sq. *Ciceronis libros de Republica prendit.* Sic edd. inde a Mur. *Ciceronis librum deprendit* ms. *a. Cic. librum deprehendit* ed. *R.* Absurde prorsus *Ciceronis cibum deprehendit*, *c. A. Cic. librum de Republica prehendit* ed. Er. nempe vocabulo *Republica* ex Erasmi coniect. adiecto, recte vero. Conf. p. 141, 3 sq. ubi in ms. *a.* pro *de Republica* compendiose sic scribitur *de re. p.* ex quo erroris origo h. l. admissi satis adparet.

Pag. 140. *l.* 11. *etiam a regibus fuisse.* Sic alii omnes: sed ms. *a. etiam regibus fuisse. l.* 12. *aliqui putant, et Fenestella.*

(id est, in his Fenestella.) Sic, ut vulgo haec edebantur, exhibet ms. *a.* *et Fenestrellam* ed. *A.* Miras hîc turbas ciens ms. *c.* et ed. *A.* quales fere Gruteri codices. *l.* 14 sq. *primum verba prisca, reapse dici a Cicerone* etc. *primum reapse dici* etc. edd. omissis duabus vocibus *verba prisca*, quae partim e libris vett. partim ex coniect. adiecimus. (Conf. p. 141. l. 10 sq.) *primum verba expresse ab se dici a Cicerone* ms. *a.* *verba expressa ab se* ms. *c.* cum edd. *A.* et *R.* Scilicet *reabse* olim vulgo scribebant per *b* literam, non *reapse*. *l.* 16. *nec minus sese.* Quod vulgo hîc legebatur *sepse*, id Mureti inventum erat, quod libri nostri omnes ignorant, perinde atque Pinciani et Gruteri codices. *l.* 17. *quae consuetudo seculi mutavit.* Non eadem haec sunt quae modo *prisca* dixerat; sed verba, quae adhuc quidem in usu sunt, at mutato significatu. *l.* 20 sq. *Ennianos* ex Pinciani emendatione est: vitiosum *inanes* libros omnes occupaverat. *l.* 24. *operae pretium.* Sic, divisis vocibus, scribunt libri nostri; non *opraepretium*, ut edd. Tum *praecium* ms. *a.* producta prima syllaba.

Pag. 141. *l.* 2. *Ennium hoc ait Homero subripuisse.* Sic recte edd. ex Pinciani emendatione. Vett. libri omnes male, *Ennius hoc ait Homero se subrip.* *l.* 3. *Esse enim*, non *Est enim*, *a.* *c.* *R.* *A.* *l.* 8. *delabar* iidem libri; non *dilabar*, ut vulgo. *l.* 22. *talis prodesse praec.* Temere omissa vox *talis* in ed. Bipont. et Ruhk.

Pag. 142. *l.* 1. *agmen non* [*tot ac*] *talium.* *agmen tot ac talium* edd. a Mur. ex uno cod. Pinc. Sed noster ms. *a.* *non tot ac talium* praefert: ubi quid valeant duo media verba haud scio; adieci tamen uncis inclusa, ut cogitent docti quid sub illis lateat. Interim satis videtur *non talium*; neque haec ego cum Pinciano pro otioso glossemate habuerim. *non tamen talium* dabat ed. Er. ex *R.* *non tot ac talium nomina* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 4. *proferre* revocavi ex ed. *Er.* et *R.* *perferre* *a.* *c.* *A.* *perferri* edd. a Mur.

EPIST. CIX.

Lin. 15. *etiam Sapienti restabit.* *etiam*, quod aberat vulgo, dederunt *a.* *c.* *R.* *A.* et Grut. sed iidem omnes *a sapiente rest.* exhibent; quod quo spectet exputare non potui.

Pag. 143. *l.* 1. *facit quoque peiorem* *a.* *c.* *R.* *A.* Iidem *l.* 4. *plurimum*, non *plurium.* *l.* 9. *scientiam* *a.* *c.* *A.* et Gruteri

omnes. *notitiam* edd. ex *R.* *l.* 11. *posset.* *a.* *R.* *possit* edd. cum *c.* *A.* *l.* 13. *non suis viribus.* Vulgo *non scilicet tantum suis viribus* edd. cum *a.* *c.* *R.* *A.* duobus verbis manifeste ex scholio intrusis, quae eiici omnino debuere. Pro *scilicet tantum* duo Gruteriani *solum tantum* habebant, unus nude *tantum.* Ex Senecae more loquendi, *non suis viribus, sed ipsius* etc. idem valet, ac *non solis suis viribus, sed simul viribus ipsius* etc. vel, *non tam suis viribus, quam ipsius* etc. Sic mox *l.* 17. ms. *a.* et ed. *R.* recte nobis dederunt *Non prodest sapiens sapienti, sed ipse sibi;* ubi vulgo, inserto glossemate, legebatur *Non prodest tantum sapiens sapienti;* et geminato glossemate in ms. *c.* et ed. *A.* *Non scilicet tantum prodest sap.* prorsus eodem modo quo *l.* 13. vulgatum erat. *l.* 16 sq. *adiuvat etiam currentem hortator.* *hortatur* ms. *a.* et ed. *R.* quod tenentes alii, *qui currentem hortatur* scripsere; nobis concinnius visum erat, si *hortatur* in *hortator* mutaretur. *l.* 18 sq. *Detrahe illi -- et ille,* id est, detrahe alteri -- et alter etc. *l.* 20 sq. *ipse ille qui est, debet -- palatoque esse.* Perperam librarii sedes verborum *est* et *esse* inter se permutaverant, scribentes *qui esse debet -- palatoque est:* alia item nonnulla in hac regione turbaverant, ex facili coni. correcta. *l.* 22. Pro *huiusmodi* malim *eiusmodi* cum *a.* *c.* *A.* *l.* 25. *et hic profuturo idonea materia sit.* Sic recte ms. *a.* Perperam vulgo, *et huic profuturo.*

PAG. 144. *l.* 4. *illi opus est adiecto calore.* In exili hac et spinosa disputatione rursus multa turbarunt librarii, a viris doctis correcta; quae iam sigillatim exponere non vacat. Illud unum moneo, *non opus est* vulgo hic edi, quum negantis particulae in vett. libris nullum compareat vestigium. *l.* 5. *Sed ipse se.* Poterat *Sed ipse sese* scribi ex *a.* et *R.* Aberat vulgo *Sed* particula, praeter rationem abiecta a Mur. *l.* 26 sq. *ut eius qui movebitur.* Sic *a.* *c.* *A.* Pal. 1. 2. 3. Col. Perperam vulgo *aut eius* etc.

PAG. 145. *l.* 2. *expetenda.* *petenda* edd. invitis mss. *l.* 11 sq. *gubernatore -- ordinatore* recte *c.* *A.* Perperam *gubernatori -- ordinatori,* edd. cum ms. *a.* et ed. *R.* *l.* 20. *quae exercendo se usu valet.* Vulgo *quae in exerc.* sed praepositionem ignorant *a.* *c.* *R.* *A.* Tum *se usu* ed. Mur. Lips. et Gron. ex uno Pinciani cod. cui consentit ed. *A.* Alii omnes *sensu,* quod revocavit Ruhk. prudentiam et rationem intelligens. Equidem *usu* tenendum putavi; sed videndum, ne aut duo verba *exercendo se* ex vetere scholio irrepserint,

aut *exercendo et usu* scriptum oportuerit, aut *exercendo se usuque.*

PAG. 146. *l.* 19. *Hoc mihi praesta interim, ut volupt.* Sic scripsi ex Gruteri coniect. *Haec mihi praesta tu, ut volupt.* vulgo, ex Pinciani et Mureti ing. *Hanc mihi praestaturum volupt.* ms. *a.* et ed. *R.* *Hanc mihi praesta interim volupt.* Pal. 2. 3. et Col. cum ed. Erasm.

EPIST. CX.

PAG. 147. *l.* 10. *procurarent a. c. R. A. procurent* edd. a Mur. *l.* 20. *felicitatis et causa et initium.* Prius *et* ignorant edd. sed latebat in verbo *est*, quod ibi ponunt *a. c. R. A.* Pal. 1. 4. Col. *l.* 24 sq. *tamquam ibi adhuc staret, unde tuto caderet.* Malim *adhuc ibi* cum *a. c. A.* Tum *caderet* non male quidem edd. ab Er. cum Pal. 2. 3. et Col. sed verum videtur, *unde tuto cadunt*, quod est in *a.* et *R.* et Pal. 1. 4. ex quo etiam nata vitiosa scriptura in *c.* et *A.* *unde tuta cadunt.* *l.* 27. *deiecit*, non *deiicit*, *a. R.* *eiecit c. A.*

PAG. 148. *l.* 9. *perturbabatur a. c. A.* non *perturbatur.* *l. ult.* *notitiam scientiamque.* Sic *c. A.* Nude *notitiam* edd. ab Erasm. cum Pal. quart. *notitiam scientia* ms. *a.* *notitiam scientiam R.* scilicet alterum ex scholio (ut videtur) invectum; ac fortasse sic scriptum oportebat, *divinorumque scientiam acceperit.* Conf. CIX. 143, 9.

PAG. 149. *l.* 17. *sed ultro dedit.* Sic unus Pal. tert. Deest *sed* edd. et abesse poterat. *et ultro dedit* habent *a. c. R. A.* cum al. apud Grut.

PAG. 150. *l.* 28. *caelatas et auro et arg.* Sic libri vett. non *ex auro.*

PAG. 151. *l.* 11. *occupabit* commode edd. a Mur. *occupavit* quidem praeferunt vett. libri omnes; sed iidem saepius literas *b* et *v* perperam inter se permutant. *l.* 13. *fuerunt*, non *fuerant*, *a. c. R. A.* Iidemque *l.* 14. *ipse mihi*, non *ipsi mihi.* *l.* 21 sq. *Habemus aquam, habemus polent.* Sic commodius ms. *a.* quam *Habeamus -- habeamus* edd. cum aliis.

PAG. 152. *l.* 4. *natura dixit omnibus.* Sic ed. *Er.* ex *R.* cum Pal. 1. 4. *natura omnibus dixit c. A.* Pal. 2. 3. et optimus cod. Pinc. idque verum erat: inde accidit, ut tria verba omitterentur in ms. *a.* *dixit* abiecit Mur. *natura omnibus edixit* edd. a Lips. nullo suffragante vetere libro.

EPIST. CXI.

Pag. 153. *l.* 5. *et par sibi. a. c. A.* Abest *et* edd. ex *R. l.* 6. *et per adversa.* Sic ed. Er. ex *R.* cum *a. c. A.* Pal. 1. 4. Ac poterit *et* pro *etiam* accipi. Sed, abiectâ particulâ, rescriptum malim *fluctuatur per adversa* cum edd. a Lips. ex Pinciani codd. et Pal. 2. 3. et Col. *l.* 10. *fastigio suo.* Posteriorem vocem adieci ex ms. *a.* *l.* 15. *morantur*, non *remorantur*, *a. c. R. A.* Mox *vocet* restitui ex vett. libris, quibus invitis *vacet* edebatur, inde a Mur.

EPIST. CXII.

Pag. 154. *l.* 4. *responderit* edd. ex *R.* *respondit. a. c. A:*

EPIST. CXIII.

Pag. 155. *l.* 1. *deceant* dedere *a. c. A.* Vulgo *decent* ex *R. l.* 2 sq. *quae antiquos moverint.* Nil mutant libri, sed in ms. *a.* in ipso contextu, simul cum ista lectione, laudatur alia his verbis, *vel, quae sint quae antiqui moverint. l.* 11 sq. *habet ipsa virtutem. Quidni habeat se ipsam?* Sic *a. c. A.* Vulgo *habet ipsam virtutem. Quidni? habet se ipsam.* edd. ex *R.* *l.* 19. *adversus istuc* ms. *a.* *istud* ms. *c.* *ista* vulgo cum ed. *A.* In *R.* prorsus corruptus locus. *l.* 26. *duos esse* [*nos*] *dices.* Abest *nos* msto *c.* et uni probo cod. Pinc. et aberat editis, expunctum a Mur. nec ita male; nam videtur utique ex scholio invectum. *duos esse nos dices* habet ms. *a.* cum ed. *A.* et Pal. 2. 3. Col. Alii, *duos esse dices nos*, cum *R.* Alius rursus apud Grut. *nos dices duos.* *l.* 29. *Quidquid in uno.* Sic ms. *a.* *in unum c. R. A.* *quidquid unum* edd. a Mur. Mox *cadit*, non *cadet*, *a. c. R. A.*

Pag. 156. *l.* 29. *pugnat -- nocet. a. c. R. A.* non *pugnet -- noceat.*

Pag. 157. *l.* 2. *partes autem.* Sic *a. c. A.* *eius*, pro *autem*, habet *R.* Utrumque vulgo abiectum a Mur. *l.* 10. *equus, equus; canis, canis.* Sic *c. A.* cum Pinc. et Grut. Perperam nude *equus, canis*, ms. *a.* et ed. *R.* Ex quo sua auctoritate Muretus fecit *equus item et canis.* *l.* 25. *Quid? fortitudinis* etc. Sic *a.* et *R.* Abest *Quid? c. A.* et vulgo edd. *l.* 29. *quo tempore iustitia est.* Sic recte ms. *a.* non *esset*, ut alii. Inde *l.* 30. correxi, *quo tempore fortitudo est*, ubi perperam *esset* dabant omnes.

Pag. 158. *l.* 12. *existimo esse, quod in tanta* etc. Abest vulgo *esse;* sed in vett. libris scribitur *et quod*, ubi *et* ex *esse* corruptum iudicavi cum Pinc. *l.* 16. *nulli magnitudo cum altero convenit. nullius magnitudo* magno consensu dabant *a. c. A.* et Pinciani Gruterique codices. Quod quidem quum parum probabile sit ita scriptum a Seneca fuisse, utique repositum velim id quod vulgo editum erat, *nulli similitudo* etc. quod ex ingenio quidem Erasmi erat profectum, sed haud obscure admodum latebat sub eo quod ed. *R.* dederat *nullius multitudo*, quam scripturam etiam Gruterus in uno ex Palatinis invenerat. *l.* 25. *ut ferat.* Duo verba, quae deerant vulgo, ex msstis adiecimus.

Pag. 159. *l.* 9. *rationale autem non est.* Pugnare hoc videri poterat cum eo quod pag. 158. l. 24. aiebat, *virtutes utique rationales sunt:* at non pugnant, nam h. l. ex superiore lin. intelligitur hoc dici, *rationale animal autem non est.* *l.* 10. *virtus autem bonum* [*omne*] *est.* Vulgo nude, *virtus autem bonum est*, edd. ex *R.* Quo posito, non valebit consequentia ista, *omne bonum animal est.* Multo vero magis vitiosum videtur id, quod *a. c. A.* habent, *virtus autem non bonum est:* at ibi *non* ex voce *omne* compendiose scripta ortum suspicatus eram, ut minor propositio (quam dicunt dialectici) haec esset, *virtus autem omne bonum est;* ubi subiectum (quod vocatur) propositionis intelligi debet *omne bonum*, praedicatum vero *virtus.* *l.* 15. *prudenter sententiam dicere.* Temere omissa vulgo erat media vox.

Pag. 160. *l.* 16. *et animus iustus.* Repetitum h. l. vocab. *animus* non aderat vulgo, sed dederunt veteres libri. *l.* 18. *Sublata est quaestio.* Duo verba, *est quaestio*, sive ipsa ad sensum necessaria, sive his similia, desunt *a. c. R. A.* ab Erasmo (ex coniect. an e vetere libro?) adiecta. *l.* 26. *Ita* cum ms. *a.* scripsi. Vulgo *Itaque.*

Pag. 161. *l.* 20. *Fortuna non armat.* Sic commode ms. *a.* Locum in omnibus exemplaribus corruptum se reperisse ait Pincianus. Vulgo *Fortuita non armant* ex Mureti ingenio.

Pag. 162. *l.* 1. *si multas per milites provincias obtinent.* Sic tacite primus (sua, puto, de coniectura) edidit Erasmus, quem secuti sunt omnes. *pro milite* scribitur in *a. c. R. A.* Miror ni pariter alii libri, licet e suis nil notaverit vel Pinc. vel Grut. *l.* 4. *Doceat* communi consensu tenent mssti et editi. *Doceas* unus edidit Ruhk. necessariam esse emendationem existimans, quia haud multo ante (p. 161,

10.) *Doce* dixerat auctor. At similiter haud raro variare verborum personas in huiusmodi disputationibus solet. *L.* 11. *tota cogitatio.* Vulgo *ut tota cogitatio.* Voculam *ut*, temere ab Erasmo adiectam, nullus vetus liber agnoscit. *L.* 14. *quam iustam esse.* Sic unus cod. Pinc. Ipse tamen Pinc. *quam iustum esse* maluerat, quod recepit Mur. et tenuere alii editores. Vitiose *iniusta esse* ms. *c.* et ed. *A.* nec melius *iniustae est* ms. *a.* voculam *quam* vero nullus codex agnoscit. Editi ante Mur. cum ed. *R.* sic habent: *quod sit iustae rei praemium: maius iniusto est:* qua in scriptura, si recte distinguantur verba, ipsum verum inesse videtur. Scribe, *quod sit iustae rei praemium maius: in iusto est.* Ut dicimus *in vitio est*, *in culpa est*, et similia; sic *res in iusto est* idem fere valebit ac *iusta est.* Tum, pro brevitate quam amat noster, ante ipsa verba, *in iusto est*, facile intelligitur tale quidpiam, quale *Satis magnum praemium hoc est.* *L.* 16. *pertinere* scripsi cum *a. c. A.* et quatuor Gruteri codd. Vulgo *pertinet.*

EPIST. CXIV.

Lin. 1. *Quare.* Commode duabus vocibus scribes *Qua re.*
PAG. 163. *l.* 5. *esset. a. c. A.* Vulgo *est.* *l.* 12. *Si disciplina* etc. Rectius sic distinguetur oratio: *imitatur publicos mores; si disciplina --- in delicias dedit. Argumentum -- lascivia; si modo* etc. *L.* 22. *ferox* recte *a. c. A.* Grut. Vulgo *velox* ex *R.* sicut *velocia* XCII. 25, 11. pro *ferocia.*

PAG. 164. *l.* 8. *MAECENAS, de Cultu suo.* Invitis libris vett. *in Cultu suo* edd. ante Ruhk. Est autem iste titulus carminis cuiusdam a Maecenate conscripti, quem titulum ipse Seneca (sicut alibi titulos aliorum librorum, e quibus verba quaedam citavit) Epistolae suae inseruit. (Cf. XCVII. 79, 15. et XCII. 94, 7 sq.) *l.* 10. *remittant.* Corrige *remittunt*, ut habet ms. *a.* *l.* 11. *Quid? si quis.* Non Maecenatis haec verba, sed Senecae sunt; adeoque non cursivis, quos dicunt, sed antiquis typis a nobis exprimi debuerant. *Ead. l.* 11. *feminae cinno crispatae labris columbatur. cinno*, non *circo*, *a. c. A.* tum *crispat et labr. a. R. crispate* (i. e. *crispatae*) *et labr. c. A.* *L.* 12 sq. *cervice lassa fanantur nemoris tyranni.* Sic prorsus ms. *a.* et *fanantur* habent etiam *c. A.* *lassa* vero *a. c. R. A.* alii vulgo *laxa.* *L.* 14 sq. *et spe* ms. *a.* *cum spe c. A.* *et saepe* vulgo ex *R.* *L.* 16.

tenuisve cerei fila edd. olim, cum *a. c. R. A. tenuisve Cereris fila* ed. Ruhk. ex Scaligeri coniect. *l.* 24 sq. *Divites.* Rectius forsan *Divite* ed. Ruhk. ex Lipsii coniect. *l.* 25. *tunc maxime*, non *cum maxime*, *a. c. R. A.*

PAG. 165. *l.* 13 sq. *luxus* praeferunt vett. libri omnes sed blandiri utique poterat *cultus*, quod ex Mureti ing. vulgatum est. *l.* 22. *includere a. c. R. A.* Cf. XII. 34, 30. *claudere* vulgo. *l.* 28. *fingit ignota, ac deflectit.* Vulgo *fingit, et ignota deflectit.*

PAG. 166. *l.* 2. *sunt qui illos detineant et porrigant.* Sex verba omissa in ed. Matth. typothetae errore. *l.* 16. *sed vitia laudentur* libri vett. Vulgo *sed et vitia laudentur.* *l.* 20 sq. *Multos tibi dabo.* Abest *tibi* vulgo. *l.* 31. *Coruncanium. Coruncanum* edd. In *c. A.* et *R.* misere corruptum vocab. Sed in *Coruncatum*, quod habet ms. *a.* haud dubie latebat *Coruncanium.* Haud raro in hoc cod. literae *t* et *i* inter se permutantur: sic paulo ante (l. 17.) pro *venia*, perperam *venta* in eodem scribitur.

PAG. 167. *l.* 4. *quam nolle nisi splendidis.* Sic commode ms. *a.* Alii, *quam si nollent splend.* Bene haberet, *quam si nollent nisi splend.* Vulgo, *quam si vellent splend.* *l.* 18. *redeunt*, non *redduntur*, libri nostri omnes cum Pinc. et Grut. Iidem *l.* 19. *detinens;* non *desinens*, quod est ab Erasmo. *l.* 24. *si floridae sunt.* Vulgo *sed si floridae sunt.* Delevi particulam, quam vett. libri omnes ignorant, a Mureto ex coniect. adiectam: quam tamen, quoniam sine tali quadam coniunctione vix ratio constare videtur orationi, facile patiar reduci.

PAG. 168. *l.* 22. *aequi bonique. a. c. A. aequi boni* edd. ex *R.*

PAG. 169. *l.* 6. *dum conspici* libri vett. omnes; non *dum conspiciantur*, quod sua auctoritate Muretus posuit. *l.* 23. *simul dubitant.* Sic libri nostri cum aliis omnibus: et merito revocavit hoc Ruhk. defensum a Gron. contra Muret. a quo *nutant* erat invectum. *titubant* maluerat Lipsius. *l.* 29. *et nihil illi imperat.* Leve est, sed non tacendum: mutata duarum vocum sede scriptum volueram *et illi nihil imp.* ut recte dabant *a. c. A.* cum Gruteri codd. Deerat vulgo *illi.*

PAG. 170. *l.* 2 sq. *et instant -- gaudent.* Sic libri vett. Vulgo *instantque -- gaudet:* scilicet iuncta putaverant ista, *gaudet -- et contrectat.* Sed *gaudent* refertur ad *adfectus; contrectat* autem ad *populum:* scilicet, *populus, frustra plenus*

largitione nocitura, ita *solet gaudere*; nempe, *contrectat et quae* (i. e. etiam ea quae) *non potest haurire.* *l.* 14. *quod non cum omni.* Sic *a. c. A.* Aberat vulgo *quod* h. l. *l.* 17 sq. *in hoc furor non est.* Perperam vulgo *hic furor est:* sed *in hoc* dedere vett. libri omnes; particula *non* autem, quae deest aliis, recte adiecta erat in ed. *A.* et mss. Pal. 2. 3. et Col. nonnullisque Pinciani codicibus. *l.* 19. *immo in illo quod* etc. Sic unus probus cod. Pinc. Nude *immo quod* edd. inde ab Erasm. *in illo quod* (absque *immo*) *a. R.* *in illo etiam quod c. A.* *l.* 22. *coquos R. A.* *cocos a. c.* *coquos nostros* vulgo edd. ex *R.* sed *nostros* recte ignorant *a. c. A.* *l.* 23 sq. *veterana nostra.* Ex eod. cod. Pinc. hoc probaverat Gronov. et adoptavit Ruhk. consentiente ms. *c.* et ed. *A.* Nec vero spernendum *veteraria*, quod habet ms. *a.* et olim edd. ex *R.* *l.* 31. *et metiatur.* Sic *c. A.* Abest *et* edd. ex *R.* et ms. *a.* Sed mox *sciat quam*, non *sciatque*, dant *a. c. A.* pro quo vitiose *sciat quem* scribitur in *R.* Denique *possit*, non *posse*, *a. c. A.* pag. 171. l. 1.

EPIST. CXV.

Lin. 15. *habere aliquid facti. fracti* edd. cum *a. c. R. A.* *ficti* Pal. 3. *fracti aut ficti* Pal. 2. et Col. Verum iudicavi *facti*, servatum in uno Pal. 1. quod iam olim ex coniect. commendaverat Henr. Steph. et nuper probavit Matth. in Programm.

Pag. 172. *l.* 17. *tum evocante* recte ed. Ruhk. adsentientibus libris nostris. *l.* 21. *mite quiddam* restitui ex vett. libris. *mite quidem* ed. Mur. et seqq. *miti quidem* ed. Ruhk. Mox *igne*, non *igni*, *a. c. R. A.* *l.* 22. *tunc deinde* scripsi cum *a. c. A.* et Pal. 2. 3. Vulgo *tum demum.*

Pag. 173. *l.* 6. *obscuritate retinent. obscure* vulgo, ex Mureti ing. *obscuro* editt. vett. et mssti. Probavi coniecturam Pinciani; ut opponantur ista duo, *splendore* et *obscuritate.* *l.* 6 – 8. *Sed si, quemadmodum* -- *repurgari*, *sic nos aciem* etc. Sic meliores libri. Vulgo *Sed quemadm.* -- *sic et nos aciem.* *l.* 11. *etiam humilitate. a. c. A.* *et humil.* edd. ex *R.* *l.* 17. *honorum.* Temere *bonorum* ed. Bipont. et Ruhk. *l.* 22. *monilia* ab Erasmo est. *mobilia* tenent mssti *a. c.* cum ed. *R. A.* et *Ven.*

Pag. 174. *l.* 1. *perfudimus a. R.* Vulgo *perfundimus*, cum *c. A.* *l.* 6. *scies*, non *disces*, *a. c. R. A.* *l.* 7. *iaceat. a. c.*

R. non *lateat.* Vitiose *liceat* ed. *A.* *l.* 8. *quae tot magistr.* Perperam vulgo omittunt h. l. *quae*, et dein *l.* 10. inserunt *quae ex quo* etc. *l.* 9. *quae et magistr. et iud.* Temere omissa vulgo priori loco *et* particula. *l.* 16. *promittent* dedit ms. *a.* et Pal. 2. Vulgo *promittunt.*

Pag. 175. *l.* 5. *graecos Tragicos.* Priorem vocem, quae deerat vulgo editis, dedere *a. c. A.* Perperam *apud Grammaticos* ed. *R.* *l.* 7. *mutent* cum eisdem *a. c. A.* scripsi, pro vulgato *mutant.* *l.* 14. *qui moritur dum lucrum facit.* Vulgo, *qui, dum moritur, lucrum facit.* Verborum ordinem, quem secuti sumus, praeiverunt *a. c. R. A.* qui quidem omnes *quisquis*, pro *qui* dabant, contra metri legem. *l.* 16. *blandae.* Temere *blanda* ed. Bipont. et Ruhk. *l.* 24. *ut exspectarent.* Sic Muretus correxit. Veteres libri omnes *spectarent* dabant, quod tenendum iudicassem cum Grutero, nisi et alibi subinde perperam *spectare* pro *exspectare* a librariis nostris positum meminissem, veluti Epist. C. p. 97, 27.

Pag. 176. *l.* 11. *optaturi* dedere *a. R.* Pal. 2. 4. Col. Alii vulgo *appetituri.* *l.* 15. *quum priora damnaverint.* Sic vett. libri omnes, uno quodam Pinciani excepto, e quo vulgatam scripturam *qui priora damnaverant* adscivit Mur.

EPIST. CXVI.

Pag. 177. *l.* 9. *putas* recte *a. c. A.* *putes* vulgo. *l.* 12. *ipsas* recte iidem, non *illas.* Tum mox iidem, *Quidni ad te - - sint?* ubi minus recte edd. *Quidni? ad te - - sunt.* *l.* 20. *ab hoc latius funditur.* Sic recte ms. *a.* cum Pal. 1. et 4. Perperam vulgo *ob hoc.*

Pag. 178. *l.* 20. *respicit*, non *respexit*, *a. c. R. A.* Cui non repugnat, quod dein *contemsit* in praet. tempore ponitur. *l.* 28. *de omnibus adfectibus.* Postremum vocab. quod desideratur in aliis, commode dedit ms. *a.*

EPIST. CXVII.

Pag. 179. *l.* 1. *Multum mihi negotii.* Perperam vulgo, et in invitis msstis, *mihi ubique.* Mox verbum *concinnabis* tenent libri nostri omnes.

Pag. 180. *l.* 20 sq. *expetibile, quod nobis contingit, quum bonum consequuti sumus.* Haec est plana atque constans veterum librorum omnium scriptura: in qua quum nihil desideraretur, Muretus tamen, pro immoderata sua novan-

di libidine, suo arbitratu istam invexit, et Lipsio et Gronovio aliisque doctissimis viris probatam, et nuper in ed. Matthiae (postquam merito a Ruhkopfio repudiata fuisset) revocatam: *adexpetendum, quod bono contingit: quod, cum bonum consecuti sumus, non petitur* etc. Ubi nescio quid magis mirer, intolerandam Mureti et importunam praesertim hoc loco ridiculamque licentiam, an facilitatem doctorum virorum, inventum istud sibi obtrusum tam aequo animo patientium. Nam, alia ut taceam praeter rationem h. l. mutata, in vocabulo *expetibile*, quod a se fictum Seneca profitetur, quid est quod desiderari potuerit? aut monstrosum illud *adexpetendum* unde tandem arripuit Muretus? Scilicet graecum verbum, quod hîc respexisset Seneca, statuit ille fuisse προσαιρετὸν, et ex hoc latinum procudit *adexpetendum*, quod Senecae obtruderet. Atqui ipsum graecum προσαιρετὸν gratuito prorsus finxerat vir doctus: nec enim usquam (quod equidem noverim) graecum istud vocabulum eo, quo vult, significatu occurrit, aut ab ullo homine umquam usurpatum reperitur. Tum vero, si vel umquam a Graecorum aliquo usurpatum istud vocabulum reperiretur, non erat illud tamen id quod hîc in animo habuerat Seneca. Nam diserte ipse ait, Graecum illud vocabulum ita formatum esse, ut *expetendo* (τῷ αἱρετῷ) *interponeretur una syllaba*: atqui in voc. προσαιρετὸν non *interposita*, sed *praeposita* est syllaba. Graeca vox, quam respexerat Seneca, haud dubie αἱρέσιμον erat: cui perapte respondet latinum *expetibile*, a philosopho nostro formatum. *l.* 28. *et apud. a. c. A.* Abest vulgo *et*. *l.* 30. *hoc colligimus* recte ms. *a.* et ed. *A.* Perperam *haec c. R.* *sic collig.* vulgo edd.

Pag. 181. *l.* 5. *colentium. aethera* adiecit Ruhk. cum nonnullis Pinciani et Grut. codicibus, quibus accedit noster *c.* et ed. *A.* Adsumentum istud, merito improbatum Grutero, ignorat ms. *a.* cum ed. *R.* *l.* 7. *et bonum sapere.* Aberat vulgo media vox. *l.* 9. *incipiamus*, non *incipiemus*, *a. c. R. A.* *l.* 16. *Speras me dicturum non esse, aliud* etc. Temere *speres* edd. Tum sic vulgo distinguunt, *Speres me dicturum, non esse aliud* etc. Nos secuti sumus distinctionem, quam praeivere *a.* et *R.* *l.* 20. *bene valere indifferens est.* Sic *R.* et *A.* Vulgo *et valere* etc. Omnia ista desunt *a.* et *c.* Alia item nonnulla ex libris hîc correximus; ut *l.* 26 sq. *Qui sapit -- qui sapiens est*, ex *a. c. A.* ubi vulgo *Quod -- quod.*

Pag. 182. *l.* 4. *possit* dedit ms. *a.* Alii vulgo *potest.* *l.* 24. *dicam. dicamus* ms. *a.*

Pag. 183. *l.* 12. *Non corpus, inquit.* Sic *a.* et *R.* *Non corpus est quidem c. A.* Vulgo, *non corpus quidem est.* *l.* 14 sq. *dictum* dedit ms. *a.* Recte; nempe graecum λεκτόν. Cf. Sext. Emp. Pyrrh. II. 84. Alii vulgo *edictum.* *l.* 15. *corporale quiddam* recte *a. c. R. A.* (conf. Sext. l. c.) Perperam *incorporale* vulgo, inde ab ed. Tarvis. *l.* 18. *illum dicas.* Temere *illud dicas* vulgo edd.

Pag. 184. *l.* 3. *tamquam et Sapientia* etc. Vulgo, *Sapientia et sapiens* etc. et desunt duo priora verba. *et sapientia* etc. absque *tamquam,* habet ed. *R.* *et tamquam Sapientia a. c. A.* Satis erat, *tamquam sapientia,* absque *et* particula. *l.* 24. *eloqui* dedit ms. *a.* Vulgo *loqui,* ubi primam vocalem absorpserat terminatio vocis praecedentis.

Pag. 185. *l.* 2. *bonum sit.* Perperam *bonum est* edd. *l.* 6. *de siderum elementis.* Sic *c. R. A.* et Gruteriani quatuor; quod revocavit Ruhk. quum ex probato Pinciani libro *alimento* edidisset Mur. At hoc verum erat, idque ipsum tuetur noster ms. *a.* De *alimento siderum* multa quaesisse veteres, multaque delirasse, satis notum est. *l.* 8. *nostra moveantur.* Sic *a. c. R. A.* (*nostra,* i. e. res nostrae.) Vulgo *nostra moveantur corpora,* inde ab ed. Ven. *l.* 18. *tam necessariam.* Vulgo, *cur tam necess.* ex ed. Ven. contra quam dabant vetustiores libri *a. c. R. A.* *l.* 22. *illud bonum esse, hoc non esse?* Posteriora tria verba ex coniect. adiecit Muretus: admodum probabiliter quidem: quare facile patiar abiici uncinos, quos illis circumdedi. Sed et in prioribus verbis mire variant libri: nam pro *illud, ille* habet ms. *a.* *illuc* ms. *c.* *id* ed. *A.* *quod* ed. *R.* *aliud* ed. Ven. *l.* 23. *subibo huius voti aleam.* Sic edd. ab Erasmo; commode: nam hoc poscere videtur id quod modo aiebat, *Temere me geram.* Sed et defendi poterat *subito,* secundâ verbi personâ, quod dabant *a. c. R. A.* et revocavit Ruhk. *l.* 26. *Dic, quid* etc. *a. c. A.* Vulgo *Dic mihi, quid.* *l.* 28. *ferunt aguntque.* Sic edd. ab Erasmo, cum ms. *c.* Sed *feriunt a. A. R.* Pinc. et Grut. quod recepit Ruhk. Mihi tamen prius istud praeferendum visum erat. Conf. XXXVII. 115, 16. CXVIII. 191, 8. etc.

Pag. 186. *l.* 17. *quam tibi praebere exitum iubeas.* Sic libri vett. multo commodius quam vulgo *qua tibi praeberi* etc. *l.* 18. *sunt et elementa. a. c. A.* Abest vulgo *et.*

PAG. 187. *l.* 8. *sic fit, u t negemur sapere.* Voculam *ut* ex coniect. adieci, sed uncinis notavi, quo lectorem de coniectura non nimis certa monerem. *Sic fit, negemur sapere* dedit ms. *a. Sic fit : negemus sapere c. A. R.* Hinc Erasmus ex coniect. edidit; *Sic sit. Negemus sapere.* Denique Muretus: *Sic sit: negemus sapere bonum esse. l.* 17. *post multos secuturum m e n s e s otium.* Haud dubie vitiosum erat vulgatum, *post multos secut. sensus*, licet in hoc consentiant libri fere omnes. Magis etiam vitiosum, quod est in ms. *a. sense socium* : sed sub hoc latebat, puto, *menses otium. l.* 22. *bonum non est.* Vocem *utique*, quam istis vulgo adiiciunt, ignorant *a. c. A.* In ed. *R.* ad sequentia refertur illa vox, *utique si prodest* etc.

PAG. 189. *l.* 8. *fac securiorem.* Vulgo *fac me secur.* invitis libris nostris. *l.* 9. *si i s t o direxero omne quod disco.* Sic *a. c.* Pal. 3. et Pinc. nisi quod omittant vocem *isto*, quam ex coniect. adieci. Vulgo *si fecero* ex ora Er. *si dicero* (sic) ed. *R. si dixero* ed. Ven. et Erasm. cum Pal. 1. 2. 4. Col. *si fecero vel dixero* ed. *A.*

EPIST. CXVIII.

Lin. 12. *quis a r t e petat.* Sic *c. A.* Pal. 2. 3. Pinc. Nec aliud debuerat ms. *a.* in quo *arce;* item Pal. 4. in quo *quis Crassi arte.* Olim *aperte* edd. ex *R. ab se.* ed. Gron. et sqq. ex Lipsii coniectura.

PAG. 190. *l.* 2. *possint. a. c.* Alii vulgo *possunt. L.* 10. *sequestrem*, non *sequestrum*, *a. c. R. A. l.* 26. *Licet*, non *libet*, iidem *a. c. R. A.*

PAG. 191. *l.* 6. *istuc* ms. *a.* quod idem valet ac vulgatum *istud. l.* 20. *I t a, quod bonum est, vero iungitur.* Sic ms. *a.* ubi *Ita* valet *Itaque*, quod habent *c. R. A. Ita*, scil. quoniam multa sunt quae specie blanda ac falsa invitant. Vulgo sic distinguebant, *differunt ita. Quod bonum est* etc. *l.* 22. *invitat ad se et a d l i c e f a c i t.* Vulgo *allicit facie* ed. Mur. Lips. Gron. et Matth. ex Pinciani coniect. *allicere facit c. A. R.* Ven. et Er. quod revocavit Ruhk. In *a.* sic scriptum, *adlicer facit:* unde *adlicefacit* correxi, suasu Gronovii, coll. Sueton. Vitell. c. 14. Similiter formatum verbum *expavefacere* vidimus apud Nostrum, LXXXV. 335, 1. Eiusdem formae est *commonefacere*, communi sermone tritum. *l.* 23. *subripit* ms. *a. surripit* alii libri vett. *subrepit* vulgo, ex Pinciani coniectura.

Pag. 192. *l.* 19. *secundum naturam est.* Perperam vulgo, et invitis msstis, *et secundum nat. est*: et deinde *l.* 20 sq. *et bonum est*, ubi *etiam bonum est* commode dederunt *a. c: R. A.* *l.* 24. *nullum est minimum contemnendum bonum.* Sic *a. c. R. A.* Vulgo olim edd. *nullum nec minimum*; ed. Ruhk. *nullum etiam minimum.* *l.* 26 sq. *Unde adgnoscitur bonum? Unde aliquid cognosc. bon.* edd. invitis msstis.

Pag. 193. *l.* 6. *ille enim. a. c. A.* Abest vulgo *enim.* *l.* 11 sq. *ex magno.* Sic ms. *a.* et ed. *R.* commode: sc. quod sumitur ex magno pondere. *et magnum* edd. cum *c. A.* cum quo parum convenit verbum *differt* in sing. *l.* 15. *et in sua proprietate. a. c. A.* Perperam deest *et* edd. ex *R.*

EPIST. CXIX.

Pag. 194. *l.* 6. *compendiaria* (sc. viâ.) edd. cum *a. R.* et Pinc. Conf. XXVII. 89, 13. nec male *compendiario* (sc. itinere) ed. Er. cum aliis apud Pinc. et Grut. coll. LXXIII. 250, 9. Perperam *compendiarie* ed. Ven. cum *c. A.* *l.* 11. *Catonianum* tenent libri omnes, nisi quod per *th* scribunt ms. *c.* et ed. *A.* *Hecatonianum* coniectabat Pinc.

Pag. 195. *l.* 1 sq. *multa nive clusero* edd. cum *a. R.* et Grut. *elisero c. A. Pinc.* *l.* 5. *murreum* ms. *a.* quod et debuerant *c. A.* in quibus *mirreum.* Nec male vulgo *myrrhinum* edd. vel *murrhinum*, ut ed. Ruhk. Perperam *vitreum* ed. *R.* *l.* 8. *porrigatur. a. c. A.* Pinc. Pal. 2. 3. *extendatur* ed. *R.* et seqq. *tendatur* ed. Lips. et seqq. invitis msstis. *l.* 14. *Quid est istud?* Sic *a. c. R. A.* Perperam *Quid est illud inane?* ed. Er. Mur. et Lips. Tum, *Quid est illud in commune?* ed. Gron. Bipont. et Ruhk. ex levi coniect. Lipsii. Istud *inane* corruptum erat ex *lamne*, quod subiiciebatur olim sic, *Iam ne ego parav.* vel *Iam ne parav. ego*: pro quo nos ex ms. *a.* dedimus, *Ego iam paraveram.* *l.* 23. *Utrum maius? habere multum* etc. Sic *a. c. A.* Perperam *mallis* ed. *R.* unde vulgo *Utrum malis habere* etc.

Pag. 196. *l.* 1. *An parum habet* etc. Sic edd. cum *R.* et *A.* Sed rectius videtur *At*, quod dabat ms. *c.* quod ipsum etiam debuerat ms. *a.* in quo *Ad*, frequenti permutatione literarum *t* et *d.* Quare sic rescriptum malim: — *At parum habet qui tantum non alget, -- non sitit. — Plus Iupiter non habet.* Scil. istud, *At parum habet* etc. opponit alter; cui Seneca respondet, *Plus Iupiter* etc. *l.* 4. *et numquam mul-*

tum est. Copulam *et*, omissam vulgo, dedere veteres libri omnes. *l.* 6. *mentior*, quod aberat vulgo, adiectum ex more Senecae dedit ms. *a.* et unus probus cod. Pinc. *l.* 8. *et ipsa, ut ita dicam.* Sic commode *c. A. R.* Aberat vulgo *ipsa.* *l.* 14. *tacto fine terrarum.* Sic recte ms. *a.* Perperam *tanto fine terr. c. A. R.* unde inepte vulgo *de tanto fine* etc. ex uno cod. Pinc. alius *toto* (pro *tacto*) dabat. *l.* 18 sq. *Plus incipit habere posse. habere velle* desiderasses; sed nil mutant libri. *l.* 20. *quorum nomina cum Crasso Licinioque numerantur.* Speciosum erat quod dabat ms. *a.* cum *Croeso Licinioque*, et sic fere etiam *c. A. R.* Sed verum utique videtur *Crasso*, quod ex Pinciani codd. receptum a Mur. Tum *Licinoque* vulgo edd. ab eodem Mur. ex Persio et Iuvenali: sed, ut in Senecae libris, sic et apud Dionem Cassium LIV. 21. et apud Sueton. Octav. 67. *Licinius* vocatur ille Augusti libertus; cuius divitiae, ut olim *Crassi*, in proverbium abierant. Cf. Nostrum Epist. CXX. pag. 204, 12 sq.

Pag. 198. *l.* 3. *dilectum*, non *delectum*, *a. c. R. A.* Iidemque *l.* 4. *laudatum*, non (ut vulgo) *lautum.*

EPIST. CXX.

Lin. 9. *in sordida usque. a. c. A.* Vulgo *usque ad sordida*, ex *R.*

Pag. 199. *l.* 18–20. *per analogian nostri intellectum et honestum et bonum iudicant.* (id est, Nostri Stoici iudicant, et honestum et bonum per analogiam intellectum ab hominibus esse: conf. p. 201, 28. et 202, 3. et 6.) Sic plane et percommode *a. c. R.* nec aliud e suis codd. protulit Pinc. et consentiunt Gruteri codd. et ed. *A.* nisi quod in his perperam *intellectus* pro *intellectum* scribitur. Eamdem quidem in sententiam, sed praeter rationem mutatis verbis ex Pinciani coniectura, inde a Mur. sic edebatur: *per analogiam nostro intellectu et honestum et bonum iudicante.* *l.* 23. *non tantum tamquam recepto.* Vox *tantum*, quam libri omnes agnoscunt, temere primum omissa erat in ed. mai. Elsev. 1672. et dein in aliis. *l.* 25. *ex hac cogitavimus.* Sic h. l. *a. R.* et *cogitamus c. A.* non *collegimus*, ut vulgo. *l.* 27. *collegimus* recte ed. Erasm. et seqq. cum Pal. 1. 2. *colligimus a. c. R. A.*

Pag. 201. *l.* 19. *non deesse ei in his.* Vulgo *ei et in his*,

rursusque *l.* 20. *et in his.* Utrobique voculam *et* ignorant veteres libri: in una ed. *R.* priore loco vocula *ei* perperam in *et* mutata erat.

Pag. 202. *l.* 16 sq. *in hoc ipso navemus operam.* Pronomen *hoc* recte adiectum dedere *a. R.* et Gruteri codd. *l.* 22. *humanis divinisque.* Vulgo *et humanis divinisque*, contra quam *a. c. R. A.*

Pag. 203. *l.* 6. *exagitent.* Perperam *exagitant* edd. *l.* 7 sq. *Nunc de capite, nunc de ventre.* Sic *a. R.* Vulgo inverse, *Nunc de ventre, nunc de capite.*

Pag. 204. *l.* 3. *quae circa sunt.* Sic ms. *a.* cum ed. *R.* et hoc satis erat. Conf. not. ad III. 8, 6. *quae circa se sunt* ms. *c.* et ed. *A.* *quae circa ipsum sunt* ed. Er. et seqq. *l.* 12. *contentus vilibus.* Sic commode *a. c. R.* *fictilibus* ed. *A.* *vili* ed. Er. et seqq. *Ead. l.* 12 sq. *modo Licinium divitiis.* Sic *c. A.* Pinc. Pal. 3. et Col. Perperam h. l. *Linum a.* et *R.* *Lucium Crassum* ed. Ven. et Er. *Licinum* ed. Mur. et seqq. *l.* 26 sq. *Horatius Flaccus.* Posterius nomen, quod abest vulgo, adiiciunt vett. libri omnes: et *R.* quidem praeponit, reliqui autem postponunt.

Pag. 205. *l.* 14 sq. *adgnosci* ms. *a.* Vulgo *agnosci.* *l.* 15. *quem here vidisti.* Sic *a. c. A.* servata prisca verbi forma. *quem heri vidisti* ed. *R.* Vulgo *quem vidisti heri.* *l.* 16. *Hic qui est?* Sic scripsi cum ms. *a.* Alii vulgo *quis.*

EPIST. CXXI.

Pag. 206. *l.* 6. *Quum quaero, quare* etc. *Cum quaeritur quare* edd. inde ab Er. et verbum *quaeritur* vel h. l. vel deinde post *produxerit* agnoscunt etiam nonnulli codd. Gruteri; at deest prorsus id verbum *a. c. R. A.* Itaque absorptum existimavi a voce *quare*, ab eisdem literis incipiente; sed brevius olim *quaero* (in prima persona) scriptum fuisse iudicavi; cum quo consentit, quod dein ait, *longe me iudicas* etc.

Pag. 207. *l.* 9. *adfectuum* recte ms. *a.* et *affectuum* ms. *c.* Perperam *affectum R. A.* *effectuum* vulgo edd. *l.* 15. *apte movent* recte *a. c. A.* Perperam *movebunt* edd. ex *R.* *l.* 19. *agilitas sponte motis est.* Sic commode ms. *a.* tum *sponte motus* perperam *c. R. A.* Denique *spontaneus motus* ed. Ven. et seqq. *l.* 30 sq. *quatere se.* *et quatere se* malebam.

Pag. 208. *l.* 14. *non ipsam constitutionem.* *Facilius natu-*

ra etc. Sic recte *a. c. A.* Perperam vulgo, *Nam ipsa constitutio facilius* etc. *l.* 31. *Sic infantibus quoque animalibusque, a. c. R. A.* Vulgo *Sicut infantibus, sic quoque animalibus,* edd. inde ab Erasmo.

PAG. 209. *l.* 2. *nec expressus. a. c. R. A.* Vulgo *non expressus.* *l.* 15. *aliam constitutionem habet.* Perperam *alienam* edd. invitis mss. *l.* 18. *qui ferat* recte vulgo edd. *quod ferat* vett. libri nostri et Grut.

PAG. 210. *l.* 10. *prioribus epistolis.* Sic ms. *a. in prioribus epist. c. R. A.* Vulgo *in prioribus* (absque *epistolis*) edd. a Mur. *l.* 23. *accipitrem.* Vulgo *accipitrem fugiat.* Sed posterius verbum nec necessarium erat, et ignorant illud *a. c. R. A.* Mox iidem *l.* 24. bis *timeant* dederunt, ubi *timent* edd. *l.* 26. *antequam possint. possent* ms. *a.*

PAG. 211. *l.* 1. *in hoc pervenire*, ex more Senecae, dedere *a. c. A.* Vulgo *ad hoc*, ex *R.* *l.* 6-8. *itaque quum sentit, --- quo obteri possit, quae sint animalia* etc. Sic recte ms. *c.* et ed. *A.* Vulgo *Itaque sentit -- quo obteri possit. Quae sunt animalia* etc. Et sic quidem ed. *R.* et *quum* etiam caret ms. *a.* sed recte idem ms. *a.* dein *quae sint* habet cum *c. A.* et Pal. 2. 3. et Col. Fortasse pro *itaque* scribendum erat *ita quum.* Superest vero etiam vestigium huius particulae *quum* vel *cum* in Pal. 2. 3. et Col. in quibus *consentit* scribitur, quod ex *cum sentit* corruptum. *l.* 10. *conciliatur saluti suae quodque, et, quae iuvant, illa petit.* Haec ita ex facili coniect. a nobis correcta sunt. Vulgo *quidque: et quae iuvant* etc. edd. ex *R.* *quodque iuvat, illa petit* dabant Pal. 2. 3. et Col. Mendose *quid quae et iuvant* ms. *a.* et sic fere etiam *c.* et *A.* *l.* 12. *Naturales ad utilia impetus, naturales a contrariis* etc. Quatuor priora verba, quum deessent vulgo, dedit ms. *a.* *l.* 13 sq. *sine ulla cogitatione quae hoc dictet.* Quum deessent olim tria postrema verba, ex Gruterianis libris Ruhkopfius adiecit *quae hoc dicit*, quod et habent *c. A. R.* sed rectius *dictet* dedit ms. *a.* Mox vero *praecepit*, non *praecipit*, dedere vett. libri omnes. *l.* 18. *imitabilis illa aranei textura.* Vulgo *sit illa* edd. ex *R.* sed ignorant verbum *a. c. A.* *aranei* vero, ut alibi, sic et h. l. dedit ms. *a.* rursusque infra (l. 25.) *araneorum.* *l.* 21. *quam minora animalia* etc. *quibus* malebam, sc. filis; aut *qua*, scil. textura, quamquam hoc vocab. longius abest. Sed *quam* tenent libri, quod idem valebit ac *quo modo*; cum quo congruit quod deinde scribitur *teneantur*, ubi vulgo

quae--teneant, commode quidem, sed ex Erasmi ingenio. *l.* 25. *par in favis.* Sic recte et percommode edd. ante Ruhk. cum *a. c. R. A.* et Pal. 2. 3. *in filis* ex tribus aliis Gruterianis recepit Ruhk. quod nemo facile probaverit.

EPIST. CXXII.

Pag. 212. *l.* 5. *semisomnus. a. c. A.* Vulgo *semisomnis* ex *R.* *l.* 6. *incipit. incepit* ms. *a.* *l.* 8. *perverterint. a. c. A. pervertunt* edd. ex *R.* Mox *diducant* ms. *a.* *deducant c. A. R.* Vulgo *deducunt.* *l.* 11. *sedibus nostris* tenent veteres omnes. *pedibus nostr.* ed. Mur. et Lips.

Pag. 213. *l.* 4. *tam infausti.* Sic ms. *a.* *tam infausti homines c. A. R.* postremo vocab. ex scholio adiecto. Inde vulgo *tam infausti ominis* ex Mureti coniect. *l.* 6 sq. *in multa fericula discretis.* Perperam *pericula* dabant vett. libri, ex quo *fercula* fecit Mur. bene; nos, propius a veteris scripturae vestigiis, *fericula*, priscâ nominis formâ, quales amat Noster. Dein *discretis* ed. Ruhk. ex Pal. 1. 2. 3. et Col. *discoctis* ms. *a.* et ed. *R.* et *A.* *distortis c.* et ora Col. *districtis* cod. Pinc. *distinctis* ed. Mur. Lips. Gron. et Bipont. *l.* 17. *sub ipsa umbra.* Sic scripsi cum ms. Pal. 4. *superbam umbram* ed. Ven. et Er. *super membra* ed. Mur. et sqq. cum Pal. 3. *superba membra* ed. Ruhk. cum Pinc. Pal. 2. et Col. *superba umbra* ms. *a.*

Pag. 214. *l.* 16. *spectant ut* etc. Sic *a. c. R. A.* Vulgo *exspectant.* *l.* 19. *ne aetas quidem eripiet. eripit* ms. *a.* Praeterea *non aetas quidem c. R. A.* *none aetas quidem* ms. *a.* sub quo quid lateat non exputo; nisi forte *nunc ne aetas quidem.* *l.* 22 sq. *calorum apta imitatione, bruma lilium, florem vernum, exprimunt. calorum apta mutatione a. R.* et dein ed. Mur. et seqq. Sed *apta imitatione* ed. Er. cum ms. *c.* et ed. *A.* *brumalium* autem scribunt veteres omnes, quod in *bruma lilium* primus mutavit Mur. ex Pinciani coniect. Nondum satis ad liquidum perductus videtur locus. *l.* 28. *in mari*, non *in mare*, *a. c. R. A.*

Pag. 215. *l.* 27. *M. Vinicii. L. Vinicii* ex uno Pinciani codice edd. a Mur. Sed cum L. Vinicii ingenio (qui *nec dicere ineptias nec ferre potuisse* perhibetur) parum convenit, quod *Varus* iste huius *comes* vocatur a Seneca. Itaque *M. Vinicii* scripsi cum ms. *a.* cui consentiunt *c. A.* et Gruteriani nonnulli; alii cum ed. *R.* praenomen omittunt, ac fortasse etiam in *a. c. A.* litera *m.* quae ibi comparet, ad prae-

cedentem vocem decurtatam *Rom.* pertinebat, non praenomen hominis significabat.

Pag. 216. *l.* 23. *Sp. Papinii.* Sic primus edidit Lips. ex coniectura Pinciani, cuius codd. partim *Spapinii* dabant, partim *Spanii* (ut ms. *a.*) partim *Spa. Panii.* Prorsus vitiose *spatiis* ed. *R.* *Spurii Papirii* ms. *c.* et ed. *A.* *l.* 29. *quid sibi ille -- vellet? gestari dicitur.* Sic recte *a. c. A.* Vulgo, *quis sit ille sonus rotarum? velle gestari dicitur.*

Pag. 217. *l.* 13 sq. *hi distorti plurimum cum omnibus, et inter se, dissident. hi distorti* dedit solus ms. Col. *his* (puto, moribus) *distorti, a. R. A.* *his districti* ms. *c.* *ab his distorti* ed. Mur. et sqq. ex uno cod. Pinc. Dein *plurimum et omnibus inter se dissident* ed. *R.* *plurimum, et omnibus et inter se* ed. Er. et seqq. cum ms. *a.* *plurimum cum omnibus et inter se* ms. *c.* et ed. *A.* Rectius forsan erat *et cum omnibus et inter se.*

EPIST. CXXIII.

Pag. 218. *l.* 3. *in lectulo* ms. *a.* Vulgo *in lecto.* *l.* 7. *nisi quod ipse.* Sic *c. A.* Abest *quod* edd. Perperam duae voces *nisi* et *quod* desunt ms. *a.* *l.* 18. *a nobis optatum prohibentes occurrent.* Nostra de coniectura emendata verba: de quo monere volui lectorem uncinis circumdatis, quos fidenter fortasse omittere potueram. Vulgo *a Diis optantem prohibent et occurrunt* ed. Lips. et seqq. ex ed. Er. Nam mire extra oleas vagatus erat Mur. *a nobis optantem prohibent et occurrunt* ed. *R.* *a duobus optantem prohibent et occurrent* ms. *a.* *a diebus optantem* etc. *c. A.* Pincianus e privato suo exemplo corrigendum censuerat *instructis aciebus optatum prohibentes occurrent.* *l.* 24. *adsuescit* revocavi ex *a. c. R. A.* *acquiescit* ed. Er. et seqq. *Ibid. unctiones.* Commode *unctores* ms. *a.* et Pal. 2. 3. *l.* 28. *Haec qualiscumque coena aditiali iucundior erit.* Sic recte edd. ante Ruhk. consentientibus *a. c. R. A.* nisi quod pro *aditiali* (de quo conf. XCV. 68, 7.) vitiose *adiali* habent *a.* et *R.* *Attali* vero *c.* et *A.* Mire vero ed. Ruhk. *hoc qualiscunque coena dissolvit, quae aditiali iucundior erit.* Nempe verbum *dissolvit* ex scholio, ad praecedens *tollit* spectante, alieno loco in contextu posuerant scribae codicum nonnullorum Gruterianorum. *l.* 29. *Aliquod enim experimentum -- sumsi subito.* Perperam *Aliquando enim* vulgo: tum *subitum* edd. commo-

de quidem, sed refragantibus *a. c. R. A.* qui in *subito* consentiunt. Mox *hoc e n i m est simpl.* dedere iidem libri cum Grut. Abest vulgo *enim*, nec id male.

PAG. 219. *l.* 22. *ut qui* ms. *a.* Pinc. et ed. Er. Abest vulgo *ut*, abiectum a Mureto, Pinciani suasu. *et qui* dabant *c. A. ut quam* ed. *R.* *l.* 26 sq. *sarcinas totas.* Posterior vox aberat editis, praeter rationem et invitis libris abiecta a Mur. Multa utique inter istorum hominum sarcinas erant, quae tuto concuti potuerant, sed non omnia eius erant generis.

PAG. 220. *l.* 3. *genus horum hominum.* Abest *horum* edd. et abesse poterat; sed adiectum voluere libri vett. omnes. *l.* 7. *discessimus* recte iidem libri veteres; non *discesserimus.* *l.* 10. *cantuum* ms. *a.* Perperam *cantum* alii. *cantus* edd. *l.* 15. *cludendae a. A.* Vulgo *claudendae.* *l.* 20 sq. *una felicitas est, bene vitae facere, esse, bibere.* Sic ms. *a.* cui consentiunt *c. A.* nisi quod in his est *edere*, pro *esse.* Tum *libere frui patrimonio* dedere *c. A.* sed *libere* ignorat ms. *a.* et *libere* pro *bibere* habet ed. *R.* Quare rectius a b i i c i e t u r vox *libere.* Languide vulgo: *una felicitas est, bona vita:* (sive, ut ed. Ruhk. *est bonae vitae,*) *facere omnia libere, frui patrimonio.* *l.* 23. *Quid iuvat sapere?* Olim, *Dubitamus quod iuvat sapere* edd. cum *a.* et *c.* Unde Muret. cum nonnullis Pinciani codd. ediderat, *Dubitamus quod iuvat facere.* Sed Erasmum vide et Gruterum. *l.* 25. *recepturae* ms. *a.* et Pinc. Vulgo *decerpturae.* *l.* 26. *ingerere frugalitatem, u l t r o mortem praecurrere.* Sic ms. *a.* et ed. *R.* nisi quod pro *ultro* quod ex Erasmi coniect. est, *eo* scribitur in *a.* et *ut eo* in *R.* Mox *l.* 27. *interdicere* item Erasmo debetur; nam vitiose *interere* scribitur in *a.* in aliis *interire.* Totus locus vulgo, ex Mureti maxime ingenio, sic constitutus erat: *Dubitamus quod iuvat facere,* [*sapere,* reposuit Ruhk.] *et aetati, non semper voluptates decerpturae, --- ingerere? Quid iuvat frugalitate ultro mortem praecurrere* etc.

PAG. 221. *l.* 1. *haeredis sui res procurare.* Sic libri vett. Vulgo *haeredi suo procur.* *l.* 15. *si scierimus.* Sic recte Pal. 3. 4. Alii vulgo *si fecerimus.* *l.* 16. *Invitant divitiae,* et *l.* 18. *fugat labor.* Vulgo, *Invitent, ut divitiae, --: fugent; labor,* etc. *Invitant,* et *fugat* commode dedit ms. *a.* sed idem cum aliis tenet *ut* ante *divitiae:* nos nostra de coniect. abiecimus illam particulam, tamquam ex scholio invectam. Eadem particula etiam post *fugent* inserta erat in uno ex

Gruterianis. *l.* 28 sq. *in aspera et dura.* Sic ms. *c.* Pal. 2. 3. et Pinc. Perperam *in asperas et duras a. R.* et *A.* Tum *in res asperas et duras* vulgo edd.

PAG. 222. *l.* 2. *qui dolores, metus, per se formidabiles res.* Sic *a. c. R. A.* et al. Altera scriptura, quam uncis inclusi, vulgata erat a Mur. ex Pinciani coniect. *l.* 7 sq. *aeque atque combibendi.* Mediam particulam ex coniect. nostra adiecimus. *l.* 13. *in nullo habenda pretio.* Perperam, et invitis vett. libris omnibus, *in medio hab. pret.* ed. Lips. et sqq. *l.* 15. *volubile c. A.* Pal. 2. 3. Pinc. Vitiose *volue* ms. *a.* cuius scriba ad finem properans plurima praesertim in extremis Epistolis erravit: videndum vero, ne h. l. *volucre* debuerit. *Volatile* edd. ex *R.* *l.* 17 sq. *Quid sit, quaeris.* Sic ed. *R.* Tarv. et Ven. cum Pal. 2. 3. et Pinc. *quid quaeris?* ed. Er. cum *a. c. A.* et aliis. *Quid quereris?* vulgo edd. a Mur. *l.* 18. *ius aequum.* Adiiciebant *est* vulgo, ex *R.* Sed verbum istud commode ignorant *a. c. A.* *l.* 19. *error insanientis. infantis* scriptum volueram, quod ex probo cod. ms. commendaverat Pincianus; non *insanientis. insanus* dabant cum editis alii mssti omnes, uno cod. *a.* excepto, in quo *insanandus.*

EPIST. CXXIV.

PAG. 223. *l.* 2. *tantum magna sectari.* Sic edd. a Mur. ex Pinciani coniect. Olim *tam magna sectari* edd. ex *R.* cum aliis. *tam multa sectari c. A.* et Palat. 2. *l.* 2 sq. *Sicut* [*hoc, sic et*] *illud probo.* Verba uncis inclusa inserui ex coniect. Vulgo omnes nude, *Sicut illud probo.* An debuere *Sed et illud probo* etc. *l.* 29. *si quis vellet,* non *velit, a. c. R. A.* *l.* 31. *daret* recte *a. R.* Pinc. Grut. *deberet c. A.* *daretur* edd. ex Erasmi ingenio.

PAG. 224. *l.* 6. *sensuque. a. c. R. A.* Vulgo *sensu compreh.* *l.* 9. *et ab eo.* Aberat vulgo *ab,* contra Senecae morem. Adieci cum Pal. 3. *Ead. l.* 9. *Nam et vos. Nempe vos* vulgo edd. cum *a.* et *R.* *Nam vos c. A.* Voculam *et* ex coniect. interserendam putavi. *l.* 14 sq. *Sed, quod secundum naturam est, quod protinus contigit nato* etc. Sic ms. *a.* item ms. *c.* (nisi quod in *c. contingit* scribitur) excepta voce *Sed,* quam ignorant *a.* et *c.* Adieci *Sed* ex ms. Pal. 4. quam quidem particulam abesse etiam nullo incommodo potuisse intelligo. Priora ista verba, *Quod secundum naturam est,*

temere omissa sunt in ed. *R.* Plura etiam desunt in ed. *A.* in qua a verbis superioribus *palam et protinus* ad ista statim transcurritur *protinus nato* etc. Vulgo sic edebatur: *Quid est secundum naturam? quod contingit et protinus nato:* quam lectionem ab Erasmo ex scriptis suis restitutam esse Gruterus ait: at Erasmus defectam editionis *R.* scripturam tenuit, neque aliud quidquam ad hunc locum adnotavit. Scripturam istam primus commendaverat Pincianus, et post Erasmi obitum demum in contextum recepta est. *l.* 24 sq. *maternorum viscerum latens o n u s est.* Sic percommode, et ex certa (ut mihi videtur) coniectura edidit Erasmus. Mendose *unus* ms. *a.* *minus* ed. *R.* *ymis al. cavernis* ms. *c.* *imis alias vermis* ed. *A.* Et *vermis*, quod in suorum nonnullis repererat, unice probavit Gruterus, et sic etiam in ms. *c.* scriptum fuisse olim videtur, ubi nunc *cavernis* legitur. *humor*, quod ex levi coniectura proiecerat Gronovius, arripuit Ruhk. et Senecae obtrusit.

Pag. 225. *l.* 6. *In eo quod irrationale est* etc. Sic *a. c. A.* Vulgo inverse, *Numquam erit bonum in eo* etc. Perperam ed. *R.* *Non quod erit bonum.* *l.* 9. *in eo quod rationale est, sed inperfectum.* Vulgo nude, *in imperfecto*, inde a Mureto cum *c. A.* et Pinc. Nude, *sed inperfectum* dabat ms. *a.* et *R.* Nempe in his temere omissa erant priora verba, *in eo quod rationale est*, quae integra servavit cod. Pal. tert. in quo etiam commodius transposita verba in hunc modum, *in eo quod e s t r a t i o n a l e.* *l.* 16 sq. *Hoc si dicas, aliquod arboris ac sati bonum novimus.* Sic libri nostri cum Pinc. et Grut. Vulgo edd. *Ut, si dicas aliquod arboris aut sati bonum, hoc non est* etc. ex Mureti ing. *l.* 25. *quum i l l i ratio perfecta est.* *illi* dedit ms. *c.* cum ed. *R.* Perperam *illa* ms. *a.* et ed. *A.* Vulgo *in illo.* Mox: *Quod autem hoc bonum?* Sic *a. c. R. A.* Vulgo *sit* inserunt, scribuntque *Quod autem hoc sit bonum, dicam.* Tum, *liber animus et erectus* scripsi cum *c. A.* Malim vero nude *e r e c t u s*, a b s q u e *e t*, cum ms. *a.* Vulgo, *Liber animus est ac rectus.* *l.* 30. *ad illud. illuc* edd. ab Er. non male, sed ex coniect. quum nude *illud* dedisset ed. *R.* Sed *ad illud* dedere *a. c. A.* *l.* 31. *S i hoc, et bonum intelligibile est.* Vulgo *u b i hoc et bonum, e t intelligibile est*, ex Pinciani libris. *ubi bonum* ms. *c.* *ubi hoc bonum* ed. *A.* *Si hoc et bonum* ms. *a.* cum ed. *R.* Dein omnes quidem *et intelligibile;* ubi *et* ex coniect. delendum putavi.

Pag. 226. *l.* 12. *i l l o diversa sunt.* Ex coniect. nostra sic

scripsi; *illo* intelligens *illa re.* Vulgo omnes *illa diversa sunt;* ubi videndum, an eodem significatu teneri *illa* (scil. parte) potuerit; quod mihi quidem secus videtur. *l.* 15. *Cetera tantum in sua natura perfecta sunt.* Abest *tantum* editis, ex coniect. positum a nobis pro *tam*, quod dabat ms. *a.* et ed. *R.* aut pro *tamen*, quod habebat ed. Er. cum *c.* et *A.* *l.* 23. *in muto animali non est, quo beata vita efficitur.* Sic edd. a Mur. ex uno cod. Pinc. cui suffragatur noster *c.* Abest *quo* ms. *a.* et ed. *A.* *in muto animali beata vita non efficitur* ed. *R.* Ven. et Er. *l.* 24. *ergo* abest *a. c. R. A.* Adiectum a Mur. ex uno cod. Pinc. *l.* 25. *comprendit* ms. *a.* pro more: ubi alii *comprehendit.*

Pag. 227. *l.* 3. *venturo* ms. *a.* Alii vulgo, *et futuro.* *l.* 23. *erit aliquando bonum, a. c. A.* Pal. 1. et Col. *aliquando erit bon.* ed. *R.* (Negativam particulam, quam habent nonnulli Palatini, nullus nostrorum librorum agnoscit.) *aliquod bonum* ed. Erasm. ex coniect. puto. Equidem *aliquale* coniectabam: quod in parenthesi adposui. *l.* 25. *sed nec bonum absol.* Sic libri nostri omnes, cum Pinc. et Grut. Vulgo *sed quale? nec bonum* etc. ab Erasmo, nescio unde. *l.* 26. *rationabilibus* h. l. dedere *a. R. A.* *rationalibus* ed. Lips. et sqq. cum nostro ms. *c.* et quinque Gruterianis.

Pag. 228. *l.* 1 sq. *Prodest autem etiam quod moratur.* Vulgo *et quod* edd. *quod* (absque *et*) ed. *R.* *etiam quo a. c. A.* et Pal. 1. 2. *etiam quod* dedere Pal. 3. 4. et Col. *l.* 2. *Sed et illud dico.* Voculam *et*, cum abesset vulgo, necessariam h. l. putavi, et vel reclamantibus libris adiiciendam. *l.* 3. *prodesse possum. a. R.* *prodesse tibi possum* edd. cum *c.* *A.* *l.* 21. *ad suum finem* recte *a. c. A.* *ad summum finem* edd. ex *R.* *l.* 28. *Tunc habebis tuum.* Adiiciunt *Bonum*, alii initio, ut edd. vulgo, alii post *tuum*, ut *c. A.* Sed nomen ex scholio invectum ignorat ed. *R.* cum ms. *a.* Pal. 1. et probato Pinciani codice. Dein *intelleges*, pro *intelliges*, suo more scribit *a.* Mox idem codex in haec verba desinit: L. Annaei Senecae Epistularum explicit liber XX.
